This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Slav 8'75.'

HARVARD COLLEGE
LIBRARY

FROM THE FUND OF
CHARLES MINOT
CLASS OF 1828

MONUMENTA HISTORICO-JURIDICA

SLAVORUM MERIDIONALIUM.

PARS I. VOL. I.

STATUTA

ET

LEGES

CIVITATIS ET INSULAE

CURZULAE.

(1214—1558.)

EDI FECIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAV. MER.

CURA

PROF. D^RIS J. J. HANEL.

ZAGRABIAE 1877.

TYPIS OFFICINAE SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE

APUD LEOP. HARTMAN.

MONUMENTA

HISTORICO-JURIDICA

SLAVORUM MERIDIONALIUM

EDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM.

PARS I.

STATUTA ET LEGES.

VOL I.

ZAGRABIAE 1877.

APUD LEOP. HARTMAN.

STATUTA

ET

LEGES

CIVITATIS ET INSULAE

CURZULAE.

(1214—1558.)

OPERA

PROF. D^RIS J. J. HANEL.

ZAGRABIAE 1877.

OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

Slav 8105.14

HARVARD COLLEGE LIBRARY
MINOT FUND
apr. 27, 1926
(I-III, V-X)

PRAEFATIO.

Literarum artiumque academia Slavorum meridionalium monumenta historico-juridica Slavorum meridionalium edere instituit eorumque edendorum curam mihi commisit.

Huius rei ordinem atque rationem talem academia comprobavit, ut antequam reliqua monumenta in lucem prodirent, statuta ante omnia ampliora et leges, quae maxime apud Slavos meridionales viguissent, ederentur, sive adhuc iam typis expressa sunt, sive nunquam antehac emissa.

Cui rationi ab academia praescriptae me applicans, viris doctis, qui iuris historiae perquirendae operam navant studiumque suum, statuta atque leges civitatis et insulae Curzulae primo loco ideo trado, quia inter omnia, quae apud Slavos meridionales exstant huius generis monumenta historico-juridica, antiquissima sunt.

Monumenta illo quem modo attuli titulo inscripta, hisce capitibus enarranda esse puto:

I. *Confirmatio et augmentatio statutorum civitatis ac insulae Curzulae, tempore Marsilii Georgii comitis facta.*

II. *Liber legum ac statutorum civitatis et insulae Curzulae.*

III. *Reformationes communis Curzulae.*

IV. *Litterae ducales aliaeque decisiones, privilegia communitatis ac universitatis populi et insulae Curzulae attinentes.*

Quae sit inter singulas has partes ratio, paucis explanetur verbis.

Librum legum ac statutorum anno 1214. ortum esse, inscriptione sua quidem liber ipse indicat, sed si statuta ipsa, qualia in altera huius editionis parte exstant inspexerimus, res nobis prorsus alia observabitur, neque difficulter nobis persvadebimus, magnis annorum intervallis singulas huius libri partes distare. Sed quanta sint haec annorum intervalla, quo modo antiquiores partes a posterioribus additamentis distribuendae sint, vel quod idem est, qua ratione

vetustissima statuti ipsius forma restituenda sit, sane incertum atque dubium est, ita ut pertractationem totius rei minus facilem esse vix quemquam, qui in eiusmodi rebus perquirendis versatur, latere queat.

In nonnulis quidem generalis consilii Curzulensis decretis dies atque annus adscriptus est; nonnulla quaedam alia tempore recentiore confecta esse ex singulis eorum proprietatibus, e toto qui dicitur charactere eorum concludere possumus: nihilominus quaestio oritur sane difficilis, num et quae totius statutorum libri partes illo, quem supra attulimus anno (1214) conscriptae sint.

Quae quaestio ut copiosius adumbretur et ad finem perducatur, maximi profecto momenti suppetitias nobis praebebit confirmatio illa et augmentatio statutorum civitatis ac insulae Curzulae, tempore Marsilii Georgii comitis facta, quam primo publicationis nostrae loco posuimus.

In confirmationis illius prooemio comes Curzulensis Marsilius Georgio, qui insula Curzula a. 1254. potitus est, cuiusque familia sub Venetorum reipublicae fide atque tutela usque ad annum 1353. eam retinuit, declarat, se „statuta de nouo inrenouata vrbe nouiter condere“ instituisse, iuratque, facturum se esse „racionem omnibus et singulis . . . secundum ciuitatis scripta statuta et scribenda“.

Statuta haec, iam antea scripta, Marsilius Georgio confirmat, eorumque tenorem ad verbum expressum reddit.

Quae si statuta, quae in Marsilii verbis continentur, quaeque a recentioribus additamentis speciali prooemio (pag. 20) satis perspicue distinguuntur, cum ordinationibus, quas liber legum ac statutorum civitatis et insulae Curzulae, sub II. typis exscriptus continet, comparaverimus, Statutorum capita I—LVII. cum statutis a Marsilio Georgio confirmatis prorsus congruere atque concordare videbimus.

Quod cum ita sit, nihil sane obstat, quin capita I—LVII. Statutorum libri antiquissimam omnium statutorum et Curzulensium legum esse partem statuamus, eaque ante a. 1254. iam conscripta esse pro certo habeamus.

Quam ob rem annum quoque 1214, quo statuta et ordinamenta confecta esse libri inscriptio ipsa indicat, ad cap. I—LVII. referendum esse, sine ulla dubitatione affirmare licet.

Statutis, antea iam vigentibus, atque a. 1256. confirmatis, Marsilius Georgio a. 1271. „vna cum iudicibus et consiliariis et cum laudacione tocius populi insule Curzole in rengo publico“ viginti nova statuta addidit, quae maxima ex parte reperimus in cap.

LVIII—LXIX. libri legum ac statutorum, eaque primam fuisse amplificationem principalium statutorum censemus.

Statuta noviter addita pari modo uti et vetera ab omnibus esse observanda Marsilius Georgio decrevit, judicibusque praescripsit, ut, „quando incipiunt et recipiunt officium iudicatus, debeant iurare in istis statutis, sicut et in aliis iurant, facere iusticiam et racionem, et teneantur per sacramentum de istis sicut de aliis".

Necessitate cogente statuta et postea diversis ordinationibus amplificata sunt et suppleta, donec omnia, denuo recensita, in unum redacta sunt volumen.

Novum hoc volumen in hac nostra editione sub nr. II. uti liber legum ac statutorum ciuitatis et insulae Curzulae typis editum exstat.

Quo autem tempore nova haec redactio sit perfecta, quaerendum est, cum legum liber ipse nulla prorsus proferat adminicula.

Si ea, quae cap. CLX. Reform. (pag. 113) de approbatione et autenticatione antiquarum consuetudinum a nobilibus ad hoc deputatis in scriptis resumptarum afferuntur, diligentius respiciamus, a vero vix aberrabimus, si statuta in eam formam, qua in legum ac statutorum libro ad nos pervenerunt, anno circiter 1432. redacta esse affirmemus.

Haec nostra sententia eo firmari videtur, quod ille legum ac statutorum liber nullam plane ordinationem recentiori tempore factam exhibet; post annum autem 1420., quo anno civitas et insula Curzulae Venetorum dicioni est subjecta, omnia Curzulae statuta denuo collecta atque in unum redacta esse volumen statuere necesse videtur. Quod quidem in reformationibus complures ordinationes iam ante a. 1432. institutae reperiuntur, id non tam gravis esse momenti putaverim, ut, quam supra laudavimus sententiam evertere queat, nam rerum naturae ipsi certe consentaneum est, ordinationes, a nobilibus ad consuetudines redigendas delegatis aut errore quodam aut ignorantia omissas, in nova reformationum collectione ponere; quae collectio sine dubio paulo post legum ac statutorum libri redactionem absolutam incepta est.

Hanc in collectionem praeter huiusmodi ordinationes ante a. 1232. rate factas generalis quoque consilii civitatis et insulae decreta edita, postquam veterum statutorum collectio perfecta est, uti necessitas exigebat, referebantur, partim ut pristina sive vetera statuta reformarentur, partim ut novae conditiones ordinarentur. Jussu dein comitis Stephani Magni haec decreta in unum volumen collecta

sunt, idque Statuto veteri uti volumen reformationum seu volumen novum opponebatur.*

Stephanus Magnus comitis munere fungebatur annis aut 1453. et 1454, aut 1454. et 1455; anno enim 1454. ille comes Curzulae commemoratur (cf. pag. 183. n. XXV. cum pag. 143. n. III.) hoc itaque tempore reformationes noviter esse collectas et redactas, satis aperte constat.

In editionis statutorum et reformationum secunda parte, de qua mox sum locuturus, praeter reformationes nonnulla quaedam alia literarum monumenta inveniuntur, quae a reformationum collectione non discernuntur; ipsam autem collectionem uno ex annis ante allatis perfectam esse, inscriptionis eius tenor ipse verisimile facit: „Haec sunt Reformationes Communis Curzulae authenticatae per priuilegia Ducalia, ex libro papireo in membranis redactae de mandato Magnifici et Generosi D. Stephani Magni, pro Illustrissimo Duc. Dom. Venetiarum etc. dictae Ciuitatis et Insulae Comitis dignissimi".

Praeter statutorum librum atque reformationum collectione novus est factus liber, in quo, brevi postquam civitas et insula sub Venetorum dicionem redacta est praecipuae et gravissimi momenti litterae ducales, comitum decisiones aliorumque magistratuum provisiones, quae ad civitatis et insulae statum eiusque privilegia pertinebant, referebantur.

Hic liber praesenti volumini sub nr. IV. insertus XCIV literarum monumenta ab a. 1420. usque ad a. 1558. continet, gravitas quorum sine dubio fecerat, ut apud consilium civitatis et insulae auctoritatem adipisceretur, quae par erat statuti veteris ac novi voluminis reformationum auctoritati.

A. 1622. iste liber uti collectio publica fide digna a judicibus civitatis Curzulae comiti fuit praesentatus, sicut ex sequenti, in fine ejus apposita annotatione apparet:

„MDCXVIII. DIE XXIII. JUNIJ.

Praesens liber praesentatus fuit in officio aduocatorum Communis per dominum Georgium Copranica uigore praecepti sibi facti ad instantiam legatorum nobilitatis Curzulae, cui de iure spectat.

A DI XVIIJ. APRILE MDCXXII.

Presentato all' illustrissimo signor Sigismundo Malatesta, conte di Curzula dalli spettabili signori Vincenzo Rosaneo et Nicolo Ismaelli,

* In decisione comitis de a. 1492. (pag. 208. n. LIV.) ad cap. CXIII. Reform. spectante collectio reformationum plane novi voluminis appellatione notatur.

giudici della corte maggior con interuento delli spettabili signori Geremia Giunio, Aluise Vidossio, Marco Bencileo, Siluestro Gabrielli et Giacomo Canauelli nobili, dicendo essere questo parte delli priuileggi della magnifica communità, qual presentatione fù fatta così richiesti da sua signoria illustrissima offerendosi ad dimostrar altri spediti che si trouaranno, qual è di carte, scritte n. quaranta".

— Collectiones sub nr. II—IV. typis nunc editae praecipui ut equidem puto fontes, ex quibus iuris publici et privati, quod longa annorum serie apud Curzulenses vigebat, historia perspiciatur, haberi possunt.

Praeter hos fontes commissiones tantummodo, quas Venetae reipublicae duces comitibus Curzulensibus dare solebant et relationes a comitibus Venetias missae, maioris sunt momenti. Haec quoque monumenta, quae postrema commemoravi, literarum artiumque academia Slavorum meridionalium edere instituit, huiusque rei curam academiae socio Sim. Ljubićio permisit.

Ob praecipuum, quo sunt ad iuris processum cognoscendum, momentum, duo adhuc brevia literarum monumenta, ordinem puto procedendi coram judicio ciuitatis Curzulae, et tarifam cancellariae Curzulensis in additamentis huius operis edere haud supervacaneum esse cogitavi.

— Quod ad fundamenta ipsa, quibus haec editio nostra nititur, attinet, pauca debeo, quae commemorem.

(ad I.) Confirmationem et augmentationem Marsilii Georgii typis jam expressas reperies apud Hormayr-um: „Geschichte Tirols. I. 2. Urk. nr. 307", sed editio haec admodum est vitiosa, lectio compluries corruptissima, ita ut ad iuris historiam investigandam minus idonea sit.

Benignitate tamen et comitate prof. Sim. Ljubićii, nationalis musei Zagrabiensis custodis facultas mihi monumenti huius perfectius edendi obvenit. Idem enim vir doctus iam ante in tabulario Sancti Marci Venetiis confirmationis et augmentationis illius autographum descripserat mihique suum exemplar utendum benigne permisit.

Autographum, ex quo Ljubićius exemplar suum exscripsit, in membrana claris atque compositis literis initio saec. XIV. conscriptum est et servatur nunc Venetiis in Sancti Marci tabulario „inter privilegia" sub nr. 56.

In exteriori manuscripti forte recentiori manu adscriptum est: „MCCLIIII. MCCLXV. Statuta Curzolae et iuramentum fidelitatis

communitatis factum comiti Curzolae et Melitae D. Marxilio Georgii Veneto in perpetuum."

Duabus his lectionibus adiutus, editionem meam confeci, lectionesque dissentientes variasque, vel corruptas, quas emendari posse censui, in annotatiunculis adumbrare conatus sum: in qua re ita versatus, ut editionem Hormayri signo Horm. lectionem descriptionis a Ljubićio confectae abbreviatura Ljub. notaverim. Eodem modo distributionem in capitula, ubi neque apud Horm., neque apud Ljub. invenitur et omnium capitum numerationem, eorumque cum singulis statutorum libri capitibus comparationem nequaquam omittendam fuisse putavi.

(ad II.) Libri legum ac statutorum civitatis et insulae Curzulae, quem sub nr. II. typis excudi curavi, unum tantummodo codicem manuscriptum investigare potui, eumque quem familia Caporensis Curzulae possidet. A qua cum nullo modo impetrare potuissem, ut mihi codicem ipsum Zagrabiae utendum concederent, cumque editione Veneta sola — de qua postea uberius dicam — hanc meam novam editionem fulcire noluissem, ipse me Curzulam contuli, ibique D. canonico dre. Cos. Petkovićio et urbis praefecto dre. Raph. Arnerio benigne intercedentibus licentiam codicis ipsius inspiciendi adeptus sum, ita ut hoc quoque monumentum perfectius, quam adhuc factum est, edere potuerim. Codicem ipsum in hac mea editione Caporianum *(Cap.)* appello.

Liber hic legum ac statutorum scriptus est in codice membraneo saec. XV., cuius singula folia 28 ctm. sunt longa, 21 ctm. lata. Codex ipse 46 folia comprehendit, quae — exceptis primis quatuor — numeris 1—42 signata sunt.

In pagina prima primi, numero non signati folii recentiori manu verba: „Haec sunt statuta Communis Curzulae" inscripta sunt. In pagina secunda eiusdem folii capitum index incipit, qui duabus columnis scriptus, sequentibus tribus paginis continuatur et in prima quarti folii pagina verbis: „Finis, Laus Deo", explicit. Index hic inscriptiones singulorum capitum continet cum suis numeris, minus tamen accurate appositis, ita ut compluries desit numerus, interdum etiam iteretur. Secunda pagina tertii folii, atque prima quarti vacuae sunt, in secunda autem pagina quarti folii reperitur totam fere paginam complectens, atque satis affabre confecta imago Christi in cruce pendentis, cruentis cum vulneribus; ad pedes crucifixi prostratae sunt imagines Mariae atque Joannis.

Prima pagina quinti folii, numero 1. signati incipit textus statu-

torum, per extensum manu clara et satis composite literis magnis scriptus. Folium primum atque secundum praecipue magnis literis scripta sunt, ita quidem ut quindecim iam versibus singulae paginae compleantur. Pagina prima tertii folii minoribus iam literis est scripta, quod inde perspici potest, quod 21 versum continet. In ceteris codicis paginis versuum numerus inter 20—23 variat.

Inscriptiones singulorum capitum rubro, saepius dilutiori colore sunt pictae; eodem modo magnae etiam, per duos vel tres versus textus se extendentes capitum literae initiales, quae interdum etiam satis pulchre sunt exornatae. Numeri singulorum capitum in fine inscriptionis sunt appositi, saepius autem, quum inscriptio totum versum explet, desunt. In capite CXIV. et seqq. recentior manus numeros minus accurate appossuit; capita denique LVII. et LVIII. uno eodemque numero LVII signata sunt, ita ut numeratio capitum sequentium uno numero a vero legitimoque capitum numero distet.

Nonnullis in locis codicis manuscripti rasurae reperiuntur, praecipue in inscriptionibus, quae quidem rasurae ipsa codicis scriptoris manu factae atque denuo superscriptae sunt. Interdum etiam singula verba omissa recentiori manu addita sunt.

Scribendi ratio ipsa sibi non constat, eadem enim verba diversis locis diversis modis haud raro scribuntur; nonnulla quoque librarii menda exstant.

— Hunc igitur codicem praecipuum fundamentum editioni statutorum ac legum Curzulensium supposui, ita quidem ut propriam scribendi rationem quam accuratissime amplexus, perspicua tantum modo menda emendaverim et lectiones tum demum mutaverim, quum rerum contextus sine dubio corruptus apparuit: quod utrumque tamen semper in adnotationibus adnotavi lectionemque, quam codex ipse praebet, adieci. Quoniam vero Statuta et Reformationes iam semel, ut supra commemoravi, Venetiis typis expressa sunt, codicis *Cap.* lectiones cum editione Veneta, quae ob antiquitatem suam et raritatem codicis manuscripti auctoritatem fere adaequat, comparare haud supervacaneum esse putavi. Quae comparatio, quantum ad meliorem textum restituendum profuerit, in adnotationibus ipsis explanavi.

Ut denique codicis manuscripti ipsius proprietates quam accuratissime proponerem, fidam descriptionem, totiusque primae paginae quarti folii imaginem addidi; quod eo magis faciendum esse putavi, quod certe mihi conscius sum, quam difficulter codex ipse inspiciendus pateat.

(ad III.) Reformationum collectionis praeter nonnullas nuperrime, ex editione Veneta ut equidem puto, factas descriptiones singula tantummodo codicis membranei manuscripti fragmenta Curzulae inveni.

Sunt autem in folio scripta manu lepida, literulis claris et compositis, singulis versibus lineis distinctis. Inscriptiones capitum rubro colore sunt pictae, nullis autem numeris signatae. Magnas, per quatuor versus se extendentes literas capitum initiales scriptor caeruleo ac rubro colore pulchre exornavit. Ratio scribendi eadem fere est, quae in codice *Cap.*

Fragmenta haec tanti modo pretii mihi esse videntur, quod ex iis, cum haud multo post cod. *Cap.* ergo altero saec. XV. dimidio conscripta sint, Reformationum collectionem Stephani Magni comitis temporibus ad finem perductam esse satis lucide apparet.

Ratione habita eorum, quod fragmenta haec paucas aliquot reformationes sc. finem cap. CVIII. atque capp. CIX—CXVI. ed. nostrae continent, ab editione autem Veneta nullo modo differrunt, editionem praesentem secundum editionem Venetiis iam factam instruxi, hoc solum discrimine interposito, ut in collectione reformationum cap. CC. ultimum posuerim, quia hoc caput ultimum tempore Stephani Magni comitis, cujus jussu collectio illa facta est, conceptum esse videtur.

Sed cum Reformationes Communis Curzulae saepenumero Statutum vetus respiciant, quomodo singulae eorum ordinationes se modificent, suppleant vel omnino inter se cohaereant, adnotationibus adumbrare studui.

— Quod autem ad editionem Statutorum et Reformationum, supra iam commemoratam, attinet, occasionem seu causam ei dedit sequens generalis proveditoris Dalmatiae et Albaniae provisio, quam in ipsa editione primo loco legimus:

„*Noi Gio: Battista Grimani per la sereniss. sig. di Venetia, etc. proueditor generale in Dalmatia et Albania.*

Il statuto delle leggi municipali della città di Curzola attrouandosi manuscritto corre rischio euidente, che smarisca à pregiuditio degl' interessi di quell' habitanti; il che volendo noi diuertire coll' essempio dell' altre città della prouincia, terminiamo coll' auttorità del generalato nostro, che li signori giudici di quella magnifica comunità et altri à chi incombe debbano nel termine di mesi trè prossimi hauer fatto stampar esso statuto à spese però della comunità, le quali doueranno esser preferite nella sodisfattione a qualsiuoglia altro creditore, ò beneficiato; et in caso d' innobedienza, possino li

giudici et altri capi, che saranno stati in carrico nel spatio delli sopradetti mesi trè, esser astretti dà cadauno a far stampar esso statuto a loro spese proprie, e s' intendano priui delli voti attiui e passiui nel loro conseglio, intendendosi nulle et inualide tutte le deliberationi, che si facessero con interuento d' alcuno delli sopradetti, che fossero incorsi nell' innobedienza. Commettendo a chi s' aspetta il registro e publicatione delle presenti, come pure la notificatione alli giudici et altri capi della magnifica comunità. In quorum fidem etc.

Di Zara li 28. Febraro 1642. More Veneto.

Gio: Battista Grimani proueditor general.

In luoco del
Sigillo di S.
Marco.

Martino Trapileo coad. etc.

1643. 13. Marzo.
Publicata." —

Re vera mox deinde in lucem prodiit liber in 4° sub titulo: Liber legum ac statutorum ciuitatis et insulae Curzulae. Jussu illustriss. excellentissimiq. D. Io. Baptistae Grimano proued. generalis Dalmat. et Alban. typis editus. Ducante sereniss. D. Francisco Ericcio Venetiarum principe. Atque vigili instante comitatu illustrissimi D. Federici Molino. Venetiis M.DC.XXXXIII. Ex typographia ducali Pinelliana. Superiorum permissu et priuilegio".

Editioni huic praemissa est sequens praefatio: „In editione Statutorum praefatio. Hoc ius ciuile proprium a priscis legislatoribus conditum, pro congruentia temporum reformatum, placito principis pluries animatum, ab erroribus, haud variata substantia, pro posse purgatum, nonnullis rubricis ad clariorem sensum reddactis, textubusq. adaptatis, obsequentiae debito, praelum petit. Motori vigilantissimo municipium monimenta asciscit, frugem sibi, atq. existimationem quaerit. Gloriosissimam rempublicam dominatricem deuoto, humilimoq. animo prosequitur et a primordiis deditionis magis in dies fide feruens incorrupta, aeternitatem illi precatur, sibimet nactam in ea gratiam iugem exoptat, ac vberrimam".

Praefationem imagines divorum patronorum civitatis et insulae Curzulae SS. Marci et Bartholamei sequuntur atque divi patroni totius Dalmatiae S. Hierolemi, sub quibus insigne generis Ducis reipublicae Venetae exstat depictum; a dextera eius insigne generis proveditoris generalis Dalmatiae et Albaniae, a sinistra comitis

Curzulae est, infimo autem loco clipeus insignis civitatis Curzulae. Sequitur iam quam supra attuli provisio generalis proveditoris et tum denique index atque textus Statutorum et quidem in pagina sinistra originale latinum, in dextera autem versio italica.

Statutorum haec editio explet 44 folia, numeris signata.

In fine versionis posuit notarius sequentem clausulam: „Ego Io. Bap. Rosaneus q. Marci D. I. Philippi nob. Curzulen. pub. Imper. auctoritate Not. iussu clariss. D. comitis et magnificorum DD. iudicum, deffensorum, aliorumq; nobilium, Statuta huius magnif. communitatis fideliter ex autentico extraxi ac traduxi, meque in fidem subscripsi, ac signo meo solito roboraui in fidem etc. Anno Domini M.DC.X. — (L. S.)"

Simili modo sequitur in secunda libri parte collectio Reformationum.

Collectioni huic addita sunt nonnula excerpta litterarum ducalium, confirmationem statutorum spectantia, atque Catasticum illud omnium terrarum etc. quod in editione nostra in fine reformationum posuimus.

Tota haec altera pars complet 132 paginas, ex quibus 119 tantummodo numeris sunt signatae.

Praeter hanc nulla alia est facta editio. In nonnullis quidem exemplis annus M. DCLXXXXIII adscriptus invenitur, quasi esset annus alterius editionis factae; perspicuum tamen est, numerum *L* posterius majori spatio inter numeros C et X incusum esse, quo facilius exempla antiquiora venirent.*

(ad IV.) Quod denique ad litteras illas ducales aliasque decisiones, privilegia communitatis ac universitatis populi et insulae Curzulae attinentes, quas sub nr. IV. editioni huic inserui, attinet, paucis tantum explicabo.

In bibliotheca nobilis gentis de Arneri Curzulae, cuius gentiles per nonnulla iam saecula muneribus ibi atque dignitatibus funguntur, codicem manuscriptum chartaceum formae quartanariae inveni, qui ex 105 foliis numeris signatis constat et hac inscriptione inscriptus est: „Raccolta di lettere Ducali, terminazioni, atti e suffragij, concernenti uarie praerogatiue e priuilegij della mag: Communità, nec non dell' vniuersità del popolo e villici dell' isola di Corzola, trascritti secondo l' ordine dè tempi da un libro antico essistente in casa Arneri da mè D. Giacomo Can^co^ Arneri l' anno 1748."

Autographum ipsum, ex quo copia exscripta est, quamquam summam operam dedi, nullo modo invenire potui.

* Curzulae et ipse vidi tale exemplum. Cf. etiam Valentinelli — Bibliografia della Dalmazia e del Montenegro — p. 231.

Hic quoque liber, nusquam antea editus, praeter monumenta, quae supra iam attuli, haud spernendum, ut mihi quidem videtur, argumentum haberi potest, Reformationum collectionem re vera Stephani Magni temporis confectam et finitam esse. Omnia enim capita, quae in editione Veneta caput CC. sequuntur, in hoc libro continentur iis locis, in quibus ex annorum ordine ponenda erant, neque ullum ex praecedentibus capitibus ibi invenitur.

In ipsa eius libri editione scribendi rationi, qua scriptor codicis usus est, prorsus me accomodavi, ita tamen, ut literas initiales magnas, ubi necesse videbatur, parvis commutaverim.

— Haec igitur monumenta primo volumine operis, quod statuta et leges complectetur, edere institui. De quorum auctoritate, gravitate et momento, quo ad iuris historiam Slavorum meridionalium illustrandam sint, hoc loco dicere longum est. Hoc tantum moneo, prof. Wenzelium nonnulla quaedam de hac re in „Archivio fontium historiae Austriacae“ protulisse.*

Ut monumentorum horum cognitio ipsa facilior esset eorumque usus latius pateret, editioni praeter capitum indices rerum quoque ipsarum indicem addidi alphabeticum, glossario autem difficiliorum, quae ibi obversantur, verborum interpraetationem adieci. In conficiendo hoc glossario aliquantulum Glossarium mediae et infimae latinitatis Du-Cangeii (ult. ed.) et magnum linguae italicae lexicon Tommasei me adiuverunt.

Reliquum est, ut viris amplissimis, qui me in colligendis fontibus paratissima opera atque comitate adiuvarunt, dom. prof. Sim. Ljubićio Zagrabiensi, canonico Dri. C. Petkovićio, Dri R. Arnerio et familiae Caporensi Curzulensibus, sincerissimas quae debentur gratias agam.

Zagrabiae XII. ante Kalendas Februarii MDCCCLXXVII.

J. J. H.

* Archiv für Kunde österreichischer Geschichts-Quellen 1850. S. 511 sff.

I.

CONFIRMATIO ET AUGMENTATIO STATUTORUM
CIVITATIS AC INSULÆ CURZULÆ,

TFMPORE MARSILIJ GEORGIJ COMITIS FACTA.

SANCTI SPIRITUS ADSIT NOBIS GRATIA. ANNO DOMINI MCCLXV. INDICTIONE VIII. DIE XIII. INTRANTE MENSIS APRILIS.

„Annus millenus bis centum pentaque denus
Quatuor adiunctis dum petit yma deus
Curzura legatos mittens affectat honores
Ragusij comitem postulat ipsa sibi.
Tunc retinebat sibi comitatus sceptra sonora
Vindex et prudens iura dabat
Nomine Marsilius Georgij Venetusque fatetur;
Colla sibi subdunt omnibus atque suis
Tempus elapso venit gemino probus anno
Urbem construxit plurima tela ferrens
Plurima tela ferrens tunc ostibus intus et extra.
Tandem pervenit ethere vera salus
Marsilius dictus post nonos condidit annos
Jura salutifera quisque regatur eis.
Qui scelus atque nefas expellens intus ab urbe
Conservat populum, menia lauda dei
Nobilis ex villi factus, de paupere dives
Hic populus sparsus pluribus inde locis
Congeritur quod loco digne sit septus in ymo
Namque fides aberat per loca sparsa mala
Presbiter Antonius finxit nec plurima metra
Mandato domini posteritasque sciat.
Ragusij civis genus est galoppa vocatum
Fidus amicus erat, si quis amabat eum.“

Diuine prouidencie iusticia de celo prospexit que per mundi gubernatores et principes sine personarum accepcione confert vnicuique iura sua, de cuius trono procedit gladius bis acutus, scindes ab vtraque parte, iustum diuidens ab iniusto, stateram tenens pre manibus, omnibus equa librans.

Id circo nos Marsilius Georgij comes insularum Curzole et Mellete vna cum vniuersitate vrbis eiusdem Curzole per semitam iusticie proponentes incedere, ne aliquis ciuium forensium ductus errore, ferratur arbitrarie per auaricie fluctus, vt nauis sine regimine, karismatis graciam inuocantes, decernimus statuta, de nouo inrenouata vrbe, nouiter condere, quibus vnusquisque possit regi et debeat vtriusque sexus etasque vnanimiter gaudeat iure suo.

Nos uero comunitas Curzole omnes et singuli bona fide, fraude postposita, sponte, ui aliqua non coacti, iuramus per sancta dei euangelia, quod de cetero domino Marsilio prelibato, tamquam nostro comiti et domino in perpetuum fideles erimus et ipsum habebimus amodo in antea pro nostro comite et domino in perpetuum, sicut iurauimus et habuimus et habere debuimus a principio, quando supposuimus sibi nos et terram, et quando ipse uenit et cepit eam rehedificare nobiscum.

Et liceat ei dimittere loco suo aliquem uice comitem cum ipse residenciam non fecerit pro sue arbitrio uoluntatis, et quilibet comes pro suo habebit salario quingentas libras denariorum Venetorum paruorum pro comutacione decimarum et bannorum, que decime de cetero comiti nec alicui pertinentes ad comitatum et bona deueniant in comune, quorum medietatem sibi soluere teneamur in festo sanctorum apostolorum Phylipi et Jacobi. Heredum namque post mortem prefati comitis Marsilij, qui de eiusdem exierit sanquine, habebimus vnum maiorem etate pro comite et domino in perpetuum, si erit masculus ei tenebimus sicut domino Marsilio in omnibus et omnia tamquam pro nostro comite obedire et in rebus debitis respondere siue masculus erit siue femina heres: et si heres huiusmodi ante quintum decimum annum obierit pecatis exigentibus sine heredibus, liceat prelibato domino Marsilio de sua propinquorum progenie seu cognacione heredem et successorem relinquere et instituere ad comitatum Curzole et Mellete secundum quod ipse ordinauit uel ordinauerit ad suum uelle, qui heres uel successor in introytu comitatus iurabit ad sancta dei euangelia uexillum sancti Marci in manibus tenendo, regere nos fideliter secundum statuta nostra condita et condenda, et custodire, manutenere et non contrauenire; et nos iurabimus eidem esse fideles et obedire preceptis eius tamquam nostri comitis iuxta statuta scripta et scribenda, vt dictum est. Et si heres erit femina, erit nostra comitissa, et suus uir noster comes et rector; et si ipsa obedierit uel decesserit absque herede, deueniat comitatus ad vnum propinquiorem de sua progenie, vt dictum est, secundum quod ipse Marsilius ordinauit uel ordinauerit; et sic de herede in

heredem comitatus procedat. Et si non erit heres in legittima etate, a procuratoribus sancti Marci, qui per tempora fuerint, eligatur comes et rector vnus propinquior de sua progenie, qui regat ciuitatem et insulas, quamdiu peruenerit ad legittimam etatem, uel nupserit, si femina erit, alicui probo uiro, et ille electus a procuratoribus antedictis terciam partem salarii et tocius reddittus comitatus dare teneatur tam heredi masculo, quam femine, vsque ipse peruenerit ad quintum decimum annum et tantum dabit minus tercie partis, quantum placuerit domino Marsilio ordinare et si masculus tantum erit, femine soluat; et si ille comes propinquior, qui de sua erit progenie seu cognacione, non erit sufficiens, sit in examinacione et prouidencia domini ducis, qui pro tempore fuerit et sui parui et magni consilii discernere, vtrum sit ille sufficiens aut non; quod si non, et habeat heredem in minori etate, eligatur comes a procuratoribus sancti Marci, qui pro tempore fuerint, vnus de cognacione sua, qui regat ciuitatem et insulas maior etate et propinquior, dum vnus heredum illius insufficientis maior etate ad decimumoctauum annum peruenerit. Et cum ipse peruenerit ad illud tempus, succedat in comitatu, non obstante patris insufficiencia. Quod si non habuerit heredem ille insufficiens, de sua progenie propinquior et maior etate semper gradatim de herede[1] in heredem comitatus procedat.

Item nos vniuersitas Curzole, congregata ad sompnum campane, damus et concedimus vnanimiter nostro comiti Marsilio Georgio omnes terras et possessiones comitatus Curzole, vt habeat potestatem dandi, possidendi, infeudandi *illas*, scilicet hominibus forensibus, qui uoluerint esse ciues, qui teneantur omnia facere sicut ciuis quilibet vrbigena et omnia faciendi de ipsis in perpetuum libere et absolute tum in possessionibus quam in animalibus et rebus aliis pro suo uelle, quas comitatus habuerit ex antiquo, saluo illo, quod iuste et pacifice possedimus nos homines insule ab illo die, quo peruenit Marsilius in Curzolam ad rehedificandam ciuitatem per vnum annum ante, vt inferius denotatur.

Item nos Marsilius Goorgius comes Curzole et Mellete concedimus vniuersis et singulis hominibus insule Curzole omnes terras et possessiones, quas possidebant et laborabant ac tenebant sine fraude in comitatu predicto, secundum quod iuste et pacifice et quiete possidebant et habebant per vnum annum ante nostrum aduentum ad predictam insulam, qui fuit currente *anno domini millesimo ducentesimo quinquagesimo sexto, penultimo die iulij*, quod pacifice et quiete habebant et possidebant ipsi et sui heredes in perpetuum; et de ipsis suum uelle faciant, tamsi ille possessiones uel terre fuerint ab eis habite uel possesse et a suis antecessoribus, quam si fuerint de nostro comitatu predicto.

[1] Ap. Ljubić legitur: „de hinde“.

Item nos Marsilius antedictus ordinando iubemus, quod si aliquis comitum, qui per tempora fuerint de nostris heredibus, uel successoribus, alienauerit, uendiderit, donauerit, inpignorauerit, infeudauerit, minuerit iura comitatus, uel comitatum in plures partes diuiserit,[1] ita quod duo comites uel plures simul et semel vno tempore comitatum regant, cadat de comitatu et soluat yperpera mille, quorum medietas deueniat ad meos commissaries seu constitutos seu constituendos vniuersitati eiusdem insule Curzole, res comitatus tam mobiles quam stabiles, et maior etate propinquorum de mea progenie gradatim succedat in comitatum, redimat et reducat comitatum et sua iura tam realia, quam personalia mobilia et inmobilia in statum pristinum integre absque aliqua diminucione. Et si quis ciuium vniuersi et singuli fecerint *aliquid contra hec statuta,* et probatum fuerit per ydoneos testes et iudicatum per iudices communis iuratos,[2] cadant ab omni iure suo ad uelle comitis.

„Ego Marsilius comes Curzole et Mellete iuro bona fide sine fraude regere comitatum, custodire, manutenere, defendere homines istius ciuitatis et insule eius ad honorem dei et bonum statum ciuitatis Curzole et non diminuere comitatum nec res comitatus, vt supradictum est, et facere racionem omnibus et singulis ciuibus eque, sine personarum accepcione secundum ciuitatis scripta statuta et scribenda cum laude maioris partis ciuitatis, et que scripta non sunt, secundum puram conscienciam, iusticiam dare equaliter cunctis *per hec sancta dei euangelia.*"

„Ego p. iuro ad sancta dei euangelia bona fide sine fraude seruare fidelitatem domino Marsilio nostro comiti et custodire illum in persona et rebus mobilibus et inmobilibus et in omnibus racionibus sui comitatus, et adiuuare illum contra omnes homines, qui maliciose uel aliquo modo uel ingenio, palam uel clam uoluerint illum offendere personaliter uel realiter, et obseruabo ei fidelitatem in perpetuum et adiuuabo ipsum ad manutenendum bonum statum ciuitatis Curzole et comitatus illius et ueritatem[3] dabo ad omnes raciones suas et iusticias complendas et non ero in aliqua societate uel compagnia per sacramentum uel fidanciam aut per promissionem, aut per vllum ingenium contra honorem domini nostri comitis et contra salutem ciuitatis Curzole aliquo tempore, et si sum in aliqua compagnia districcione sacramenti rumpam eam pro posse et non tenebo illud iuramentum uel fidanciam seu promissionem, nec aliud de cetero faciam in aliqua compagnia, immo dabo operam

---

[1] Ap. Ljubić et Hormayr: „dimiserit".

[2] Ap. Ljubić et Hormayr legitur:... „singuli fecerint et probatum etc. iuratos contra hec statuta fecerint, cadant" etc. Lectionem hanc, quae errore scriptoris difficilis est intellectu corrigendam utique censuimus.

[3] Ap. Ljubić et Hormayr: „virtutem."

toto posse conamine rumpendi eam et si scio, uel scirem aliquam compagniam factam, quam cicius potero, manifestabo eam domino, et quando dominus comes quesierit a me cohsilium, dabo ei rectum et fidelem, et ueritatem dicam et raciones et iusticias et directum in omnibus, que pertinent ad comitatum Curzole manifestabo et manutenebo, et omnia, que mihi dominus comes iuste perceperit obseruabo, et si aliquis de ipsis iusticiis uel racionibus habet aliquid, manifestabo domino comiti sine mora, et si ego habeo aliquid, reddam quam cicius potero, et amplius non tollam, et promitto bona fide sine fraude predicta omnia obseruare, et quod facio predicto domino Marsilio meo[1] comiti, tenear facere sibi et suis successoribus de quarto in quartum annum.

CAP I. DE HOMICIDIO.[2]

Item firmamus, quod quicumque fecerit homicidium, nisi se defendendo, quod possit bene probari defensio, mori debeat, si probatum fuerit ad minus per duos ydoneos testes uiros, aut accusatus confessus fuerit, uel si erit manifestum per publicam famam; et si ille talis fugerit et habuerit patrem uel matrem, uel vtrumque, post mortem eorum tota porcio sua mobilium et immobilium deueniat in potestatem[3] communitatis et sit in banno perpetualiter. Commune[4] cum maiori parte consilij vxori occisi uel suis heredibus debeat prouidere de illis bonis homicide usque ad medietatem, que peruenerint in commune. Et si illi, qui uocati fuerint per commune super hoc in testes, uenire recusauerint, uel uenti non dicerent ueritatem per iuramentum, soluant communi yperpera quinquaginta, et si non habuerint vnde soluere, manus sua dextera incidatur, et si fugerit dum non persoluerit centum yperpera, sit in banno perpetuali et forbanitus.

CAP. II. DE CONPAGNIA.

Item statuimus, quod ille, qui fecerit conpagniam contra honorem comitis et contra salutem ciuitatis et insularum, uel contra aliquos ciues, uel quod uellent resistere et impedire, quod dominus comes non impleret iusticiam, uel racionem de aliquo male-

---

[1] Sic ap. Hormayr; ap. Ljubić: „nunc comiti."

[2] Titulus iste deest ap. Ljubić. Cf. cap. I. Statuti.

[3] Ljub. et Horm.: potestate.

[4] Ljub. et Horm.: et sit in banno perpetualiter ad faciendum commune cum maiori parte etc. quod intelligi non potest. Nos vero, omissis verbis „ad faciendum", distinximus sententias distinguendas.

facto, uel maledicto per sacramentum uel promissionem aliquam firmitatis, et manifestum fuerit, uel probatum per duos ydoneos testes, ille, qui caput fuerit, perdat caput et omnia bona sua, et alii, qui fuerint in dicta conpagnia, soluat vnusquisque yperpera uigintiquinque; et si quis non habuerit vnde soluere, perdat manum dexteram; et si caput uel alii fugerint, sint in banno perpetuali et perdant omnia bona sua, et deueniant[1] in commune.

CAP. III. DE PERCUSSIONE GLADII.[2]

Item statuimus, quod quicumque percusserit aliquem de gladio, spata, uel maza de ferro, soluat uigintiquinque yperpera pro primo culpo et pro quolibet sequenti soluat quinque yperpera, nisi se defendendo, quod possit probari per duos ydoneos uiros; et si ille fugerit, comes accipiat de suis rebus in duplum; et si non habuerit tantas res, sit in banno quamdiu persoluerit bannum antedictum; et si non fugerit et captus fuerit et non habuerit vnde soluere, perdat manum dexteram; et percusso dominus comes cum maiori parte consilii a medietate banni et infra ad suum uelle prouideat.

CAP. IV. DE PERCUSSIONE PETRE.[3]

Item statuimus, quod quicumque percusserit aliquem de petra uel de maza alia preter quam de ferro, perdat quinque yperpera pro primo culpo, et pro quolibet culpo sequenti perdat duo yperpera;[4] et si percussus occasione[5] illius percussionis amitteret aliquod membrum, percussor perdat uigintiquinque yperpera; et si non habuerit vnde soluere, frustetur[6] et bulletur cum sola vna impressione sigilli; et si fugerit, comes accipiat de suis bonis in duplum; et si non habuerit tantas res, sit in banno, quamdiu soluerit bannum antedictum duplum; et percusso dominus comes cum maiori parte consilii a medietate banni et infra ad suum uelle prouideat.

---

[1] Sc. bona eorum.

[2] Cf. cap. III. Statuti.

[3] Sic Ljubić. Apud Hormayr: „De percussione“ tantummodo legitur. Cf. cap. IV. Statuti.

[4] Verba: „pro primo“ usque ad „yperpera“ apud Horm. apposita, ap. Ljubić desunt. Nos vero, respectu habito eorum, quae in cap. IV. Statuti dicuntur, et hic ista posuimus.

[5] Horm. habet: „accaso“, quod sensui non concordare censemus.

[6] Ap. Horm. „frustretur“, sine dubio errore typogr. legitur.

CAP. V. DE PERCUSSIONE MANUS.[1]

Item statuimus, quod si quis percusserit de manu uel iniecerit manus in aliquem uiolentas, perdat yperpera tria; et si non habuerit vnde soluere, frustetur; et si fugerit, comes accipiat de rebus suis in duplum; et si non habuerit tantas res, sit in banno, quamdiu persoluerit antedictum duplum; et si percussus reclamauerit, habeat medietatem banni et infra ad uoluntatem comitis et maioris partis consilii.

CAP. VI. DE LATRONIBUS.

Item statuimus, vt quicumque furatus fuerit peccus uel peccora, oues uel minutas bestias, reddat furtum in quadruplum; et porcum et asinum in triplum; boues et equos et iumenta in duplum et perdat ueritatem in perpetuum et credenciam in omni causa, et de pretio furti detur plena fides patrono, cui furtum fuerit,[2] per iuramentum. Et si furtum fecerit aliquis de ualencia duorum yperperorum et infra, et non habuerit vnde soluere, secundum quod dictum est supra, frustetur; et de ualencia duorum vsque quinque, et non habuerit vnde soluere, secundum quod dictum est supra, frustetur et bulletur vna impressione; et de ualencia quinque yperperorum vsque x. secundum quod dictum est supra, et non habuerit vnde soluere, perdat oculum sinistrum; et de ualencia decem vsque ad uiginti yperpera, et non habuerit vnde soluere, secundum quod dictum est superius, perdat manum sinistram; et de ualencia xx. vsque ad xxx. yperpera et non habuerit vnde soluere, secundum quod dictum est super, suspendatur; et si fugerit, sit in banno perpetuali et perdat omnia bona sua et deueniant[3] in commune. Et si ille, cui furtum[4] fuerit, non accusauerit uel concordauerit cum latrone et comes per alios sciuerit, habeat et portet illam penam, quam huiusmodi deberet fur portare, et latro suprascriptam penam portet; et si ille cui factum fuerit furtum, infra octo dies reclamauerit coram domino comite, habeat medietatem banni, et si non reclamauerit, et comes per alios sciuerit, nihil habeat, sed perdat penam istam.

---

[1] Cf. cap. V. Statuti.
[2] Sc. factum. Pretium rei patronus iuramento suo affirmare debebat.
[3] Sc. bona ipsius.
[4] Sc. factum. Cf. inf.

CAP. VII. DE LATRONIBUS.[1]

Item statuimus, vt quicumque furatus fuerit in uinea fructus uel in campis segetes uel frumenta, uel bladum uel legumina, uel in ortis olera uel fructus, et probatum fuerit per vnum ydoneum testem cum iuramento et patronus affirmare uoluerit cum iuramento de quantitate furti, et quod uerum sit, quod furtum factum sit ei, fur restituat patrono totum furtum et soluat, si factum fuerit in die, quatuor yperpera et si in nocte, sex. Si patronus accusauerit furtum coram domino comite infra octo dies post furtum factum, habeat medietatem banni; quod si non accusauerit cum eo latrone, et comes per alios sciuerit, habeat et portet illam penam, quam fur huiusmodi debet portare et nichil sibi restituatur de banno isto et latro penam istam portet et perdat ueritatem; et si fugerit, sit in banno, quamdiu satisfecerit in duplum de banno isto.

CAP. VIII. DE ROBATORIBUS.[2]

Item statuimus, quod si quis robauerit[3] stratam in terra uel mari in nostro comitatu siue districtu, et acceperit uiolenter siue ciuis siue forensis ab vno yperpero et infra, persoluat quadruplum et perdat ueritatem et credenciam in perpetuum; et si non habuerit vnde soluere, frustetur et bulletur vna impressione, et ab vno yperpero vsque ad tria, et non habuerit vnde soluere in quadruplum, perdat vnum oculum[4] et a tribus vsque ad sex, et non habuerit vnde soluere quadruplum, perdat manum dexteram, et a sex vsque ad decem, et non habuerit vnde soluere quadruplum, perdat ambos oculos, et a decem superius, et non habuerit vnde soluere quadruplum, suspendatur; et si fugerit, sit in banno perpetuali et perdat omnia bona sua et deueniant in commune.

CAP. XI. DE EUNTIBUS IN CURSUM.[5]

Item statuimus, quod nullus ciuis debeat ire in cursum, et si quis iuerit, sit forbanitus in perpetuum ab illo die, quo inceperit

[1] Cf. cap. XIV. Statuti.

[2] Titulus deest ap. Ljubić et Hormayr. Nos vero apposuimus istum ad instar cap. XV. Statuti.

[3] Horm. legit roborauerit, quod evidenter est falsum.

[4] Ap. Ljubić: articulum, quod nequaquam probari posse, ex cap. XV. Statuti nec non ex poena perditionis amborum oculorum, inferius sequenti, constat. Cf. et infra cap. XI.

[5] Apposuimus, quamquam deest ap. Ljub. et Horm. Cf. cap. XVI. Statuti.

cursum facere; et si quis ciuium emerit a cursariis aliquid, perdat totum illud, quod emerit et deueniat[1] in commune; et si quis emptorem manifestauerit, habeat quartam partem rerum emptarum.

CAP. X. DE NAUI FRACTA.[2]

Item statuimus, quod si aliqua nauis propter naufragium ruperit[3] in nostri comitatus districtu, et homines nostrarum insularum iuuarent extrahere et traxerint de naui fracta seu mari, habeant quartam partem omnium rerum, quas ipsi traxerint in terram, seu in locum tutum.

CAP. XI. DE MULIERE SFORZATA.

Item statuimus, quod si aliquis sforzauerit mulierem solutam et ei fuerit equalis in genere, iuxta prouidenciam domini comitis uel consilii uel accipiat eam in vxorem, uel soluat ei triginta yperpera pro suis dotibus: et si fuerit ligata uel religiosa, uel nupta, soluat ei triginta yperpera pro iniuria.[4] Et si non fuerit equalis ei in genere, et rusticus sforzauerit aliquam nobiliorem se, incidatur ei pes et perdat oculum sinistrum, et si fugam ceperit, omnia bona deueniant in commune et commune prouideat mulieri passe iniuriam vsque ad triginta yperpera, si tanti ualoris fuerint bona sua, quod si non, prouideat ei secundum ualorem bonorum suorum.

CAP. XII. DE ERBARIA.[5]

Item statuimus, quod si aliqua mulier uel uir fecerit erbariam uel maleficium erbarie, propter quod homines possent mori uel perdere sensum uel membrum, et quod possit probari saltem per duos uiros ydoneos, quod per ipsam erbariam sit mortuus uel amiserit sensum uel membrum, igne comburatur; et si non moritur, uel non amittat sensum uel membrum,[6] sit in prouidencia domini comitis, qui habeat consilium, cum quibus sibi placuerit; et si fugerit, sit in banno et perdat omnia sua bona et deueniant in commune.

---

[1] Sc. res empta.
[2] Deest ap. Ljubić et Hormayr.
[3] Apud Hormayr: „rup*is*“ (?).
[4] Sic legitur ap. Hormayr. Apud Ljubić desunt verba: „suis dotibus“ usque ad „yperpera pro“.
[5] Deest ap. Ljubić. Cf. cap. XVII. Statuti.
[6] Verba: „igne — membrum“ desunt ap. Ljubić.

CAP. XIII. DE PERCUSSIONE MULIERUM.[1]

Item statuimus, quod si alique se mulieres ad inuicem percuterent de petra uel maza, aut fecissent percutere, que erit culpabilis, perdat yperpera sex et si non habuerit vnde soluere, stet in carcere quantum diu soluerit, et si percuteret de manibus, perdat tria yperpera et si non habuerit vnde soluere, stet in carcere quantum diu soluerit; et si percussa moriretur, percutrix pro homicida condempnetur, vt supra dictum est de homicidis. Et si vna dixerit alteri meretrix, et probatum fuerit ei per vnum testem, perdat vnum yperperum et percussa et que passa fuerit iniuriam, habeat medietatem banni.

CAP. XIV. DE FALSARIIS CARTARUM.[2]

Item statuimus, quod ille, qui fecerit cartulam falsam et probatum fuerit per duos ydoneos uiros, quod falsa est, perdat manum dexteram scriptor et ille qui fecerit eam fieri, uel aduxerit pro suo iuuamine ad placitum, perdat placitum et yperpera xx. et ueritatem suam in perpetuum in omnibus; et si carta fuerit patris uel aui aut suorum antecessorum, et uenerit ad placitum cum ea et probata et iudicata fuerit falsa per comitem et per maiorem partem suorum iudicum uel in toto uel in parte, uel uiciata, ille, qui duxerit eam, purget se iuramento duodecima manu sua, quod cartam illam nesciuit esse falsam, nec fecit eam fieri, nec sit falsarium, nec argumentauit eam per se uel alios, et perdat tantum placitum. Et si per ydoneos testes probatum fuerit, quod habuerit culpam de ille carta, perdat placitum et yperpera xx. et ueritatem suam et si iurare non poterit, eandem penam paciatur.

CAP. XV. DE FALSO TESTE.[3]

Item statuimus, quod si quis uocatus fuerit in testem et dixerit falsum testimonium et sibi probatum fuerit per duos uiros ydoneos, restituat illi, contra quem dixerit falsum testimonium totum illud, quod perdidit in placito propter suum falsum testimonium,[4] et perdat suam ueritatem et credenciam in omnibus et insuper amittat yperpera xv. et si fugerit sit in banno perpetuali.

---

[1] Deest ap. Ljubić. Cf. cap. XVIII. Statuti.

[2] Deest ap. Ljubić. Cf. cap. XIX. Statuti.

[3] Posuimus, respectu habito cap. XX. Statuti, quamquam deest ap. Ljubić et Hormayr.

[4] Verba: „totum“ usque ad „testimonium“ desunt ap. Ljubić.

CAP. XVI. DE PERCUSSIONE OFFICIALIUM.[1]

Item statuimus, quod quicumque percusserit quemcumque officialium[2] perdat yperpera decem; (si autem)[3] uel preconem, uel scutiferum uel nuncium curie, soluat yperpera quinque et si non habet vnde soluere, frustetur.

CAP. XVII. ORDINAMENTUM PRO SONITU CAMPANE.[4]

Item statuimus, quod si quis inuentus fuerit in nocte post tercium sonitum campane sine lumine uel stictio igneo ardente, det yperperum dimidium et cetera prout comes cum suo consilio uoluerit ordinare.

CAP. XVIII. DE TABERNARIJS.

Item statuimus, quod nullus tabernarius teneat tabernam apertam post sonitum campane secundum, et qui contrafecerit, uel uinum uendiderit, perdat denarios grossos octo, et si quis accusauerit, habeat medietatem.

CAP. XIX. DE UENDITIONE UINI.[5]

Item statuimus, quod si quis uendiderit uinum sine ordinamento domini comitis, uel eorum, qui erunt ordinati super hoc, soluat vnum yperperum et nichilominus ordinamentum recipiat a predictis et hoc teneatur facere tam in ciuitate, quam in insulis; et si quis accusauerit, habeat medietatem banni.

CAP. XX. DE UICTUALIBUS.[6]

Item statuimus de uictualibus, qui debent conducere in ciuitatem sub certo tempore, secundum quod inuentum fuerit et ordinatum per maiorem partem minoris consilii, seruentur in perpetuum.

CAP. XXI. DE MALEDICTIS.

Item statuimus, quod si quis uir uel mulier dixerit inter se uerba iniuriosa iudicibus ant consiliariis uel aliis officialibus, uel alia malefacta, que non sunt ante scripta in predictis capitulis, sit in

---

[1] Cf. cap. XXI. Statuti.
[2] Sic ap. Hormayr. Ljubić legit: „percusserit officialem".
[3] Apposuimus disjungendi sententias causa.
[4] Sic Hormayr. Ap. Ljubić: „O. post sonitum c."
[5] Deest ap. Ljubić et Hormayr.
[6] Cf. cap. XXI. Statuti.

prouidencia domini comitis et duorum de consilio, cum quibus comes uoluerit habere consilium; et tantum soluat inferius per ratum, quantum est minus[1] iniuriosum maledictum de male facto; et persona, que passa iniuriam maledicti uel malefacti, si reclamauerit, habeat medietatem banni.

CAP. XXII. DE UOCATIONE AD PLACITUM SUPER MALEFICIO.[2]

Statuimus, quod quicumque uocatus fuerit per comitem super maleficio uel maledicto per preconem preconizando in platea, si non uenerit, vbicumque fuerit, sub termino sibi assignato, sit culpabilis et portet illam penam secundum modum et ordinem statutum de maledictis[3] uel malefactis superioribus.[4]

CAP. XXIII. DE RATIONIBUS.[5]

Item statuimus, quod si aliquis uocatus fuerit ad rationem de mandato domini comitis per suum nuncium siue uerbo preconis siue per alium hominem cum sigillo, et non uenerit, cadat de iure suo super querimonia sibi facta,[6] nisi iustum habeat impedimentum, de quo se mandet excusando coram domino comite et comes cum maiori parte iudicum prouideat super illo impedimento, quod si iustum fuerit, det sibi terminum largiorem in prouidencia domini comitis.

CAP. XXIV. DE ELECTIONE IUDICUM ET OFFICIALIUM.

Item statuimus, quod comes, qui pro tempore fuerit uel uicecomes eligat tres iudices de medio in medium[7] annum et tres consiliarios, vt omnes sex sint consiliarii de paruo consilio per sacramentum ad iudicandum et consulendum quilibet in suo officio secundum formam statutorum ciuitatis et capitularis sibi dati, et comes cum illis sex uel maiori parte alios officiales eligat. Et iudices debeant iuste iudicare, odio, amore, timore, precio postposito,

---

[1] Ap. Ljubić: „nuncius", quod evidenter est falsum.

[2] Ap. Ljubić: „Si uocatus ad placitum super maleficio". Cf. cap. XXIII. Statuti.

[3] Ap. Ljubić et Hormayr: „antedictis", quod nullo modo probari posse censemus.

[4] „Superioribus" deest ap. Ljubić.

[5] Deest ap. Ljubić et Hormayr. Cf. cap. XXIV. Statuti.

[6] Ap. Ljubić: „super quesimoniam sibi facta tanta" sensui minime conveniunt.

[7] Apposuimus, quamquam deest ap. Ljubić et Hormayr. Cf. cap. XXVI. Statuti.

secundum statuta ciuitatis et vbi statuta non erunt scripta, secundum bonam et puram conscienciam suam et super quacumque re duxerint sentenciam promulgandam; habeant quindecimum pro salario; et si aliquis inceperit[1] respondere coram curia et placitare, non possit refutare aliquem iudicum, neque totam curiam et antequam sentenciam iudices dederint, accipiant pignora pro suo salario ab illo, pro quo sentencia est ferrenda et debeant esse omnibus iudices preter quam familie[2] comitis et eorum, qui ei pro denarijs seruiunt panem suum comedendo, quos comes debet examinare et iudicare ad suum uelle iuxta eorum merita.

CAP. XXV. DE RECUSATIONE JUDICUM.[3]

Item statuimus, quod si aliquis iudicum uel consiliariorum pertinuerit alicui, qui erit in placito, uel indiguerit consilio in tercio gradu consanquinitatis et supra, uel si fuerit agnatus in illo casu et placito seu consilio, licencietur a comite et aduersa pars possit nunciare domino comiti hoc si nesciuerit.

CAP. XXVI. DE ADUOCATIS.[4]

Item statuimus, quod per comitem et maiorem partem parui consilii duo aduocati debeant eligi, qui debeant aduocare propria iura hominum[5] tam insularum, quam forensium et defendere coram domino et suis iudicibus uel arbitris iusticias et rationes per sacramentum de medio in medium annum, vnusquisque pro parte sua et quilibet debet habere pro salario vnum denarium grossorum pro qualibet lite.[6]

CAP. XXVII. DE EODEM.

Item statuimus, quod in secundo gradu consanquinitatis et infra litem aduocatus iuratus si pertinuerit alicui, aduocare non teneatur contra illum si noluerit.

---

[1] Ljubić: „incipe"; Hormayr: „inecpe" (?).

[2] Horm: „qua familia".

[3] Neque Ljubić, neque Hormayr inscripserunt hoc capitulum. Cf. cap. XXVII. Statuti.

[4] Quod ad inscriptionem hujus, ac sequentium duorum capitulorum attinet, cf. cap. XXIX—XXXI. Statuti. Ap. Ljubić et Hormayr haec cap. non inscribuntur.

[5] Deest ap. Ljubić.

[6] Sic Hormayr. Ap. Ljubić legitur: „pro quolibet". Respicientes l. c. Statuti, potiorem habemus lectionem Hormayrii.

CAP. XXVIII. DE EODEM.

Item statuimus, quod per dominum comitem et per maiorem partem parui consilii duo aduocati debeant eligi de medio in medium annum, qui debeant inquirere et defendere iusticias et rationes communitatis per sacramentum et placitare coram curia[1] contra omnes malefactores et maledictores[2] preter quam contra consanquineos in secundo gradu et supra et cognatum[3] et debent habere decimam partem omnium rerum acquisitarum et iudicatarum communitati et illis personis, que portionem debent habere de penis malefactorum et maledictorum.

CAP. XXIX. DE ARBITRIS.[4]

Item statuimus, quod si aliquis uocatus fuerit ad placitum preter quam de maledicto uel malefacto, et noluerit respondere et placitare coram domino, curia, vtraque pars eligat arbitros, vna pars vnum uel duos, et altera pars totidem, et vnum det comes de medio nulli partium suspectum nec attinentem vni plus quam alteri, qui arbitri infra terminum, quem eis dominus comes prefixerit, diffiniant partes per sentenciam uel concordent sub pena sibi a domino comite data; et arbitri ab vno yperpero supra[5] debeant dare sentenciam in presencia domini comitis.

CAP. XXX. DE DILATIONIBUS.[6]

Item statuimus, quod si aliquis fuerit uocatus ad palacitum super aliqua ratione preter quam de maledicto uel de malefacto et quesierit terminum ad respondendum, si questio erit de v. yperperis et supra, uiro detur terminus octo dierum et uidue quindecim; et a quinque vsque ad vnum, uiro detur terminus quatuor dierum et mulieri vidue octo et ab vno inferius uiro detur terminus vnius diei et mulieri uidue duorum dierum.

CAP. XXXI. DE PLEZARIA ANTE IUDICIUM.[7]

Item statuimus, quod si aliquis uocatus fuerit ad placitum et aliquis quesiuerit ab vno yperpero super contra ipsum, ille, qui

[1] Deest ap. Hormayr.
[2] Ap. Ljubić et Hormayr: „maledict*os*“.
[3] Ap. Ljubić: „cognat*us*“.
[4] Deest ap. Ljubić et Hormayr. Inscripsimus ad instar cap. XXXII. Statuti.
[5] Deest ap. Hormayr.
[6] Deest inscriptio ap. Ljubić et Hormayr. Cf. cap. XXXIII. Statuti.
[7] Deest ap. Ljubić et Horm. Apposuimus titulum ex cap. XXXIV. Statuti.

fuerit uocatus, si non habuerit patrimonium seu mobilia in insula tanti ualoris, quanti erit placitum et peticio erit super eum, det plezariam soluere iudicatum.

CAP. XXXII. DE IUDICIIS FORENSIUM.[1]

Item statuimus, quod si uiatores, qui sunt in procinctu itineris forenses contra homines insule placitare uoluerint de aliqua ratione eadem die contracta, homo insule teneatur sibi statim sine aliquo termino respondere; et si ille forensis traheret hic moram, respondeat sibi vsque ad duos dies et sicut homo insule tenetur forensibus respondere, sic et forenses teneantur eis sub eodem termino et titulo facere rationem.

CAP. XXXIII. DE REFUTATIONE TESTIUM.[2]

Item statuimus, quod nullus, qui pertinuerit alicui in tercio gradu et super, uel cognatus fuerit, non possit perhibere testimonium pro ipso, sed contra ipsum sic.

CAP. XXXIV. DE EODEM.[3]

Item statuimus, quod nullus forensis, nec inimicus manifestus, neque robator strate, neque forbanitus, neque illi, qui amiserint suam credenciam et ueritatem[4] propter suum malefactum, super quo fuerint conuicti et condempnati per curiam, debeant recipi in testes.

CAP. XXXV. DE ARRIS.[5]

Item statuimus, quod si quis mercator emendo[6] aliquid ab aliquo, dederit vnum denarium paruum pro arris, mercatum sit firmum et uenditor teneatur dare et emptor recipere merces; ab vno denario supra si aliquis dederit arras, pro quo remanebit mercatum, ille teneatur soluere alteri parti arras in duplum.

CAP. XXXVI. DE TESTAMENTO.[7]

Item statuimus, quod si aliquis homo decesserit tam cum testamento, quam sine testamento, et habeat vnum filium uel plures

[1] Deest ap. Ljubić et Hormayr. Cf. cap. XXXV. Statuti.
[2] Deest ap. Ljubić. Cf. cap. XXXVI. Statuti.
[3] Cf. cap. XXXVII. Statuti.
[4] Ap. Ljubić: „virtutem".
[5] Cf. cap. XXXVIII. Statuti.
[6] Deest ap. Ljubić.
[7] Cf. cap. XXXIX. Statuti.

[illegible] de [illegible] de pluribus matrimoniis de-
[illegible] a [illegible] [illegible] mobilibus, quam immobilibus
et [illegible] [illegible] equaliter bona [illegible]: et si aliquis filiorum ha-
[illegible] filium,[1] uel filios, nepotem uel nepotes infra gradum succe-
dant,[2] et recipiant [illegible] filio et patre, partem patris sui et
[illegible] per [illegible] omnium: et si non ha-
[illegible] fratrem uel filium uel filios, uel habuerit filiam uel
filias, [illegible] habeant partem patris sui sicut [illegible] fratrum et si
[illegible] fratres habuerit [illegible] uel sorores, teneantur maritare ipsam
uel ipsas [illegible] et [illegible] omnium animam. quod si noluerint,[4]
possint se maritare, recipiendo portionem omnium rerum patris
per [illegible] capitum [illegible] omnium proximiorum.

CAP. XXXVII. DE DIVISIONE HEREDUM DUARUM VXORUM.[5]

Item statuimus, quod si aliquis habuerit de prima vxore filiam uel filias et de secunda et supra filium uel filios, et e conuerso,[6] omnes coequaliter diuidant bona patris.

CAP. XXXVIII. DE VXORE UIDUATA.[7]

Item statuimus, quod si aliquis homo habuerit vxorem et decesserit et vxor eius uoluerit possidere lectum mariti sui et non se maritare cum alio, possideat dotes suas et omnia bona uiri sine anichilatione uoluntaria et sit domina: et si uoluerit se maritare, extrahat tantum dotes suas et totum patrimonium remaneat heredibus.

CAP. XXXIX. DE EXTRACTIONE PRO ANIMA.[8]

Item statuimus, quod si uir uenerit ad mortem, possit extrahere de rebus suis mobilibus pro anima sua ad suum uelle.

[1] Ap. Ljubić evidenter false legitur: „dandi".
[2] Ap. Ljubić additur: „vel filiam", quod nequaquam probari posse, ex sequentibus patet.
[3] Ap. Ljubić et Hormayr acceptam lectionem: „uel nepotes *et* infra gradum, succedant et recipiant", sensui minime convenientem, emendavimus secundum sententiam, l. c. Statuti memoratam.
[4] Ap. Ljubić et Hormayr: „*u*oluerint".
[5] Cf. cap. XLI. Statuti.
[6] „Et e conuerso" deest ap. Hormayr.
[7] Cf. cap. XLII. Statuti.
[8] Deest ap. Hormayr. Cf. cap. XLIV. Statuti.

CAP. XL. DE ILLO, QUI MORITUR SINE HEREDIBUS INTESTATUS.[1]

Item statuimus, quod si aliquis moriatur intestatus, et non habuerit heredes, omnia bona sua deueniant ad patrem; et si non habuerit[2] patrem deueniant ad fratrem uel ad fratres uel heredes eorum; et si non habuerit fratrem uel fratres uel heredes eorum, deueniant ad propinquiorem de sua progenie.

CAP. XLI. DE CONFECTIONE TESTAMENTORUM.[3]

Item statuimus, quod si aliquis uoluerit condere testamentum tam in infirmitate corporis, quam in sanitate, dum tamen sit in sua bona memoria, debeat facere coram quatuor testibus, si non erit ibi notarius, et si erit, cum tribus testibus, alioquin nullius sit ualoris testamentum. Et si non erit ibi notarius, et fecerit coram quatuor testibus, heredes uel successores inducant testes, vt ueniant coram iurato notario communis[4] et duobus iudicibus, et perhybeant testimonium de testamento, de quo conficiatur publicum instrumentum infra xx. dies, alioquin testamentum sit friuolum et inane et heredes et successores, qui non induxerint eos ad testificandum intra illud tempus, restituant male ablata, si que testatoris fuerint et soluant communi[5] yperpera decem; et si plura testamenta fecerit, vt primum ualeat et omnia alia sunt cassa.

CAP. XLII. DE MERCATORIBUS.[6]

Item statuimus, qaod si aliquis pater miserit aliquem filium ad mercandum lucrum, et damnum, quod Deus auertat, erit supra bonis patris, et si non iuerit de uoluntate patris ad mercandum,[7] damnum, quod sibi acciderit sine aliqua obligacione debiti, non erit super patrem neque super res eius; et hoc intelligendum est de filio non diuiso a patre que diuisio debet approbari per ydoneos testes, siue per iuramentum, quia pater est et debet esse dominus in uita[8] sua et mater post mortem uiri sui.

---

[1] Cf. cap. XLV. Statuti.
[2] Verba: „heredes“ usque ad „habuerit“ desunt ap. Hormayr.
[3] Ap. Ljubić: „testamenti“. Cf. cap. XLVI. Statuti.
[4] Ap. Hormayr: „Comitis“.
[5] Ap. Hormayr: „Comiti“.
[6] Ap. Ljubić: „mercacionibus“. Cf. cap. XLVII. Statuti.
[7] Ap. Hormayr: „ad indicandum damnum“.
[8] Ap. Hormayr: „iura“, quod evidenter falsum esse constat.

CAP. XLIII. DE CUSTODIBUS IN NOCTE.[1]

Item statuimus, quod custodes de nocte debeant uigilare de ebdomada in ebdomadam per iuramentum et custodire fideliter et si aliquis obdormiret, qui deberet stare in sua uigilia, soluat denarios xij paruos, et si uenire noluerit, qualibet nocte, soluat per[2] totam ebdomadam denarium grossorum vnum, cuius medietas deueniat communi et alia custodibus.

CAP. XLIV. DE EXTRACTIONE BLADI EXTRA CIUITATEM.[3]

Item statuimus, quod quicumque extraxerit frumentum uel blada uel legumina extra ciuitatem et insulam, uel extraneis uendiderit ad portandum extra in alias partes, uel alienas prouincias, perdat totum frumentum uel blada uel legumina, qui sine precepto comitis fecerit hoc aliquo modo uel ingenio, et qui accusauerit, uel apprehenderit, habeat terciam partem tocius bladi.[4]

CAP. XLV. DE FRAUDATIONE DACIJ.[5]

Item statuimus, quod quicumque fraudauerit dacium aliquod ordinatum per comitem uel per maiorem partem[6] sui consilij, soluat in triplum dacium illud, quod fraudauerit, et qui accusauerit et probatum fuerit, habeat terciam partem.

CAP. XLVI. DE ILLIS, QUI CONDUCUNT HOMINES EXTRANEOS IN INSULAM AD RAPIENDUM.[7]

Item statuimus, quod quicumque conduxerit[8] de alia prouincia extraneum hominem in ciuitatem uel insulas aliquo signo uel ingenio uel indicatione uerbi uel facti, et tradiderit aliqua animalia et ei probatum fuerit per vnum ydoneum testem, uel confessus fuerit, restituat patrono omnia animalia et communi persoluat, vt supra dictum est in capitulo furti, et si combuserit uel fecerit

---

[1] Cf. cap. XLIX. Statuti.
[2] Ap. Hormayr: „vsque per“
[3] Cf. cap. L. Statuti.
[4] Lectiones corruptas ap. Ljubić et Hormayr: „qui accusauerit, habeat terciam partem, uel apprehenderit, tocius (terciam H.) blave“ corrigendas fuisse censemus ad instar cap. cit. Statuti.
[5] Cf. cap. LI. Statuti.
[6] Deest ap. Hormayr.
[7] Cf. cap. LII. Statuti.
[8] Deest ap. Hormayr.

comburi traditione et fraude, uel alias res tradiderit, perdat quadruplum in bladis et in rebus, quarum duas partes, si accusator uenerit ad patronum et dixerit malefactorem, patronus cum accusatore habeant tres partes, et si accusator uenerit ad comitem et manifestauerit malefactorem, patronus habeat solum terciam partem et commune cum accusatore alias duas partes; et si tradiderit aliquam personam hominis propter quod fuerit extracta furtiue ab insula, et sibi probatum fuerit per vnum ydoneum testem, si fuerit in seruitute, restituat patrono xx. yperpera uel seruiat ei[1] quamdiu restituerit seruum uel ancillam, et si fuerit in libertate,[2] soluat propinquioribus de parentela yperpera xxx, et sit in seruitute illi propinquo; et si non potuerit soluere, perdat vnum pedem, et nichilominus sit in seruitute quamdiu restituat personam traditam; et si fugerit, sit in banno perpetuali et perdat omnia bona sua, de quibus dentur propinquiori xxx. yperpera et residuum deueniat in commune.

CAP. XLVII. DE ORDINAMENTO SALIS.[3]

Item statuimus de sale, quod secundum quod ordinauerit comes cum maiori parte maioris consilij, in perpetuum obseruetur.

CAP. XLVIII. DE REFUTATIONE OFFICIALIUM NOLENCIUM ESSE IN OFFICIO.[4]

Item statuimus, quod si aliquis electus fuerit in nuncium uel in iudicem, uel in consilium, uel in aliquod officium ciuitatis, et esse noluerit, soluat yperpera v. nisi iustum impedimentum habuerit et sit in examinacione comitis et maioris partis minoris consilii.

CAP. XLIX. DE ORDINAMENTO UINI.

Item statuimus de uino, quod secundum quod ordinauerit comes cum maiori parte minoris consilii, seruentur in perpetuum.

CAP. L. DE PERCUSSIONE INFANCIUM.[5]

Item statuimus, quod infans a xiiij annis et infra et femina similiter, que fecerit aliqua de maleficijs prelibatis, sit in prouidencia domini[6] comitis et parui consilii ad puniendum eam, secundum quod ei iustius uidebitur.

---

[1] Ap. Ljubić: „servat et“.
[2] Deest ap. Hormayr.
[3] Cf. cap. LIII. Statuti.
[4] Cf. cap. XXVIII. Statuti.
[5] Cf. cap. LIV. Statuti.
[6] Ap. Hormayr: „dicti“.

CAP. LI. DE BLASFEMIA DEI.[1]

Item statuimus, quod si quis blasfemauerit deum uel sanctos suos, uel sacramenta ecclesiae et probatum ei fuerit per vnum testem, soluat vnum yperperum, et si non dederit, ligetur ad palum et stet per vnum diem ligatus et qui manifestauerit, habeat medietatem banni.

CAP. LII. DE UENDITIONE ARMORUM.[2]

Item statuimus, quod si quis uendiderit aliqua arma cursariis sine precepto domini comitis, soluat yperperos quatuor et perdat arma uel in quantum ualuerint arma, et accusator habeat medietatem banni et armorum.

CAP. LIII. DE UETATIONE ARMORUM.[3]

Item statuimus, quod quando comes uetauerit portare arma in die uel in nocte, secundum quod ordinatum fuerit et inuentum per ipsum et per maiorem partem parui consilii, seruetur in perpetuum.

In nomine Christi Dei eterni amen. Anno ab incarnacione domini nostri Jesu Christi millesimo ducentesimo septuagesimo primo, indictione quarta decima.

Nos Marsilius Georgius dei gracia comes Curzole et Melete, vna cum iudicibus et consiliariis et cum laudacione tocius populi insule Curzole in rengo publico laudato, prouidentes prouidimus illud, quod fuisset incrementum insule nostre ad hoc, vt bonum statum habeat, et de bono in melius augmentetur, existente vice comite pro dicto[4] Marsilio Georgio in Curzola nobile viro Lumpri[5] de Ceuallellis, filio domini Johannis de Ceuallellis de Jadra. Et super hoc missus fuit michi comiti Marsilio nobilis uir Iurcus de Bogodislo ciuis et fidelis noster,[6] ad confirmandum a me statuta inferius scripta, et nos uolumus, quod iudices, quando incipiunt et recipiunt officium iudicatum, debeant iurare in istis statutis, sicut et in aliis iurant, facere iusticiam et racionem, et teneantur per sacramentum de istis sicut de aliis.

---

[1] Cf. cap. LV. Statuti.
[2] Cf. cap. LVI. Statuti.
[3] Cf. cap. LVII. Statuti.
[4] Ap. Hormayr: „domino".
[5] Ap. Hormayr: „nobil*em* vir*um* Lumpum".
[6] Ljubić et Hormayr admodum corruptas hoc loco habent lectiones, quas emendandas utique putavimus.

CAP. I. DE INTRANTIBUS TERRAM ALIENAM.[1]

Statuentes statuimus, quod nullus homo neque femina sit ausus intrare terram alicuius persone nisi fuerit de licencia et mandato ipsius, cuius est terra, et si intrauerit sine licencia domini terre, perdat yperpera v. que ueniant ad commune et totum laborerium, quod miserit uel fecerit in eam, et laborerium, quod factum fuerit, sit domini, cuius est terra, nisi fuerit propinquus specialis,[2] qui habeat partem in dicta terra et ille, qui inceperit laborare, non perdat laborerium suum sed si aliquem propinquum suum habet aliquod ius in dicta terra, debeat satisfacere dicto inceptori secundum quod pro bonis hominibus erit iudicatum, qui dati fuerint a Comite[3] uel ab aliis, qui pro loco eius erunt, et soluat quilibet propinquus partem suam si uoluerit habere partem in dicto laborerio.

CAP. II. DE INTRANTIBUS DOMUM ALIENAM.[4]

Item statuimus et ordinamus, quod nullus homo nec femina sit ausus intrare in aliquam domum, et si intrauerit, soluat yperperos vj. quorum medietas sit communis et alia medietas illius, cui uis[5] facta est, et si concordauerit ille, cui facta est, amittat partem suam si probatum fuerit per bonos et ydoneos testes, uel per publicam famam erit manifestum.

CAP. III. DE TERMINO AD PLACITUM.[6]

Item statuimus et ordinamus, quod si aliquis uocatus fuerit ad placitum per furtum, et pecierit consilium, habeat terminum per tres dies et si non uenerit infra tres dies, cadat ab omni iure suo de dicto furto et super omnia bona sua soluat dictum furtum et bannum ordinatum, et non habeat aduocatum nisi melior (sit)[7] de domo sua. Et si fuerit aliquis insensatus uel follus, de dando ei aduocatum sit in prouidencia comitis uel uicecomitis et sue curie.

---

[1] Cf. cap. LVIII. Statuti. Neque praesens, neque sequentia capitula hujus augmentationis statutorum suprascriptorum sunt inscripta. Nos vero inscriptiones ex ipso Statuto quantum potest posuimus.

[2] Ap. Hormayr: „personalis".

[3] Ap. Ljubić: „commune".

[4] Cf. cap. LIX. Statuti.

[5] Ap. Ljubić et Hormayr legitur: „cuius vim f. e." quam lectionem corrigendam esse censemus ad instar lectionis cap. c. Statuti.

[6] Cf. cap, LX. Statuti.

[7] Apposuimus, quamquam deest ap. Ljubić et Hormayr.

CAP. IV. DE EDIFICATIONE DOMORUM.

Item statuimus, quod si aliquis hedificauerit domum in ciuitate cum calcina, si data fuerit sibi dicta domus per me comitem Marsilium uel per meum uicecomitem, sit sua, et si tenet eam in pace vno anno, saluo si ille non est in ciuitate in illo anno ad habitandum in ea, sicut alii ciues faciunt, qui habitant in ciuitate, sit amissa.

CAP. V. DE LATRONIBUS.

Item statuimus, quod quicumque furatus fuerit, sicut est in illo statuto,[1] saluo quod soluat pro vno decem de parnis animalibus et de magnis animalibus de vna quinque, et ille cui furtum factum fuerit, habeat suum capitale et alia diuidantur per medium, quorum medietas sit communis, et alia illius cui factum est furtum, et si ille, cui factum fuerit furtum, concordauerit cum latrone aliquo modo uel ingenio, perdat omne ius suum tam de capitali, quam de pena, si probatum fuerit per bonos testes, uel per publicam famam[2] fuerit manifestum.

CAP. VI. DE UERBIS INIURIOSIS.

Item statuimus. quod quicumque dixerit uel fecerit aliqua uerba iniuriosa iudicibus uel consiliariis uel ministerialibus uel alicui nuncio, quem comes uel uicecomes mitteret, perdat yperperos ij qui uenire debeant ad commune,[3] et si suprascripti concordarent se ad inuicem ad hoc vt commune posset sua banna admittere, sic admittere debeat yperperos ij, qui venire debeant in commune pro quolibet.

CAP. VII. DE UASTANTIBUS ALIENAS UINEAS.[4]

Item statuimus et ordinamus, quod si aliquis deuastauerit aliquam uineam, et inuentus fuerit ille, qui deuastauit uel confessus uel probatum per aliquos bonos et ydoneos testes, soluat illud damnum et yperperos x; et si ille, cui deuastata fuerit uinea concordabit cum malefactore, perdat omne ius suum et banna, que omnia deueniant in commune; et si non concordabit, habeat satisfaccionem sui damni et medietatem banni et alia medietas sit com-

---

[1] Cf. supra cap. VI. et Statuti cap. XII. sqq.
[2] Deest ap. Ljubić et Hormayr.
[3] Ap. Hormayr: „Comitem".
[4] Cf. cap. LXI. Statuti.

munis, et si fuerit per publicam famam manifestum concordium inter malefactorem et habentem damnum fecisse, omnia amittant et nichil habeant, vt superius dictum est, de iure suo.

CAP. VIII. DE SIMILI IUSTICIA CUM UICINIS.[1]

Item statuimus, quod amodo in antea talem racionem, qualem nostri uicini nobis faciunt, talem eis facere teneamur, saluo semper statum inprimis factum omnibus aliis gentibus, hoc intellecto, quod uicini nostri sint a Sybinico vsque ad Curzolam et a Curzola vsque ad Ragusium, et per totam terram firmam, saluo semper pacta inter nos et ipsos facta et Farra et Braza et Isla insule.

CAP. IX. DE CURIA AD PLENUM.[2]

Item statuimus, quod si comes uel uicecomes non potuerit se concordare in iudicio, mittat illud placitum in consilio paruo et illud, quod uiderint esse iustum, iudicabunt et fiat sentencia, hoc intellecto, quod non fiat contra iura comitatus uel honorem et quod non possit esse in illo consilio aliquis propinquus illarum parcium vsque in tercium gradum.

CAP. X. DE PASTORIBUS.[3]

Item statuimus, quod nullus pastor debeat scorticare aliqua animalia, nisi caput teneat se cum pelle et illud debeat presentare domino bestiarum et si non facit, debeat teneri pro latrone et iudicari pro latrone et habeat illam penam, que continetur in statuto latronum, et si dominus bestiarum concordabit cum dicto pastore contra dictum statutum et si probatum fuerit per ydoneos testes uel per publicam famam fuerit manifestum, perdat yperperos iiij que pena deueniat in commune.

CAP. XI. DE EODEM.[4]

Item statuimus, quod nullus pastor audeat tollere aliquam bestiam magnam uel paruam de suo communi sine licencia domini sui, et si abstulerit et inuentus fuerit, sit iudicatus pro latrone secundum formam statuti et si dominus bestiarum concordabit se

[1] Cf. cap. LXII. Statuti.
[2] Cf. cap. LXIII. Statuti.
[3] Cf. cap. LXIV. Statuti.
[4] Cf. cap. LXV. Statuti.

cum dicto latrone contra dictum statutum et probatum fuerit per ydoneos testes uel per publicam famam fuerit manifestum, sic perdat yperperos iiij, que pena deueniat in commune.

CAP. XII. DE EODEM.[1]

Item statuimus, quod si aliquis pastor dixerit se amisisse aliquam bestiam magnam uel paruam et nescierit, quis abstulerit eam, sit damnum super pastorem et credatur sacramentum domino animalium de dicto damno.

CAP. XIII. DE VSURIS.[2]

Item statuimus, quod nullus det ad vsuram, et qui dederit, perdat totam vsuram quam dabit et ille, qui receperit denarios ad vsuram, perdat yperperum vnum et qui concordabit, nichilominus perdat totum illud, quod continetur in dicto statuto aliquo modo uel ingenio, si probatum fuerit per ydoneos testes uel[3] per publicam famam erit manifestum.

CAP. XIV. DE OCCIDENTIBUS ROBATORES.[4]

Item statuimus, quod si aliquis noster ciuis defendendo se uel suas bestias aut socios suos contra aliquem forensem uenientem in insulam ad accipiendum per forciam uel alias res uoluerit accipere per uim et dictus ciuis noster defendendo se uel suas res interfecerit eum, nullo modo teneatur puniri dictus noster ciuis de aliqua pena et hoc intelligendum est, si dictum damnum ualebit vltra medium yperperum. Scilicet de nostris conuicinis, qui sunt et habitant a Sybinico vsque ad Curzolam et a Curzola vsque ad Ragusium et ab insula Fare, Brace et Isle et per totam terram firmam a Tragurio vsque ad Sybinicum.

CAP. XV. DE SALARIO PISTALDI.

Item statuimus quod pistaldus missus per commitem uel per uicecomitem uel per curiam, debeat habere pro suo precio, si ablata fuerit de bouis, uaccis, equis et iumentis pro vna quaque grossos iij de illis, qui inuenerit et de porcis et asinis pro vnoquoque grossos ij, et de paruis bestiis pro vna quaque grossum vnum pro suo salario.

---

[1] Cf. cap. LXVI. Statuti.
[2] Cf. cap. LXVII. Statuti. Ap. Hormayr deest hocce capitulum.
[3] Ap. Ljubić: et.
[4] Cf. cap. LXVIII. Statuti.

CAP. XVI. DD PETENTIBUS PARUUM CONSILIUM.[1]

Item statuimus, quod si aliquis placitauerit coram comite, uel uicecomite uel eius curia de yperperis xij supra, possit pettere paruum consilium vt esse debeat simul cum comite et cum suis iudicibus ad dictum placitum iudicandum, saluo quod in dicto consilio uel iudicio siue sentencia aliquis de suis propinquis esse non possit vsque ad tercium gradum, saluo tamen honore et iure dicti comitis et comitatus non teneatur in dicto statuto, quia dictum est in alio, quod fieri debet.

CAP. XVII. DE ACCIPIENTIBUS ALINEAS BESTIAS.[2]

Item statuimus per nos, quod si aliquis noster ciuis ibit per nostram insulam et iuisset ad bestias alicuius hominis et accepisset capretum uel agnellum aliquem, quod ille, qui accipiet, soluat vnum yperperum.

CAP. XVIII. DE EODEM.

Item si accepisset bestiam de anno in alio natam quod soluat yperperos ij; si dominus uel pastor se lamentasset eo, quod detur fides domino uel pastori cuius erit bestia siue bestie et quod soluat in continenti ante racionem et si non soluisset in continenti, quod soluat quinque yperperos et quod supradicti quinque yperperi sint et esse debeant communis per medietatem et alia medietas perueniat domino bestie.

CAP. XIX. DE PERCUSSIONE PASTORIS.

Item dicimus quod si qastor aliquis percussisset aliquem de petra uel de sita uel de aliqua arma, quod portet illam penam, que continetur in statuto communis et si non haberet vnde soluere per quemlibet grossum stet per vnum diem in carcere.

CAP. XX. DE EQUO DAMNUM FACIENTI.

Item dicimus, quod si aliquis homo dimisisset aliquem equum de illis, qui equitant in aliquo campo de tritico et faciet damnum aliquod, quod soluat quinque yperperos uel accepisset de frumento causa dandi super dictum equum uel equos et quod super dictum bannum perueniat medietas communi et alia medietas illi cuius est bladum.

---

[1] Cf. cap. LXIX. Statuti.

[2] Praesens, ac sequentia usque ad finem capitula desunt ap. Hormayr, neque ap. Ljubić inscribuntur, qua propter ea secundum materiam, in singulis pertractatam, inscripsimus.

II.

LIBER LEGUM AC STATUTORUM

CIUITATIS ET INSULAE CURZULAE.

In Dei eterni nomine. Amen.

„Hec sunt statuta, et ordinamenta communis, et hominum ciuitatis et insule Curçule, facta, edita, composita, et authenticata per minus, maius, et generale consilium eiusdem ciuitatis, et insule, in Millesimo, Ducentesimo Quartodecimo (anno) *Indictione secunda, et diebus infra dictum annum currentibus.“*

CAP. I. DE HOMICIDIO.

In primis statutum et ordinatum est, quod[1] quicunque fecerit homicidium, nisi se defendendo, que defensio possit legitime probari, mori[2] debeat; si probatum fuerit saltem per duos testes idoneos, aut accusatus confessus fuerit, uel per publicam famam erit manifestum; uidelicet, quod si fuerit nobilis, decapitetur; si uero popularis suspendatur, taliter quod moriatur. Qui homicida si fugerit, perdat terciam partem omnium bonorum suorum, que tercia pars diuidatur per medium inter commune Curçule et heredes illius, qui fuerit interfectus. Et si qui uocati fuerint in testes per commune super hoc, et uenire recusauerint,[3] uel si uenerint, et non dicerent ueritatem per iuramentum, soluant communi yperpera quinquaginta; et si (aliquis eorum) non habuerit vnde soluere, ei manus dextera amputetur; et si fugerit, sit in banno perpetuali perdendi ipsam manum, quovsque persoluerit ipsum bannum.

---

[1] Cap.: „quia“.
[2] Cap.: „si mori“ etc.
[3] Emendavimus ad instar ed. Ven. Cap.: „recusauerunt“.

CAP. II. DE HOMICIDIO INFANTIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis puer, uel puella annorum quatuordecim et infra fecerit homicidium, uel quomodolibet percusserit, hoc remaneat in prouidencia curie ad plenum, ad puniendum eum, uel eam prout ei iustius uidebitur.

CAP. III. DE PERCUSSIONE GLADII.

Item statuimus et ordinamus, quod quicunque percusserit aliquem de gladio, spata, uel maça de ferro, soluat pro primo culpo yperpera uigintiquinque, et pro quolibet culpo sequenti perdat yperpera quinque, nisi se defendendo, que defensio possit probari legitime saltem per duos idoneos uiros; et si percussor fugerit, regimen accipiat de rebus suis in duplum; et si non habuerit tantas res, sit in banno, quamdiu persoluerit bannum antedictum; et si captus fuerit, et non habuerit vnde soluere, perdat manum dexteram, et percusso prouideatur prout uidebitur regimini, uel maiori parti totius curie, vsque ad medietatem banni, et infra.

CAP. IV. DE PERCUSSIONE PETRE.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque percusserit aliquem do petra, uel maça alia, preterquam de ferro, perdat pro primo culpo yperpera quinque, et pro quolibet culpo, sequenti perdat yperpera duo, et percusso prouideatur, vt supra.

CAP. V. DE PERCUSSIONE MANUS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque percusserit de manu, uel iniecerit in aliquem manus uiolentas, perdat yperpera tria; et si non habuerit, vnde soluere, frustetur, et si fugerit, regimen accipiat de rebus suis in duplum, et si non habuerit tantas res, sit in banno, quamdiu persoluerit antedictum duplum; et si percussus reclamauerit, habeat medietatem banni, et infra ad uoluntatem maioris partis regiminis.

Et presens particula suppleatur, et intelligatur in omnibus capitulis percussionum.

CAP. VI. DE PERCUSSIONE IUDICUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque iniecerit manus uiolentas in aliquem iudicum scapilando, uel uerberando ipsum, soluat yperpera quindecim, et stet in carceribus vno mense; si quis uero percusserit iudicem de lapide, maça, uel fuste, perdat yperpera uiginti; si uero de spata, cultello, et alio ferro, soluat

pro primo culpo yperpera triginta et pro quolibet sequenti yperpera quinque et sedeat in carceribus, vt supra et non exeat, nisi soluat dictam penam; saluo se defendendo, que defensio possit legitime probari ad minus per duos idoneos testes, uel per publicam famam.

CAP. VII. DE ALIIS PERCUSSIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque percusserit quomodolibet, propter quam percussionem percussus incurreret dampnum et expensas, percussor soluat omnes medicinas et omne dampnum et interesse, quod incurreret percussus, quod sit in prouidencia maioris partis regiminis.

CAP. VIII. DE AMISSIONE MEMBRORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si qua persona percussa perderet aliquod membrum occasione percussionis, uidelicet manum, pedem, nasum, oculum, linguam, percussor[1] perdat yperpera centum, quorum medietas sit communis, et alia medietas illius, qui membrum perdiderit, si infra terminum accusauerit; et si percussor non habuerit vnde soluere, perdat membrum pro membro; nisi se defendendo, que defensio debeat legiptime probari per duos idoneos testes, uel per publicam famam.

CAP. IX. DE UERBIS INIURIOSIS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque dixerit alicui uerba iniuriosa,[2] perdat yperpera duo, quorum medietas sit communis et alia iniuriam passi, si solus accusauerit; si uero dixerit aliquis iniuriam alicui in presencia regiminis ad bancum sedentis, soluat yperpera quatuor pro medietate communi, et alia medietate iniuriato accusanti, et si iniuriam passus accusare non uellet, nihilominus regimen per eius sacramentum teneatur punire maledicentem in yperperis duobus communi applicandis.

CAP. X. DE UERBIS INIURIOSIS IUDICUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque dixerit alicui iudicum uerba iniuriosa, uidelicet maiorum iudicum, soluat yperpera quatuor pre medi(etate)[3] communi, et alia medietate iudici, cui iniuria dicta fuerit, si solus accusauerit.

---

[1] Cap.: „*et* percussor".
[2] Cap.: „iuriosa", ev. mendum librarii.
[3] Cap.: „medi".

CAP. XI. DE IUDICIBUS UERBERANTIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis iudicum maiorum uerberauerit aliquam personam quomodolibet de manu, maça, ferro, spata, cultello, uel scapilauerit, uel alio quocunque modo iniuriose percusserit, puniatur in duplum (illius) pene, qua puniretur vnusquisque[1] alius per statuta suprascripta, cuius pene accusator percussus habeat quartam partem, et commune tres partes; saluo semper percusso iure suo, membri, dampni, medicinarum, perdicionis temporis, prout in statuto superius continetur.

CAP. XII. DE LATRONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque furatus fuerit aliquam bestiam minutam, uel aliquam domum apium, siue ulischiam, soluat yperpera uiginti, quorum medietas sit communis et alia medietas diuidatur per medium inter patronum et gastaldiones accusantes; si quis uero furatus fuerit equum, asinum, porcum, soluat quadruplum et semper latro stet in carceribus diebus octo, et tantum plus, quantum distulerit soluere penam predictam; cuius pene primo extrahatur capitale et residuum diuidatur in quatuor partes, quarum due partes sint communis, tercia patroni et quarta accusantis, siue gastaldionum si accusauerint; et latro semper priuetur fide et credencia, nec in testem recipiatur; et si reciperetur, eius testificacio non ualeat.

CAP. XIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque furabitur amodo in antea bouem vnum, uel plures, infra vnum mensem soluat pro quolibet boue yperpera quinquaginta communi et satisfaciat dampnum patrono bouis uel bouum; et si non habuerit vnde soluere infra dictum terminum, fur laqueo suspendatur taliter, quod moriatur. Et si aliqua mulier furaretur dicta animalia, et non haberet vnde soluere infra dictum terminum, igne cremetur taliter, quod moriatur. Quarum pecuniarum medietas sit communis et alia medietas sit patroni et accusatoris, siue accusatorum, et fide priuetur fur, vt supra.

CAP. XIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque furatus fuerit in uinea fructus, uel in campis segetes, uel furmenta, uel bladum,

[1] Cap.: „cuiuscunque pene puniretur vnusquisque", etc. Non convenientem hanc lectionem emendandam censuimus.

uel tegumina, uel in hortis olera, uel fructus et probatum fuerit per vnum idoneum testem cum iuramento et patronus affirmare uoluerit cum iuramento de quantitate furti et quod uerum est, quod furtum factum fuerit ei, fur restituat totum furtum et soluat, si furtum factum fuerit in die, quatuor yperpera; et si in nocte, sex; et si patronus accusauerit furem infra octo dies post furtum factum, habeat medietatem banni, quod si non accusauerit, uel concordauerit cum latrone, nihil habeat. et portet illam penam, quam fur huiusmodi portare deberet et nihil sibi restituatur de banno, et latro nihilominus penam istam portet et perdat ueritatem. Et si fugerit, sit in banno quamdiu soluerit dictum bannum in duplum.

CAP. XV. DE ROBATORIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque robauerit stratam in terra, uel in mari in districtu Curçule, et acceperit uiolenter, siue ciuis, siue forensis fuerit, ab vno yperpero et infra, soluat quadruplum et perdat ueritatem et credenciam in perpetuum; et si non habuerit vnde soluere frustetur (et)[1] bulletur vna impressione; et si furatus fuerit, uel derobauerit ab vno yperpero vsque ad tria, et non habuerit vnde soluere in quadruplum, perdat vnum oculum; et a tribus vsque ad sex, et non habuerit vnde soluere quadruplum, perdat manum dexteram; et a sex vsque ad decem, (et) non habuerit vnde soluere quadruplum, perdat ambos oculos, et a decem superius, et non habuerit vnde soluere quadruplum, suspendatur taliter, quod moriatur; et si fugerit, sit in banno perpetuali et perdat omnia bona sua, que deueniant in commune.

CAP. XVI. DE EUNTIBUS IN CURSUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus Curçulanus debeat ire in cursum; et si quis iuerit, sit banditus in perpetuum ab illo die, in quo inceperit ire in cursum et perdat omnia bona sua, que deueniant in commune; et si aliquo tempore peruenerit ad manus regiminis Curçule, suspendatur taliter, quod moriatur.

CAP. XVII. DE ERBARIA.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua mulier, uel uir fecerit erbariam uel maleficium erbarie, propter quod homines possent mori, uel perdere sensum, uel membrum et quod possit probari saltem per duos idoneos testes, quod per ipsam erbariam sit

[1] Cap.: „*et*“ deest.

mortuus, uel amiserit sensum, uel membrum, igne comburatur; et si non moriretur, uel non amitteret sensum, uel membrum, sit in prouidencia curie; et si fugerit, sit in banno et perdat omnia bona sua, que deneniant in commune.

CAP. XVIII. DE PERCUSSIONIBUS MULIERUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si alique mulieres percuterent se adinuicem de petra, uel maça, aut facerent percutere, illa, que erit culpabilis, perdat yperpera sex; et (si)[1] non habuerit vnde soluere, stet in carceribus quamdiu persoluerit; et si percuteret de manibus, perdat yperpera tria; et si non habuerit vnde soluere, stet in carceribus, quamdiu persoluerit;[2] et si percussa moriretur, percutrix pro homicida condempnetur; et si vna dixerit alteri obprobrium, perdat yperperum vnum, si probatum fuerit per vnum idoneum testem, et iniuriam passa habeat medietatem banni; et si percussa perderet aliquod membrum, intelligatur, et puniatur percutrix vt superius declaratur in statuto de perdicione membrorum.

CAP. XIX. DE FALSARIIS CARTARUM.

Item statutum et ordinatum est, quod ille qui fecerit instrumentum falsum et probatum fuerit per duos idoneos testes, scriptor perdat manum dexteram. Et ille, qui fecerit fieri, uel conduxit tale instrumentum falsum pro suo iuuamine ad placitum, perdat placitum, (et) yperpera uiginti communi applicanda et ueritatem suam in perpetuum in omnibus. Et si carta fuerit patris, matris, uel aui, aut suorum antecessorum et uenerit ad placitum cum ea, et probata et iudicata fuerit falsa per curiam uel per maiorem partem, uel in toto, uel in parte, uel uiciata, ille qui duxerit eam, purget se iuramento duodecima manu sua, quod cartam illam non sciuit esse falsam, nec fecit eam fieri, nec sciuit falsarium, nec augumentauit eam per se, uel per alios et perdat tantum placitum; et si per idoneos testes probatum fuerit, quod habuerit culpam de illa carta, perdat placitum et yperpera uiginti et ueritatem suam et (si) iurare non poterit, eandem penam paciatur.

CAP. XX. DE FALSO TESTE.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis uocatus fuerit in testem, et dixerit falsum testimonium et probatum fuerit per duos

[1] Cap. deest.

[2] Verba: „et si percuteret“, usque ad: „quamdiu persoluerit“ desunt in ed. Ven.

uiros idoneos testes, restituat illi, contra quem dixerit falsum testimonium et perdat suam ueritatem et credenciam in perpetuum in omnibus et insuper perdat yperpera quindecim; et si fugerit, sit in banno perpetuali.

CAP. XXI. DE PERCUSSIONE OFFICIALIUM.

Item statutum est, quod quicunque percusserit preconem, uel nuncium curie, per curiam missum, cum manu, uel scapilauerit, perdat yperperos quinque; si uero cum maça, ferro, spata, et ceteris, puniatur prout in capitulo percussionum; et si percussor non habuerit vnde soluere, frustetur.

CAP. XXII. DE UICTUALIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod secundum quod ordinatum et inuentum fuerit de uictualibus, que debent conduci in ciuitatem sub certo tempore, per maiorem partem curie, seruetur in perpetuum.

CAP. XXIII. DE UOCATIONE AD PLACITUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque uocatus fuerit per curiam super maleficio, uel maledicto per preconem, preconiçando in platea, si non uenerit, vbicunque fuerit, sub termino sibi assignato, sit culpabilis et portet illam penam secundum modum, et ordinem statuti de antedictis maledictis et malefactis.

CAP. XXIV. DE RATIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis uocatus fuerit ad rationem de mandato curie per eius nuncium, siue uerbo preconis, siue per alium hominem cum sigillo et non uenerit,[1] cadat de iure suo super querimonia sibi facta cum iuramento petentis;[2] saluo si iustum impedimentum habuerit, de quo mandet se excusando coram curia; et curia super illo impedimento (prouideat),[3] quod si iustum fuerit, det sibi terminum largiorem in providencia[4] maioris partis curie.

CAP. XXV. DE APPELLATIONIBUS.[5]

Item statutum est, quod vnaqueque sentencia tam ciuilis, quam criminalis possit appellari, si ille, contra quem est sentencia lata,

[1] „Et non uenerit" deest in ed. Ven.
[2] Ed Ven.: „praesentis".
[3] Deest in Cod. Cap.
[4] Deest in ed. Ven.
[5] Sententia hujus capituli modificata est, quoad appellationes in causis

sentiret se grauatum et uellet appellare, quod facere debeat infra dies octo post sentenciam latam et curia debeat[1] sibi firmare terminum prosequendi dictam appellationem, quod si non appellauerit, uel non prosecutus fuerit infra terminum, nullo modo rumpere possit.

CAP. XXVI. DE ELECTIONE IUDICUM.[2]

Item statuimus, quod comes, qui pro tempore fuerit, eligat tres iudices de medio in medium annum, quos iudices consilium confirmet; et si consilium non esset contentum de dictis iudicibus, uel aliquo ipsorum, comes teneatur mutare ipsum, uel ipsos, donec consilium fuerit contentum, et ipsos confirmauerit; et deinde dominus comes (et)[3] isti tres iudices simul eligant tres iudices, qui sint consiliarii de paruo consilio per sacramentum ad iudicandum et consulendum quilibet in suo officio secundum formam statutorum ciuitatis et capitularis sibi dati; et comes cum illis sex, uel maiori parte alios officiales eligat. Et iudices debeant iuste iudicare, odio, amore, timore, prece, pretio postpositis, secundum statuta ciuitatis; et vbi statuta non erunt scripta, secundum puram, et bonam eorum conscienciam; et si aliquis inceperit respondere et placitare coram curia, non possit refutare aliquem iudicum, neque totam curiam.

CAP. XXVII. DE REFUTATIONE IUDICUM.

Item statuimus, quod si aliquis iudicum, uel consiliariorum pertinuerit alicui, qui erit in placito, uel indiguerit consilio, in tertio gradu consanquinitatis et supra, uel si fuerit cognatus, in illo casu et placito, seu consilio licencietur a comite, et aduersa pars possit nuntiare comiti, si hoc nesciet.

CAP. XXVIII. DE ELECTIONE[4] OFFICIALIUM.

Item statuimus, quod quicunque electus fuerit in nuntium, uel in iudicem, uel in consiliarium, uel in aliquod officium ciuitatis, et insule, et esse noluerit, soluat yperpera quinque; nisi iustum habuerit impedimentum, quod sit in prouidencia curie, uel maioris partis.

---

criminalibus, nec non quoad consequentias temerariae appellationis, duobus reformationibus, sub cap. CI. ac CXXIII. Reform. citatis.

[1] Cap.: „habeat".

[2] Sententia hujus capituli cassata est per reformationem a. 1418. Cf. cap. CXXXIX. Reform..

[3] Deest in Cod. Cap.

[4] Ed. Ven.: „renuntiatione".

CAP. XXIX. DE ADUOCATIS.

Item statuimus, quod curia ad plenum eligat quatuor aduocatos, qui debeant et teneantur aduocare, per eorum sacramentum, iura omnia, tam communis Curçule, quam aliorum hominum, tam insule, quam forensium,[1] et defendere coram regimine, uel arbitris iudicibus iustitias et raciones de medio in medium annum; et quilibet aduocatus habere debeat pro qualibet lite grossum vnum et teneatur aduocare vsque ad finitam questionem per sacramentum.

CAP. XXX. DE EODEM.

Item statuimus, quod in secundo gradu consanguinitatis et infra, aduocatus iuratus, si pertinuerit alicui, aduocare non teneatur contra illum, si noluerit.

CAP. XXXI. DE EODEM.

Item statuimus, quod per curiam ad plenum debeant eligi quatuor aduocati de medio in medium annum, qui debeant defendere per eorum sacramentum iustitias et raciones tam communitatis, quam aliarum quarum cunque personarum et placitare coram curia contra omnes malefactores et maledictores, preterquam contra consanguineum in secundo gradu et supra et contra cognatum.

CAP. XXXII. DE ARBITRIS.

Item statuimus, quod si aliquis uocatus fuerit ad placitum, preterquam de maledicto, uel malefacto, et noluerit respondere et placitare coram curia, vtraque pars eligat arbitros, vna pars vnum, uel duos et altera pars totidem, et vnum det comes de medio nulli parcium suspectum, nec attinentem vni plus quam alteri, qui arbitri infra terminum, quem eis curia prefixerit diffiniant questionem per sentenciam uel condemnent sub pena a curia sibi data; et arbitri ab vno yperpero supra dare debeant sentenciam in presencia curie.

CAP. XXXIII. DE IUDICIIS HOMINUM IN INSULA.[2]

Item statuimus, quod si aliquis fuerit uocatus ad placitum super aliqua racione, preterquam de maledicto, et quesierit terminum ad respondendum, si questio erit de quinque yperperis et supra, uiro

[1] Advocatos pro forensibus Curzulae tantummodo praesentibus advocare posse, ex capitulo CXXIII. h. S. inferius sequenti, apparet.

[2] Ed. Ven. additur: „Et de dilationibus“.

detur terminus octo dierum; et mulieri vidue quindecim; et a quinque vsque ad vnum, uiro detur terminus quatuor dierum, et mulieri uidue octo; et ab vno yperpero inferius uiro detur terminus unius diei et mulieri uidue duorum.

CAP. XXXIV. DE PLAEÇARIA.[1]

Item statuimus, quod si aliquis uocatus fuerit ad placitum; et aliquis quesierit ab vno yperpero supra contra ipsum; ille, qui fuerit uocatus, si non habuerit patrimonium, seu mobilia in insula tanti ualoris, quanti erit placitum, et petitio erit super eum de plaeçaria, talis teneatur dare plaeçariam.

CAP. XXXV. DE IUDICIJS FORENSIUM.

Item statutum est, quod si uiatores, qui sunt in procinctu itineris forenses, contra homines insule placitare uoluerint de aliqua racione eadem die contracta, homo insule teneatur sibi statim sine aliquo termino respondere; et si ille forensis traheret in insula moram, respondeat sibi vsque ad duos dies; et sicut homo insule tenetur forensibus respondere, sic et forenses teneantur eis sub eodem termino et titulo facere racionem.[2]

CAP. XXXVI. DE REFUTATIONE TESTIUM.

Item statuimus, quod nullus, qui pertinuerit alicui in tercio gradu et supra, uel fuerit cognatus, dare possit testimonium pro ipso sed contra[3] ipsum sic.

CAP. XXXVII. DE EODEM.

Item statuimus, quod nullus forensis, uel inimicus manifestus, nec mulier, neque minor etate quatuordecim annorum, et infra, nec latro, nec cursarius manifestus, neque robator strade, neque foras bannitus, neque illi, qui amiserint suam credenciam et ueritatem propter suum malefactum, super quo fuerint conuincti et condempnati per curiam, recipi debeant in testes.

---

[1] Ed. Ven. addit: „ante iuditium".

[2] Quando in hujusmodi causis sententia a iudicibus Cuzulensibus lata appellari potest, qualique effectu, definitur reformatione, sub cap. CLXVIII. Reform. citata.

[3] Deest in Cod. Cap.

CAP. XXXVIII. DE ARRIS.

Item statuimus, quod si quis mercator emendo aliquid ab aliquo dederit vnum denarium paruum pro arris, mercatum sit firmum et uenditor teneatur dare et emptor recipere merces; et ab vno denario supra si aliquis dederit arras illi, pro quo remanebit mercatum, teneatur soluere alteri parti arras in duplum.

CAP. XXXIX. DE DIUISIONE HEREDUM.[1]

Item statuimus et ordinamus, quod si aliquis decesserit tam cum testamento, quam sine testamento, et habeat vnum filium, uel plures legitimos, siue de vna vxore, siue de pluribus matrimonialibus, debeant in bonis eius succedere tam mobilibus, quam immobilibus, et debeant diuidere equaliter bona illius.[2] Et si aliquis filiorum haberet filium, uel filios, nepotem, uel nepotes, infra gradum succedant et recipiant, moriente auo et patre, partem patris sui. Et sic intelligendum est, descendendo per lineam sanguinis. Et si non habuerit aliquis fratrum filium, uel filios, sed habuerit filiam, uel filias, ille filie habeant partem patris sui, sicut vnus fratrum; et si illi fratres habuerint sororem, uel sorores, teneantur maritare ipsas, uel ipsam, vsque ad decimum octauum annum; quod si noluerint, possint se maritare, recipiendo porcionem omnium rerum patris per ratum capitum, de consilio aliorum suorum propinquorum.

CAP. XL. DE EODEM.[3]

Item statuimus, quod vt supra dictum est, de uiro moriente tam cum testamento, quam sine, intelligendum est similiter de muliere, etiam moriente tam cum testamento, quam sine, uidelicet, quod mulier non possit testari plus vni filio, uel filie, quam alii,[4] nec possit dishereditare filium uel filiam, uel ab eis descendentes sine iusta causa.

CAP. XLI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis habuerit de prima vxore filiam, uel filias, et de secunda et supra filium, uel filios et e conuerso; omnes coequaliter diuidant bona patris. Et nota quod sicut dictum est de uiro, ita intelligendum est de muliere habente filios, uel filias, siue cum vno uiro, siue cum pluribus legitime.

[1] Cod. Cap.. „De testamento“.
[2] Cf. cap. CXLV. Statuti inferius cit.
[3] Cod. Cap.: „De diuisione heredum“.
[4] Cf. de ista quaestione inferius cap. LXXV. et CXXX. Statuti.

CAP. XLII. DE VXORE UIDUATA.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis homo habuerit vxorem et decesserit intestatus, et vxor eius uoluerit possidere lectum mariti sui, et se non maritare cum alio uiro, possideat dotes suas et omnia bona uiri sine anichilatione uoluntaria, et sit domina; saluo si essent diuicie, que possent superare, et tunc curia ad plenum per sacramentum teneatur prouidere ipsi domine tantum, quantum fuerit necessarium pro uictu, et uestitu ipsius domine, etiam considerando addicionem[1] domine, si esset sibi necessarium, famulum, uel famulam. Residuum uero bonorum detur proximioribus ipsius mortui intestati. Et si ipsa domina uoluerit se maritare, extrahat tantum dotes suas et totum patrimonium remaneat heredibus defuncti.

CAP. XLIII. DE UIRO UIDUATO.

Item statuimus, quod si alicui uiro moriretur vxor et ex ea heredem non haberet, tenere possit et ualeat ipse uir omnia bona dotalia, quovsque se vxorare uoluerit. Et si habuerit filiam, uel filias et secum stare noluerint; si etatis est, uel sint, teneatur[2] pater eam uel eas maritare; et si noluerint maritari, nec secum stare, teneatur sibi dare partem suam.

Et si essent plures masculi, uel femine, pater eis equaliter distribuat. Post autem mortem patris debeant omnia bona materna rehabere. Et talis maritus remanens post mortem vxoris, nihil bonorum vxoris alienare possit, sine uoluntate proximiorum vxoris defuncte, pena perdendi dicta bona dotalia.

CAP. XLIV. DE EXTRACTIONE PRO[3] ANIMA.

Item statuimus et ordinamus, quod si aliquis uenerit ad mortem, extrahere possit pro anima de rebus suis mobilibus ad suum uelle; et vxor de dotibus suis mobilibus ad suum uelle.

CAP. XLV. DE ILLO, QUI MORITUR SINE HEREDIBUS.[4]

Item statuimus, quod si aliquis moriatur intestatus, et non habuerit heredes, omnia bona sua deueniant ad patrem; et si non

[1] Ed. Ven.: „cons. conditionem dom." quam lectionem sine dubio reprobandam esse, ex verbis, inferius additis: „famulum uel famulam" apparet.

[2] Desunt haec verba in Cod. Cap.

[3] Deest in Cod. Cap.

[4] Cf. etiam infra cap. CXXVI.: „De morientibus sine testamento".

habuerit patrem, deueniant ad fratrem, uel ad fratres, uel eorum heredes; et si non habuerit fratrem, uel fratres, uel eorum heredes, deueniant ad propinquiorem de sua progenie per patrem.

CAP. XLVI. DE CONFECTIONE TESTAMENTORUM.[1]

Item statuimus, quod si aliquis uoluerit condere testamentum tam in infirmitate corporis, quam in sanitate, dum tamen sit in sua bona memoria, debeat facere coram quatuor testibus, alioquin nullius sit ualoris testamentum.[2] Et si non erit ibi notarius, et fecerit coram quatuor testibus, heredes, uel successores inducant testes, ut ueniant coram iurato notario communis et duobus Iudicibus et perhibeant testimonium de testamento, de quo conficiatur publicum instrumentum, infra uiginti dies post mortem testatoris, alioquin testamentum sit friuolum et inane. Et heredes et successores, qui non induxerint eos ad testificandum infra illud tempus, restituant male oblata, si qua testatoris fuerint, et soluant communi yperpera decem. Et si plura testamenta fecerit, ultimum ualeat et omnia alia sint cassa.

CAP. XLVII. DUM PATER MITTIT FILIUM AD MERCANDUM.

Item statuimus, quod si aliquis pater miserit aliquem filium ad mercandum, lucrum et dampnum, quod Deus auertat, sit super bonis patris. Et si non iuerit[3] de uoluntate patris ad mercandum, dampnum, quod sibi acciderit sine aliqua obligacione debiti, non sit super patrem, neque super res eius. Et hoc est intelligendum de filio non diuiso a patre, que diuisio debeat probari per idoneos testes, siue per iuramentum; quia pater est et debet esse dominus in uita sua, et mater post mortem uiri sui.

CAP. XLVIII. DE CUSTODIBUS IN NOCTE.

Item statuimus, quod custodes in nocte debeant uigilare de ebdomada in ebdomadam per iuramentum et custodire fideliter; et si aliquis obdormiret, qui deberet stare in sua uigilantia, soluat gros-

---

[1] Anno 1426. (cf. Reform. cap. CXLVII.) statutum est, testamentum absente Cancellario confectum nullius esse valoris, nisi fuerit scriptum manu propria testatoris, vel, si conficitur a persona extranea, testatori et quatuor testibus praelectum.

[2] Deest in Ed. Ven.

[3] Cod. Cap.: „fuerit“.

sum vnum; et si quis uenire noluerit ad custodiam, soluat pro tota ebdomada, nocte qualibet, grossum vnum, infra tres dies ebdomade sequentis pena dupli, cum preceptum fuerit per regimen soluere infra dictum terminum; saluo si ille, qui[1] non uenerit, fuerit in uiagio, uel habuerit iustum impedimentum, de quo impedimento excuset se infra septimanam, in qua habet custodire; alioquin eius excusa nullo modo recipiatur.

CAP. XLIX. QUOD NULLUS EXCUSET CUSTODES.

Item statuimus, quod nullus audeat excusare, retinere, remittere, nec excambiare aliquem custodem de sua ebdomada pena yperperorum duorum, que deueniant in commune.

CAP. L. DE EXTRAHENTIBUS BLADUM IN INSULA.

Item statuimus, quod nullus audeat extrahere furmentum, uel aliud bladum, uel ligumina extra ciuitatem, uel insulam, uel forensibus uendere ad portandum extra, in alias partes, uel alias prouincias. Et quicumque contrafecerit, perdat totum bladum uel ligumina;[2] qui sine precepto curie hoc fecerit aliquo modo, uel ingenio. Et qui accusauerit, uel apprehenderit, habeat terciam partem tocius bladi.

CAP. LI. DE FRAUDATIONE[3] DOANE UEL DACIJ.

Item statuimus, quod quicunque fraudauerit dacium, uel aliquod ordinamentum dacij, uel doane, quod dacium ordinatum est, uel erit per regimentum Curçule, soluat in triplum dacium, quod fraudauerit et yperpera duo et accusator habeat terciam partem banni.

CAP. LII. DE CONDUCENTIBUS ROBATORES.

Item statuimus, quod quicunque conduxerit de alia prouincia hominem extraneum in ciuitatem uel insulam Curçule aliquo signo, uel ingenio, aut indicacione uerbi, uel facti et tradiderit aliqua animalia et ei probatum fuerit per vnum idoneum testem, uel confessus fuerit, restituat patrono omnia animalia et communi soluat, vt dictum est in capitulo furti; et si combuserit, uel fecerit comburi tradicione et fraude, uel alias res tradiderit, perdat quadruplum in

[1] Deest in Cod. Cap.
[2] Deest in ed. Ven.
[3] Cod. Cap.: „fraudaccione“.

bladis et in rebus, (cuis pene extrahatur primo capitale, de residuo uero) si accusator uenerit ad patronum et dixerit malifactorem, patronus cum accusatore (habeant) tres partes;[1] et si accusator uenerit ad curiam, manifestando malefactorem, patronus habeat solum terciam partem et commune cum accusatore duas partes; et si tradiderit aliquam personam hominis, propter quod fuerit hominis, propter quod fuerit furtiue extracta de insula et sibi probatum fuerit per vnùm idoneum testem, si fuerit in seruitudine, restituat patrono yperpera uiginti, uel seruiat ei quamdiu restituerit seruum, uel ancillam; et si fuerit liber, uel libera, soluat propinquioribus de parentela yperpera triginta et sit in seruitute illi propinquo; et si non potuerit soluere, perdat vnum pedem et nihilominus sit in seruitute, quam diu restituerit personam traditam; et si fugerit, sit in banno perpetuali, et perdat omnia bona sua, de quibus dentur propinquioribus yperpera triginta et residuum deueniat in commune.

CAP. LIII. DE ORDINAMENTO SALIS.

Item statutum et ordinatum est, quod secundum quod ordinauerit curia, uel maior pars curie super facto salis, obseruetur in perpetuum.

CAP. LIV. DE PERCUSSIONE INFANCIUM.

Item statuimus, quod infans a quatuordecim annis et infra, et femina similiter, qui, uel que fecerit aliquid de maleficijs prenominatis in presenti uolumine statutorum, remaneat in prouidencia curie et parui consilij, ad puniendum eum, uel eam, prout eis iustius uidebitur.

CAP. LV. DE BLASPHEMANTIBUS DEUM.

Item statuimus, quod si quis blasphemauerit Deum, uel sanctos suos uel sacramenta ecclesie et probatum fuerit per vnum idoneum testem, soluat yperperum vnum et si non poterit soluere de presenti, ligetur ad palum, et stet per vnum diem ligatus. Et ille, qui manifestauerit, habeat medietatem banni.

---

[1] Cod. Cap. corruptam hic loco praebet lectionem: „perdat quadruplum in bladis et in rebus, quarum duas partes, si accusator uenerit ad patronum et dixerit malifactorem, patronus cum accusatore tres partes“ etc. Lectionem hanc ad instar sententiae, in cap XII. „De latronibus“ latae, ad quam et praescripta hujus cap. spectant, emendandam esse censuimus.

CAP. LVI. DE UENDICTIONE ARMORUM.

Item statuimus, quod si quis uendiderit aliqua arma cursarijs sine precepto regiminis Curçule, perdat arma, uel tantum, quantum ualuerint, et accusator habeat medietatem banni siue armorum.

CAP. LVII. DE EODEM.[1]

Item statuimus, quod quando regimen uetauerit portare arma in die, uel in nocte, secundum quod destinatum fuerit, et inuentum per ipsum et per maiorem partem parui consilij, seruetur.

CAP. LVIII. DE INTRANTIBUS TERRAM ALIENAM.[2]

Item statuimus, quod nullus homo, neque femina sit ausus, uel ausa, intrare terram alicuius persone, nisi fuerit de licencia et mandato ipsius, cuius est terra; et si intrauerit sine licencia domini, cuius est terra, perdat yperpera quinque, que deueniant pro medietate communi, et alia patrono terre, si accusauerit; et perdat totum laborerium, quod fecerit in eam, quod sit domini, cuius est terra, nisi fuerit propinquus specialis, qui habeat partem in dicta terra et ille, qui inceperit laborare, non perdat laborerium suum; scilicet si aliquis suus propinquus habeat partem in dicta terra, debeat satisfacere dicto inceptori, secundum quod pro bonis hominibus erit iudicatum, qui dati fuerint a curia, uel ab alijs, et soluat quilibet propinquus partem suam, si uoluerit habere partem in dicto laborerio.

CAP. LIX. DE INTRANTIBUS DOMUM ALIENAM.

Item statuimus et ordinamus, quod nullus homo, neque femina sit ausus, uel ausa intrare in aliquam domum: et si intrauerit, perdat yperpera sex, quorum medietas sit communis, et alia illius, cui uiolencia facta est; et si ille concordauerit, perdat partem suam, si probatum fuerit per idoneos testes, uel per publicam famam erit manifestum.

CAP. LX. DE TERMINO AD PLACITUM.

Item statuimus, quod si aliquis uocatus fuerit ad placitum per furtum et petierit consilium, habeat terminum per tres dies; et si non uenerit infra tres dies, cadat ab omni iure suo de dicto furto;

[1] Ed. Ven. De vetacione armorum.

[2] Cod. Cap. praesens capitulum iterum notat numero LVII. quapropter numeratio capitulorum sequentium uno distat a numeratione ed Ven., secundum quam et hic singula capitula sequentia numeris notavimus.

et super omnia bona sua soluat dictum furtum et bannum ordinatum et non habeat aduocatum, nisi de domo sua. Et si fuerit insensatus, uel follus, de dando ei aduocatum, sit in prouidencia curie.

CAP. LXI. DE UASTANTIBUS ALINEAS UINEAS.

Item statuimus, quod si aliquis deuastauerit aliquam uineam et inuentus fuerit per idoneos testes, soluat illud dampnum et yperpera decem; et si ille, cui deuastata fuerit uinea, concordabit cum malefactore, perdat omne ius suum et banna, que omnia deueniant in commune; et si non concordabit, habeat satisfaccionem sui dampni et medietatem banni, si solus accusauerit; et si alius accusauerit, habeat quartum et quartum accusator; et commune medietatem; et si fuerit per publicam famam manifestum concordium inter malefactorem et damnificatum, nihil habeat de iure suo, vt superius dictum est.

CAP. LXII. DE SIMILI IUSTICIA CUM UICINIS.[1]

Item statuimus, quod talem racionem, qualem nostri uicini faciunt, talem eisdem facere teneamur, saluis semper statutis superius denotatis omnibus alijs gentibus. Et intellige, quod uicini nostri sint a Sibenico vsque ad Curçulam et a Curçula vsque Ragusium et per totam terram firmam; saluis semper pactis, factis inter nos et alios et illos de Fara, de Braça et Issa insula.

CAP. LXIII. DE CURIA AD PLENUM.

Item statuimus, quod quando curia maior non potest se concordare, uocet minorem curiam et mittat illud placitum in consilio paruo et illud, quod uiderint esse iustum, iudicent et fiat sentencia; intelligendo quod in illo consilio aliquis propinquus parcium esse non possit vsque ad tercium gradum.

CAP. LXIV. DE PASTORIBUS.[2]

Item statuimus, quod aliquis pastor non debeat scorticare aliqua animalia, nisi caput teneat cum pelle, uidelicet cum auriculis, et illud debeat presentari domino bestiarum et si hoc non fecerit,

---

[1] Deest in Cod. Cap.

[2] Praescripta hujus ac sequentium duorum capitulorum pluries tractu temporis mutata fuisse, ex cap. CXLIV. Statuti, nec non ex cap. LVIII. Reformationum apparet.

teneri et iudicari debeat pro latrone et portet illam penam, que continetur in statuto latronum; et si dominus bestiarum concordabit cum dicto latrone, uel pastore contra dictum statutum, et probatum fuerit per idoneos testes, uel per publicam famam erit manifestum, perdat yperpera quatuor, que pena deueniat in commune.

CAP. LXV. DE EODEM.

Item statuimus, quod nullus pastor audeat tollere aliquam bestiam magnam, uel paruam de suo commune sine licencia domini sui; et si abstulerit, et inuentus fuerit, iudicetur pro latrone secundum formam statuti. Et si dominus bestiarum concordabit cum dicto latrone seu pastore contra dictum statutum et probatum fuerit per idoneos testes, uel per publicam famam erit manifestum, perdat yperpera quatuor, que deueniant in commune.

CAP. LXVI. DE EODEM.

Item statuimus, quod si aliquis pastor dixerit, se amisisse aliquam bestiam magnam, uel paruam et nesciuerit quis eam abstulerit, dampnum sit super pastorem[1] et credatur dominus animalium de dicto dampno per sacramentum.

CAP. LXVII. DE VSURIS.

Item statuimus, quod nullus det ad vsuram; et ille, qui dederit, perdat totam vsuram et medietatem capitalis et ille, qui receperit ad vsuram, perdat yperperum vnum et ille qui concordabit aliquo modo uel ingenio, nihilominus perdat totum illud, quod continetur in presenti statuto, si probatum fuerit per idoneos testes, uel per publicam famam erit manifestum.

CAP. LXVIII. DE OCCIDENTIBUS ROBATORES.

Item statuimus, quod si aliquis Curçulanus defendendo se, uel suas bestias, aut suas res, uel suos socios in rebus, uel in persona contra aliquem forensem uenientem in insulam ad accipiendum per forciam; et dictus noster insulanus defendendo, vt supra, interfecerit eum, nullo modo debeat puniri dictus noster ciuis aut insulanus de aliqua pena. Et intelligendum est si dictum dampnum est maioris ualoris grossorum sex.

---

[1] Cod. Cap.; „pastores“.

CAP. LXIX. DE PETENTIBUS PARUUM CONSILIUM.

Item statuimus, quod si aliquis placitauerit coram curia de yperperis duodecim supra, possit petere paruum consilium; vt esse debeat simul cum regimine ad dictum placitum iudicandum; saluo quod in dicto consilio, uel iudicio, siue sentencia, aliquis propinquus parcium esse non possit vsque in tercium gradum; et curia teneatur ponere ad dictum placitum vnum de consiliarijs non suspectum alicui parcium loco illius iudicis, qui refutatus fuerit et dare ei sacramentum; et similiter si plures essent refutati, et mandare illud placitum executioni.

CAP. LXX. QUOD NULLA FIAT PETICIO PRO DEBITO COMMUNIS.[1]

Item statuimus, quod de cetero pro nullo debito Communis, tam racione condempnacionum, quam quacumque alia occasione aliqua peticio minime recipi debeat, pena yperperorum uigintiquinque cuilibet ex consiliarijs; et si comes, aut uicarius, uel aliquis iudicum reciperet, soluat communi yperpera quinquaginta irremisionabiliter.

CAP. LXXI. DE TRIBUS QUATERNIS FIENDIS PER COMMUNE.[2]

Item statuimus, quod fiant de sex in sex mensibus tres quaterni in carta bombacina de introitibus et exitibus communis, quorum vnum teneat comes, alium teneat senior iudex et tercium teneat camerarius communis. Uolumus etiam, quod antiquior iudex teneat claues capsarum quaternorum et sigillum communis in bona custodia.

CAP. LXXII. DE BLADO CONDUCENDO AD INSULAM.[3]

Item statuimus, quod vnicuique tam ciui, quam forensi sit licitum et possit conducere bladum cuiuscunque generis ad ciuitatem et insulam; et si uendere statim uoluerit ipsum bladum, commune teneatur dare magaçinum et bastasios ad expensas ipsius communis. Et talis habens bladum teneatur statim uendere vnicuique emere uolenti pro eo precio, quo inceperit uendere, nec precium augere pena yperperorum uigintiquinque, quorum medietas sit communis et alia accusatoris, nec possit mutare precium pena supradicta, sed minuere sic; nec possit extrahere de ciuitate, uel de insula sub dicta pena.

---

[1] Idem statuitur cap. LXXVIII. Statuti.

[2] Etiam praesens statutum iisdem fere verbis redditur in cap. LXXIX. inferius sequenti.

[3] Idem statuitur in cap. LXXX. et CIV. hujus Statuti; suppletur antem reformatione, inferius, cap. CXCV. Reform. citata.

CAP. LXXIII. DE RECUPERATIONE POSSESSIONUM PER PROPINQUOS.[1]

Item statuimus, quod vna queque uendicio fienda in Curçula possit exigi et recuperari per proximum uenditoris infra vnum mensem et vnum diem a die, in quo fuerit uenditio scripta, pro eodem precio. Et si alius proximior infra illum terminum adhuc recuperaret, tandem proximiori remaneat et sic de gradu in gradum.

CAP. LXXIV. DE TUTORIBUS.[2]

Item statuimus, quod si quis post mortem patris remaneret iuuenis, uel insensatus, ita quod non esset sufficiens regere et gubernare se, et facta sua, regimen per eius sacramentum teneatur dare tutores, et similiter (si) esset femina.

CAP. LXXV. QUOD ALIQUA MULIER NON POSSIT PLUS[3] TESTARI[4] VNI FILIO, SEU FILIE, QUAM ALIJS.

Item statuimus, quod aliqua mulier non possit plus testari vni filio, quam alijs, nec vni filie, plus quam alie; uerum possit plus testari filio, quam filie, et filijs, quam filiabus ad libitum. Nec possit aliquid immobile dimittere alijs, quam filijs, vel filiabus, seu marito suo.[5]

CAP. LXXVI. DE LABORATORIBUS UINEARUM.[6]

Item statuimus, quod quicunque obligauerit se laborare uineam, uel uineas alicui persone et non laborauerit secundum pactum, soluat yperpera quinque pro medietate communi et alia patrono, cui se obligauerit; et emendet dampnum patrono ad prouidenciam regiminis.[7]

---

[1] „Per propinquos“ deest in Cod. Cap. Sententia praesentis capituli completur quoad modum, quo venditiones bonorum fieri possint, praescripto cap. CXLVIII. inferius sequentis.

[2] Quoad personas, quibus munus tutoris permitti potest cf. cap. CXII. Reform.

[3] Deest in Cod. Cap.

[4] Cod. Cap.: „detestari“.

[5] Super res suas mobiles mulieres libere testari posse, ex sententia in cap. CXXX. h. Statuti declarata constat. Cf. etiam supra cap. XL. Statuti.

[6] Deest in Cod. Cap.

[7] Obligatio vinitoris disertius statuitur reformatione sub cap. VII. Reform. citata.

CAP. LXXVII. DE TESTIFICANTIBUS CONTRA COMMUNE.

Item statuimus, quod quicunque perhibebit testimonium contra commune Curçule, in fauorem alicuius specialis persone, perdat irremissionabiliter omnia bona sua, et sit exul a Curçula et eius districtu, qui, si deinde peruenerit ad manus regiminis, perdat caput. Intelligendo, quod propter eius testificacionem uellet tradere iura communis alicui persone.

CAP. LXXVIII. QUOD PRO[1] NULLO DEBITO COMMUNIS FIAT PETICIO IN CONSILIO.

Item statuimus, quod de cetero pro nullo debito communis tam racione condempnationis, quam quacumque alia occasione, aliqua peticio minime admitti debeat pena yperperorum uigintiquinque cuilibet ex consiliarijs. Et si uicarius, uel aliquis ex Iudicibus admitteret, soluat communi yperpera quinquaginta inremissionabiliter.[2]

CAP. LXXIX. DE QUATERNIS INTROITUUM COMMUNIS.[3]

Item statuimus, quod de sex in sex mensibus fiant tres quaterni[4] in carta bombacina de introitibus et exitibus communis, quorum vnum teneat comes, uel eius uicarius, alium teneat vnus ex senioribus iudicibus et tertium teneat camerarius ciuitatis. Volumus etiam, quod vnus ex antiquioribus iudicum teneat sigillum et claues capsarum quaternorum communis.

CAP. LXXX. DE BLADO CONDUCENDO AD INSULAM.[5]

Item statuimus, quod vnicuique tam ciui, quam forensi sit licitum et possit conducere bladum cuiuscunque generis ad ciuitatem et si uoluerit statim uendere, commune teneatur dare sibi magaçinum (et) bastasios ad expensas proprias ipsius communis. Et talis habens bladum teneatur statim uendere vnicuiqui uolenti emere; et talis non possit extrahere dictum bladum, nec possit crescere precium, pro quo inceperit uendere pena yperperorum uigintiquinque cuilibet uendenti, cuius pene medietas sit communis, et alia accusatoris.

---

[1] Deest in Cod. Cap.
[2] Cf. supra cap. LXX. Statuti.
[3] Cf. supra cap. LXXI. Statuti.
[4] Ed. Ven. „quinterni".
[5] Cf. supra cap. LXXII. Statuti, et cap. CXCV. Reform.

CAP. LXXXI. DE IMPEDIENTIBUS[1] PISCATORUM[2] LOCA.

Item statuimus, quod nulla persona cuiuscunque condicionis existat, audeat impedire, seu piscari in loco, vbi piscatores posuerint recia sua, nec vnus alium impedire in piscando et si quis contrafecerit, soluat communi yperpera duo, dummodo probetur per duos idoneos testes.

CAP. LXXXII. DE NAUIGIJS RUMPENDIS.[3]

Item statuimus ac inuiolabiliter obseruari uolumus, quod in futurum quodcunque nauigium extraneum in districtu ciuitatis, seu insule maris contingeret tempestate rumpi, et per aliquem hominem seu feminam uisum fuerit, talis statim teneatur uenire ad ciuitatem et annunciare regimini, et habeat yperperum vnum, quod regimen de fiendis habeat prouidere; et si fuerit annunciatum in uilla, quod illi de uilla[4] dent dictum yperperum annunciatoribus; (et) si quis uellet ire ad recuperandum aliquid, primo concordet cum patrono, et si patronus nollet auxilium, nec concordare, nullus audeat aliquid accipere pena yperperorum quinquaginta, (qui) deueniant in commune et restituat res, quas acceperit. Et si patronus sit contentus, quod liceat vnicuique rescatare et recuperare cum eo pacto, quo concordauerit cum patrono.

CAP. LXXXIII. DE PRECIO OMNIUM CARNIUM.[5]

Item statuimus, quod de cetero libra carnium castratinarum uendatur denarijs decem paruorum, bouinarum, ircicoglati et capre denarijs quinque paruorum, porcinarum masculini sexus denarijs quatuordecim paruorum et feminini sexus duodecim, et si quis contrafecerit, soluat communi yperpera quinque, quorum medietas sit accusatoris dummodo probauerit per duos idoneos testes.

CAP. LXXXIV DE OFFICIALIBUS.

Item statuimus et ordinamus, quod nullus celnich, polschich, pudarius, nec alter officialis, qui nunc est, uel in futurum erit supra brauarios, uel pastores, audeat uel presumat aliquod exenium

[1] Cod. Cap. „impedimentis".
[2] Cod. Cap. „et" (?)
[3] Cf. inferius cap. CXXVII. h. S.
[4] Deest in Cod. Cap.
[5] Neminem posse carnes vendere non ponderatas neque alio loco quam ad beccariam, praescribitur in cap. CVI. h. S.

accipere, uidelicet animalia, lanam, uel caseum, pena yperperorum quinque cuilibet officialium predictorum contrafaciencium pro qualibet uice, in qua contrafecerit uidelicet a celnicho a pastoribus. Et si aliquis celnich, brauarius, siue pastor aliquid dederit, soluat eandem penam, cuius medietas sit communis et alia accusantis, dummodo probatum fuerit per duos idoneos testes.

CAP. LXXXV. DE EXTRAHENTIBUS LAPIDEM DE MOLO.

Item statuimus, quod quicunque acceperit aliquem lapidem de molo portus ciuitatis, pro quolibet lapide soluat yperperum vnum pro qualibet uice, qua contrafecerit, et accusans habeat medietatem banni. Et Regimen possit facere officiales ad predictum molum custodiendum.

CAP. LXXXVI. DE DEUASTANTIBUS ALIENUM[1] EQUUM.

Item statuimus, quod si quis interfecerit, uel deuastauerit alienum equum ex aliquo (dolo), et probatum fuerit per tres idoneos testes, et sit ita deuastatus, quod non possit operari, talis malefactor laqueo furcis suspendatur, taliter quod penitus moriatur, uerum si talis malefactor non inueniretur, seu de ipso delicto non posset probari, illi de illo casale, vbi tale delictum commissum fuerit, habeant terminum quindecim dierum ad inquirendum malefactorem. Et si inuenire non poterunt, soluant precium patrono, cuius fuerit equus, reseruato semper eis iure, si aliquando inuenirent malefactorem; et semper bona malefactoris sint obligata communi, uel casali.

CAP. LXXXVII. DE DEUASTANTIBUS ALIENUM BOUEM.

Item statuimus, quod si quis inciserit, seu uulnerauerit[2] ac deuastauerit alienum bouem ex aliquo dolo, eiusdem manus dextera amputetur; si autem fuerint duo boues, amputetur ei manus dextera et pes; si autem erunt tres boues, uel inde supra, talis malefactor furcis laqueo suspendatur, taliter quod moriatur; intelligendo, quod delictum sit probatum, vt dicitur supra in capitulo de equo; similiter de uacca et asino, sicut de boue; et si talis malefactor reperiri non possit, casale soluat domino rei; et (in) omnibus intelligatur presens capitulum sicut de equo.[3]

---

[1] Cod. Cap. „alicuius".
[2] Deest in ed. Ven.
[3] Cf. cap. LXXXVI. h. S.

CAP. LXXXVIII. DE DEUASTANTIBUS ALIENAM UINEAM.

Item statuimus, quod si quis combuserit, seu deuastauerit alienas uineas ex aliquo dolo, uel ingenio, iniquo modo, et probatum fuerit per idoneos testes, tali malefactori manus dextera amputetur. Verumtamen si talis malefactor non reperiretur, seu de ipso delicto non possit probari, illi de illo casale, vbi deuastate sunt uinee, habeant terminum xv dierum ad inquirendum malefactorem; et si reperire non possent, soluant et emendent dampnum domino uinee; reseruato semper eis iure, sicut dicitur supra in capitulo de equo.[1] Regimen uero habeat ponere estimatores, prout ipsis uidebitur de iure.

CAP. LXXXIX. DE COMBURENTIBUS ALIENAM DOMUM.

Item statuimus, quod si quis derobauerit, uel combuserit alienam domum, mandram, copam, uel metam bladi ex aliquo dolo, uel iniquo modo et probatum fuerit per duos testes fide dignos, tali malefactori amputetur manus dextera et emendet dampnum domino domus, mete, uel mandre. Et si talis malefactor non reperiretur, illi de illo casale emendent dictum dampnum; reseruato semper eis iure, de quo fit mentio in capitulo de equo, termino et de omnibus perquirendis.

CAP. XC. DE ACCUSATIONIBUS FIENDIS.

Item statuimus, quod vnaqueque accusatio debeat fieri infra terminum octo dierum de quolibet dampno et inuria; et si accusator habuerit, debeat producere vsque ad dictum terminum testes duos ad minus fide dignos; aliter elapso dicto termino, eius accusa, seu querela nullius sit ualoris.

CAP. XCI. DE PUDARIJS ET TERMINO AD ACCUSANDUM DAMNA.[2]

Item statuimus, quod omnes pudarii habeant terminum dierum quindecim ueniendi ad accusandum omnes, qui aliquo modo dampnum fecerint; et si forte aliquem occultarent, seu excusarent, perdant ueritatem, et soluant communi yperpera quinque, et emendent dampnum patrono.[3]

[1] Sc. cap. LXXXV. h. S.

[2] Deest in Cod. Cap.

[3] Praescriptum praesentis capituli iteratur in cap. CXVIII. h. S., quantumque pudarii prestent damnum, culpa vel negligentia eorum emergens, determinatur in cap. CXXXI. Statuti. Reformatione denique a. 1431. capta (cf. cap. CLVI. Reform.) officium pudariorum plenius statuitur.

CAP. XCII. DE CANIBUS LIGANDIS TEMPORE VUARUM.[1]

Item statuimus, quod vnusquisque habens canem seu masculum, seu feminam, incipiendo in festo sancti Helie, quovsque uindemie erunt complete, debeat tenere ligatum pena grossorum sex pro quolibet et qualibet uice, qua quis contrafecerit. Et de hoc adhibeatur fides pudarij. Et si aliquis pudarius occultaret aliquem contrafacientem, soluat communi nomine pene, yperperum id est pro qualibet uice. Et pudarius habeat terciam (partem) pene; et nihilominus emendetur dampnum patrono per patronum canis. Et hoc intelligendum est eo tempore, quo vue erunt in uineis non uindemiatis.

CAP. XCIII. QUOD ALIQUIS NON UADAT PER CAMPOS LABORATOS.[2]

Item statuimus, quod aliqua persona, cuiuscunque condicionis existat, non audeat uel presumat ire per campum, seu per campos laboratos, nec per uineam seu uineas alicuius persone, et si quis contrafecerit, soluat pro qualibet uice grossos sex, que pena diuidatur in tres partes, si pudarius accusauerit, quarum prima sit communis, secunda patroni et tercia pudarij; et ita fiat pro quolibet dampno dato, et semper patrono emendetur dampnum. Et si patronus accusauerit, adhibeatur ei fides cum iuramento et tunc pena diuidatur per medietatem inter commune et patronum.

CAP. XCIV. DE EXTRAHENTIBUS FAMULUM, UEL FAMULAM.[3]

Item statuimus, quod si quis tam ciuis, quam forensis, seu districtualis ciuitatis Curçule, conduxerit aliquem famulum seu famulam alicuius Curçulensis, seu habitatoris insule sine scitu, uoluntate et parabola sui patroni seu patrone, soluat communi nomine pene[4] yperpera quinquaginta sine remissione aliqua, non obstante aliqua parte in contrarium capta, seu in futurum capienda; et si dictus seruus, seu seruicialis non expleuisset terminum suum debeat[5] fustigari nudus, seu nuda per totam ciuitatem et explere debeat suum tempus. Et si aliquas res aportasset patroni seu patrone, fustigetur et bulletur in fronte.

---

[1] Deest in Cod. Cap.
[2] Deest in Cod Cap.
[3] Accuratius hoc ipsum praescribitur cap. CXV. Statuti inf. seq.
[4] Deest in Cod. Cap.
[5] Deest in Cod. Cap.

CAP. XCV. DE EXTRACTIONE LAPIDUM.[1]

Item statuimus, quod si quis forensis extraxerit extra districtum Curçule tot lapides aptos ad fabricandum, de quibus oneretur nauigium, quod possit portare onus modiorum centum salis, soluat communi ducatum vnum auri. Et si fuerit ab vno centenario supra, soluat per ratam pro quolibet centenario dictum ducatum vnum; et si minus, similiter per ratam; et nullus audeat extrahere tam ciuis, quam forensis nisi primo notificet regimini et faciat scribi in cancellaria pena yperperorum uigintiquinque patrono lapidum et uigintiquinque patrono nauigij, que pena deueniat in commune; et quilibet possit accusare et habeat terciam partem banni.

CAP. XCVI. QUOD NULLA SENTENTIA POSSIT RUMPI PER SUCCESSORES.[2]

Item statuimus, quod vna queque sentencia tam ciuilis, quam criminalis, facta per aliquem comitem, uicarium, rectorem et iudices presentes, seu futuros, per eorum successores minime infringi possit, nec rumpi. Et hoc intelligatur tam de factis, quam de fiendis. Verum vnusquisque[3] qui sentiret se grauatum, possit uel liceat appellare, prout in capitulo de appellationibus continetur.[4]

CAP. XCVII. DE LIBERTATE IUDICUM MITTENDI PER CONSILIUM.[5]

Item statuimus, quod regimen vna cum alijs consiliarijs, qui erunt in ciuitate, habeant autoritatem mittendi per consilium quandocumque, et toties quoties uiderint fore oportunum et tunc omnes consiliarij omnium uillarum debeant uenire ad consilium; et si quis non uenerit, soluat illam penam, que imposita erit per regimen; saluo semper iusto impedimento, de quo impedimento faciat talis impeditus certitudinem regimini per se, uel per alium infra dies octo proximos post dictum consilium; aliter eius excusa non ualeat, saluo etiam, si quis haberet gratiam specialem.

CAP. XCVIII. DE MULIERIBUS MARITATIS, QUOD NON POSSINT PETERE BONA PATERNA, NEQUE MATERNA.[6]

Item statuimus, quod si aliqua filia, uel soror alicuius maritata fuerit per patrem, matrem, aut fratres, mortuo patre et matre, non

[1] Ed. Ven. addit: „et sui pedagio".
[2] Deest in Cod. Cap.
[3] Cod Cap. „vnicuique".
[4] Cf. supra cap. XXV. Statuti, nec non cap. CI. et CXXIII. Reform.
[5] Deest in Cod. Cap.
[6] Verba: „quod — materna" desunt in Cod. Cap.

possit se retornare super bona paterna, neque aliquid petere super dictis bonis paternis; saluo si illa filia, uel filie haberent cartam, aut per testamentum, uel aliam publicam scripturam. Et hoc uolumus inuiolabiliter perpetuo obseruari, non obstante quacunque lege, statuto, seu reformatione, que apparere posset in futurum in contrarium loquentibus. Et quod dictum est de bonis paternis, dicitur de maternis.[1]

CAP XCIX. DE SERUITORIBUS, ARRATORIBUS[2] ET PASTORIBUS.

Item statuimus, quod si quis pastor, arrator, aut familiaris se accordauerit stare cum aliquo domino, aut patrono ad certum terminum ad pasculandum animalia, siue ad arrandum terras, uel faciendum alia seruicia in domo, et idem fidem dederit, et postmodum recusauerit, credatur iuramento patroni requirentis cum vno teste fide digno; si cum alio talis seruicialis pactum fecisset et teneatur ire cum primo et non cum secundo et demum soluat communi yperpera quinque, quorum medietas sit patroni, si solus accusauerit.

CAP. C. QUOD QUELIBET UILLA PASCULET IN SUIS CONFINIBUS.

Item statuimus, quod quelibet uilla debeat pasculare animalia sua in suis confinibus et super suo territorio et non super territorio alterius uille. Et si quis contrafecerit, soluat yperpera uiginti quinque, quorum medietas sit communis et alia accusantis.

CAP. CI. DE PISCATORIBUS.[3]

Item statuimus, quod quilibet piscator habens pisces ad uendendum, debeat eos portare ad piscariam ad uendendum vnicuique uolenti emere; et si uenderet eos alibi et accusatus fuerit, soluat yperpera duo, pro qualibet uice[4], quorum medietas sit communis, et alia illius, qui accusauerit.

CAP. CII. DE NON UALENTIBUS PROBARE ACCUSATIONEM.

Item statuimus, quod si quis de cetero accusauerit aliquem et accusacionem probare non possit, soluat communi grossos duos denariorum paruorum, et accusatus absoluatur a dicta accusa.

---

[1] Idem plenius constituitur in cap. CXIII. Statuti inferius sequenti.
[2] Deest in Cod. Cap.
[3] Ed. Ven. addit: „vt pisces vendant in piscaria".
[4] Deest in Ed. Ven.

CAP. CIII. DE MENSURIS IUSTIFICANDIS.

Item statuimus, quod commune seu regimen debeat facere vnum officialem, qui iustet et emendet quolibet mense mensuras, stateras, balantias et omnes alias mensuras et si quis non teneret iustas, soluat yperpera duo pro qualibet uice et qualibet mensura et accusator habeat tertiam partem.

CAP. CIV. DE BLADO CONDUCENDO AD INSULAM.[1]

Item statuimus, quod si aliquod nauigium paruum, siue magnum ueniret in portum Curçule, uel ad aliquem locum insule oneratum blado cuiuscumque generis, et insula eguerit blado, regimen habeat liberatatem faciendi exonerare tantum bladi, quantum sibi uidebitur vsque ad medietatem oneris, et dare patrono magaçinum et bastasios. Et talis patronus uendat minutim dictum bladum pro precio, quod sibi placebit et dictum precium non possit crescere, sed diminuere sic, et semper vltimo precio, quo uenditur, debeat uendere pena yperperorum uiginti quinque, quorum tercia pars sit accusantis et due communis. Aliam medietatem possit portare patronus quocumque sibi placuerit.

CAP. CV. DE UINO FORENSE NON CONDUCENDO.[2]

Item statuimus, quod nullus possit portare ad uendendum uinum forense ad insulam Curçule pena yperperorum uigintiquinque, quorum medietas sit communis et alia accusatoris. Volumus tamen, quod pro vsu domus quilibet possit accipere vsque ad vnum barile. Item uolumus, quod si in ciuitate et insula esset caristia et non esset de uino insule et aliquis uellet conducere, regimen habeat libertatem dandi licenciam portandi.[3]

CAP. CVI. DE UENDITIONE CARNIUM AD BECCARIAM.[4]

Item statuimus, quod cum dixerimus supra de carnibus ircinis castratinis, quod dicte carnes uendantur denarijs octo[5] paruorum

[1] Cf. etiam cap. LXXII. et cap. LXXX. Statuti, nec non cap. CXCV. Reformationum.

[2] Deest in Cod. Cap.

[3] Cf. inferius cap. CXXXVI. Statuti cum capp. LXXXI. et XCIX. Reform.

[4] Deest in Cod. Cap. Cf. etiam cap. LXXII. LXXX. et LXXXIII. Statuti.

[5] Cap. LXXXIII. Statuti pretium decem denariorum parvorum statuitur.

libra et quilibet faciens carnes ad beccariam, ipsas teneatur uendere vnicuique uolenti emere, et non ferre domum, nisi pro vsu domus sue et teneatur eas incidere et dare cuilibet petenti vsque ad medium grossum et ab inde supra; nec ipsas carnes uendere alibi, quam ad beccariam sub pena yperperorum duorum pro qualibet uice; et quilibet possit accusare et habeat medietatem banni. Et non possit uendere carnes non ponderatas sub dicta pena.[1]

CAP. CVII. DE UENDITIONE UINI.

Item statuimus, quod nullus uenditor uini, tam sui quam alterius debeat, nec possit uendere denegare de dicto uino cuilibet homini et persone qualibet hora licita sub pena yperperorum duorum, quorum medietas sit communis et alia accusantis.

CAP. CVIII. DE UENIENTIBUS DE LOCIS MORBOSIS.[2]

Item statuimus, quod nullus ciuis siue insulanus audeat suscipere in domo aliquam personam uenientem de locis morbosis, seu vbi regnaret mortalitas, pena yperperorum quinquaginta, quorum medietas sit communis et alia accusantis; et si quis peticionem pro ipsis porrigeret, seu porrigi faceret, soluat communi yperpera uigintiquinque. Et si quis ab eis emeret aliquod uestimentum, sit forbannitus et confinatus per duos menses de insula.

CAP. CIX. DE APERITIONE LITTERARUM COMMUNIS.

Item statuimus, quod quandocunque alique littere mittentur pro tempore consilio et regimini Curçule et consilium non esset, regimen vna cum consiliarijs, qui in ciuitate erunt, habeant autoritatem faciendi aperire et legi a cancellario ciuitatis dictas litteras.

CAP. CX. DE LIGNAMINE NON INCIDENDO.[3]

Item statuimus, quod si quis forensis uellet aliquod lignamen grossum aptum ad fabricandum incidere in insula, regimen non possit facere graciam sine pleno consilio, sub pena yperperorum decem cuilibet iudicum; et si uicarius esset, eandem penam incurrat. Si autem aliquis uelet emere, regimen simul cum consiliarijs, qui

---

[1] Deest in Cod. Cap.

[2] Praeceptum praesentis capituli iteratur in cap. CXXXVI. Reformationum.

[3] Ed. Ven. addit: „per forenses sine Consilio“.

erunt in ciuitate possit uendere et dare licenciam uendendo. Si autem aliqui peterent ligna pro comburendo, regimen tam cum precio, quam sine precio possit dare licenciam. Et ille, qui habet licenciam incidendi ligna ad comburendum, si incideret ligna grossa, apta ad fabricandum, soluat communi sine remissione yperpera uigintiquinque, qui denarij deueniant in commune et perdat onus[1] suum.[2]

CAP. CXI. DE APERITIONE CAPSARUM QUATERNORUM.

Item statuimus, quod quandocunque aliquis uult querere aliquod suum instrumentum, uel scripturam in quaternis communis, iudex, qui habet claues, debeat querere simul cum cancellario, nec possit sine cancellario querere aliquam scripturam pena yperperorum quinque cuilibet iudicum, tenenti claues capsarum, vbi sunt scripture communis.

CAP. CXII. DE FURANTIBUS LIGNAMEN.[3]

Item statuimus, quod si quis incideret aliquod lignamen aptum ad fabricandum, uel minutum et oneraret aliquod nauigium, uel barcam, patronus soluat communi yperpera uigintiquinque, et quilibet ex marinarijs yperpera duo, si sine licencia incideret; et intelligatur de forensibus, et perdat totum onus, et ille, qui accusauerit, habeat terciam partem banni.

CAP. CXIII. DE MULIERIBUS MARITATIS QUOD NON POSSINT PETERE ALIQUID VLTRA DOTEM.[4]

Item statuimus, et perpetuo obseruari uolumus, quod non obstante quocunque statuto, siue lege quauis in contrarium loquente, quocunque decreto, seu parte capta, uel in futurum capienda, quod si aliqua mulier careret patre, fratribus, seu fratre et maritaretur cum dotibus, de quibus contentaretur, per aliquem suum consanguineum, uel affinem et esset confessa ipsa, uel eius maritus, seu ipsa sola de receptis dotibus et presertim ipsa refutauerit ceteris alijs bonis quouis iure sibi spectantibus, nec ipsa, nec maritus eius vnus uel plures, nec heredes ipsius, nec aliquis pro ipsa possit

[1] Cod. Cap. „honus".
[2] Cf. etiam inferius cap. CXII. Statuti, et capp. LXIII. CXCIX. ac CC. Reform.
[3] Cf. etiam capitula Reform. sub. cap. CX. Statuti citata.
[4] Verba: „quod — dotem" desunt in Cod. Cap.

vnquam aliquid petere vlterius de bonis paternis aut maternis, nec de quibuscumque bonis sibi et suis heredibus spectantibus racione hereditatis; sed sint ipsa illius, uel illorum, ad quos pertinet de iure, uel suorum heredum.[1]

CAP. CXIV. DE SOLUTIONE CANCELLARIJ.[2]

Item statuimus, quod cancellarius pro qualibet scriptura, quam facit forensibus, debeat tantum accipere a forensibus, quantum illi a nostratibus.

CAP. CXV. DE FAMULIS ET FAMULABUS[3] ASPORTANTIBUS ALIQUID DOMINI SUI.

Item statuimus, quod si aliquis famulus seu famula recesserit ante terminum ab aliquo patrono suo, seu patrona et aliquid asportaret, talis patronus, seu patrona credatur suo sacramento et si aliquis alius acciperet dictum famulum, seu famulam, soluat communi yperpera quinque, tam famulus seu famula, quam ille uel illa, qui uel que acciperet illum uel illam et talis famulus seu famula perdat totum salarium suum, et seruiat totum tempus primo patrono seu patrone, prout se obligauerit.[4]

CAP. CXVI. DE MODO PASCULANDI IN CHNESE.[5]

Item statuimus, quod vnusquisque possit pasculare animalia in partibus marine, uidelicet in Chnese sine capretis et agnis, sed in nocte nullum animal possit pasculare, sed recedere de confinibus et si quis contrafecerit in aliquo predictorum, soluat yperpera uigintiquinque et pastor stet vno mense in carceribus et si vnus solus agnus, uel hedus reperiretur, soluat dictam penam et credatur accusanti cum vno teste fide digno et habeat terciam partem banni; et si de nocte pasculauerit in dictis confinibus, soluat dictam penam, quorum tercia pars sit accusantis, vt supra et credatur accusatori, vt supra.

---

[1] Cf. supra cap. XCVIII. Statuti.

[2] Praesens capitulum ultimum est, quod numeravit scriptor Cod. Cap. Capitula sequentia Statuti signata sunt numeris initio saec. cur. parum accurate appositis.

[3] Deest in Cod. Cap.

[4] Cf. cap. XCIV. Statuti.

[5] Praeceptum hujus capituli adauctum est reformatione, a. 1431. capta, sub. cap. CLIII. Reform. citata.

CAP. CXVII. QUOD NULLA FIAT PETICIO IN CONSILIO PRO CRIMINIBUS.[1]

Item statuimus, quod si quis percusserit aliquam personam cum ferro, maça, fuste, lapide, lancea, dixerit uerbum iniuriosum, furtum fecerit, prodicionem, uel manu percusserit, scapillauerit, uel occideret equum siue aliud quodcunque animal uel inciserit uineas, non possit ponere peticionem in consilio, pena yperperorum uigintiquinque, et si regimen, uel aliquis de regimine diceret, quod admittatur talis peticio, soluat yperpera uigintiquinque pro quolibet, que deneniant in commune.

CAP. CXVIII. DE ANIMALIBUS DANTIBUS DAMPNUM.[2]

Item statuimus, quod quodlibet animal grossum dans dampnum in uineis die soluat grossos tres, de nocte uero sex; cuius pene tercia pars sit communis, tercia patroni et tercia accusantis; si uero solus patronus accusauerit, credatur eius iuramento cum vno teste fide digno et habeat medietatem banni et aliam medietatem commune; et uolumus, quod pudarij uadant ad uidendum dampnum infra octo dies, postquam eis erit anunciatum, pena grossorum duodecim pro quolibet et patronus accusans credatur cum iuramento suo.

CAP. CXIX. DE POSSESSIONIBUS RETENTIS PER XXX. ANNOS.

Item statuimus, quod si aliquis tenuerit aliquam possessionem sine molestia per annos triginta, tam cum instrumento, quam sine instrumento, non possit ab aliquo molestari, saluo instrumento testamenti, uel dotis.

CAP. CXX. DE DAMPNIS EMENDANDIS PER CASALE.

Item statuimus, quod si in aliquo casale, seu eius confinibus fieret aliquod malificium, seu aliquod criminale, et non reperiretur malefactor, illud casale emendet illud dampnum. Et si quis criminaliter fuerit accusatus, habeat terminum octo dierum ad comparendum et si non comparuerit in dicto termino, reus habeatur de eo, quo fuerit accusatus.

CAP. CXXI. DE TERMINO ACCUSATIONUM FIENDARUM.

Item statuimus, quod vna queque accusa super qualibet iniuria siue dampno fienda per illos de ciuitate fiat infra octo dies, aliter

[1] Cod. Cap.: „pro debito communis".

[2] Cf. supra cap. XCI. infra cap. CXXXI. Statuti et cap. CLVI. Reform.

elapso dicto termino dicta accusa nullius sit ualoris: si uero in uillis. habeat terminum vnusquisque quindecim dierum si fuerit criminale, si autem ciuile. octo, aliter vt supra, accusa non ualeat.

CAP. CXXII. DE VERBERATIS NON VALENTIBUS PROBARE.

Item statuimus. quod si quis uerberatus fuerit in monte. uilla, ciuitate, uel in quocumque alio loco de ferro. maça, baculo, lapide seu manibus et habeat aliquod signum et non habeat testes, primo dare debeat iuramentum accusanti, si est vt dicit et accusat, deinde mittere per illum. qui erit accusatus et dare sibi iuramentum, si ita est, vt in accusa contra eum continetur: si confitetur, puniatur secundum statuta, et reformationes. si negauerit, poni debeat in carceribus et ibi stet tribus diebus et tribus noctibus, et si infra dictum terminum confitetur, puniatur, vt supra. si non, detur sibi vnum curulum canapris secundum discrecionem curie; si confitetur, soluat duplum, si non, dimittatur. Et hoc non possit fieri sine curia ad plenum.

CAP. CXXIII. QUOD NULLUS CURÇULANUS POSSIT PROCURARE PRO FORENSIBUS.[1]

Item statuimus, quod nullus Curçulanus audeat, nec presumat, nec possit procurare, nec aduocare pro aliquo forense aliquo modo, ingenio uel scaltirimento sub pena yperperorum uigintiquinque, qui deneniant in commune, nisi sit aduocatus communis, qui possit aduocare pro forense ipso presente, absente autem non sub dicta pena.

CAP. CXXIV. QUOD NULLUS CURÇULANUS POSSIT EMERE INTROITUS COMITIS IN GROSSUM.[2]

Item statuimus, quod nullus ciuis Curçulanus possit, nec ualeat emere introitus comitatus omnes in grossum, sed minutim ad mensuram pena ducatorum auri quinquaginta.

CAP. CXXV. CURÇULANUS NON POSSIT ESSE PROCURATOR COMITIS.[3]

Item statuimus, quod nullus Curçulanus possit esse procurator alicuius comitis, nec de possessionibus seu reditibus se intromittere pena ducatorum auri quinquaginta, communi aplicandorum et regimen teneatur procedere contra talem sine aliqua acusacione.[4]

[1] Ed. Ven.: „Q. n. C. p. esse procurator forensium, exceptis pro praesentibus Aduocatis Communis“.
[2] Deest in Cod. Cap.
[3] Ed. Ven.: „Quod nullus Curzulanus possit“ etc.
[4] Ed. Ven. „excusatione“.

CAP. CXXVI. DE MORIENTIBUS SINE TESTAMENTO.[1]

Item statuimus, quod si quis moritur intestatus, omnia bona sua deueniant ad propinquiorem de sua progenie per lineam masculinam et si non esset aliquis, uel aliqua de propria stirpe masculine linee, mulier descendens per lineam masculinam debet hereditare, et si non esset per lineam masculinam propinguior, hereditet propinguior masculus per lineam femeninam, et si non esset masculus, femina.

CAP. CXXVII. DE NAUIGIJS FRANGENDIS.[2]

Item statuimus, quod si aliquod nauigium rumperetur, nullus Curçulanus audeat emere res, seu mercancias in mari, uidelicet, que sint in fundo, sub pena perdendi totum id, quod expenderet, et accusans habeat medietatem, dummodo probet per duos idoneos testes.

CAP. CXXVIII. NULLUS POSSIT CONDEMPNARI NISI UOCETUR AD EXCUSANDUM.

Item statuimus, quod non possit aliquis, uel aliqua criminaliter condempnari, nisi primo uocetur per regimen ad excusacionem; et si noluerit comparere, uel respondere, tanquam reus, uel rea sentencialiter condempnetur, de quo criminatur.

CAP. CXXIX. DE OFFICIO CANCELLARIJ IN ACCUSIS.

Item statuimus, quod quandocumque aliquis accusat aliquem criminaliter, cancellarius teneatur statim dictam accusacionem scribere et statim anunciare regimini; quod regimen debeat statim examinare testes, si sunt in ciuitate, si autem essent in uilla cum sigillo, uel cedula, debeat mitti pro eis et pro accusato, qui debeat comparere coram regimine ad respondendum tali accusacioni et iste ordo obseruetur semper in criminalibus.

CAP. CXXX. QUOD MULIER NON POSSIT PLUS[3] TESTARI VNI FILIO UEL FILIE QUAM ALIJS.

Item statuimus, quod aliqua mulier non possit plus testari vni filio, uel filie, quam alijs, nec possit aliquod immobile dimittere

[1] Cf. supra cap. XLV. Statuti.
[2] Cf. Supra cap. LXXXII. Statuti.
[3] Deest. in Cod. Cap.

alijs quam filijs, uel filiabus suis, seu marito suo. Verum in rebus mobilibus possit mulier testari et relinquere ad libitum cuicunque sibi placuerit pro anima, prout superius continetur in statuto de extractione pro anima.[1]

CAP. CXXXI. SI PUDARIUS FACERET DAMPNUM IN CUSTODIENDO.[1]

Item statuimus, quod si quis pudarius habens custodire campos seu uineas, faceret dampnum tam cum animalibus, quam sine, soluat duplum, si ipse sua animalia non accusauerit, sed alter et si ipse dampnum dederit, soluat duplum, si per alium accusatus fuerit, cuius pene medietas sit communis et alia sit accusantis.

CAP. CXXXII. SI NOBILIS UIOLARET NOBILEM.

Item statuimus, quod quicunque nobilis uiolaret aliquam nobilem maritatam, statim sine remissione amputetur sibi caput, taliter quod penitus moriatur, dummodo hoc probatum fuerit per duos idoneos testes; et si testes non haberet, talis qui accusatus erit, stet tribus diebus in carceribus et in tercio die debeat habere tres squassus curuli; et si confitetur, amputetur sibi caput, vt dictum est; hoc autem non possit fieri sine plena curia.

CAP. CXXXIII. SI NOBILIS UIOLARET NOBILEM UIRGINEM.

Item statuimus, quod si quis nobilis uiolaret aliquam puellam nobilem et uirginem et probatum fuerit per duos idoneos testes, soluat nomine pene ducatos centum auri, quorum medietas sit communis et alia dicte puelle et talis nobilis stet sex mensibus in carceribus; et si puella uellet recipere eum in maritum, et ipse eam in vxorem, nihil soluat.

CAP. CXXXIV. SI NOBILIS UIOLARET RUSTICAM MARITATAM.

Item statuimus, quod si quis nobilis uiolaret aliquam rusticam maritatam amputetur sibi caput. Si uero uiolaret uirginem, soluat ducatos quinquaginta, quorum medietas sit communis et alia dicte puelle et stet tribus mensibus in carceribus. Et si quis rusticus uiolaret puellam nobilem, suspendatur ad furcas, taliter quod moriatur; dummodo omnia predicta maleficia probentur ad minus per

---

[1] Cf. superius cap. XL. et cap. LXXV. Statuti.

[2] Cf. supra cap. XCI. et CXIII. Statuti, nec non cap. CLVI. Reform.

duos idoneos testes. Et si per curiam presumeretur, quod domina non diceret uerum, ponatur talis mulier ad torturam et si confiteatur quod falsum diceret, igne comburetur taliter quod moriatur. Intelligendo tam de nobile, quam de rustica et hoc non possit fieri sine plena curia.

CAP. CXXXV. QUOD ANIMALIA NON POSSINT PASCULARE ANTE CIUITATEM.

Item statutum et ordinatum est, quod aliqua animalia insule non possint pasculare ante ciuitatem, incipiendo a punta furcarum vsque ad paruum borach, vsque ad Sanctum Lucam per omnes montes, vbi uisus hominis potest extendi, stando ante ciuitatem, pena yperperorum duorum pro quolibet contrafaciente. Si uero aliquis in nocte pasculauerit, soluat duplum; cuius pene medietas sit communis, et alia accusantis; sed dictum pasculum habeatur et seruetur pro equis, asinis et animalibus beccarie.[1]

CAP. CXXXVI. CURÇULANI NON POSSINT BARCHIÇARE UINUM FORENSE.[2]

Item statutum et ordinatum est, quod aliquis Curçulanus, seu habitator Curçule non audeat, uel presumat barchiçare uinum forense, nec mercari cum alio uino, nisi Curçulano, pena yperperorum uigintiquinque, tam patrono, quam mercatori et pena cuilibet marinario yperperorum quinque, quarum penarum accusator habeat terciam partem; et quilibet possit accusare, saluo si quis portaret de Marchia aliquod ad Naulum, non tamen Curçulam, quod facere possit cum licencia tantum tocius regiminis et non aliter sub dicta pena.

CAP. CXXXVII. COMES ET IUDICES HABEANT LIBERTATEM PONENDI PARTES IN CONSILIO.[3]

Item statutum et ordinatum est, quod amodo in antea in consilio generali Curçule non possit dari aliqua libertas alicui comiti, iudicibus, nec alicui persone, nec facere aliquam determinacionem, nec partem, nec reformacionem aliquo modo, uel ingenio, nisi per modum infrascriptum, et si aliter fieret, non sit ualida, nec in se

---

[1] Animalia becarice posse sub cura pastorum pasculare in dicto loco, permittitur reformatione, sub cap XII. Reform. citata. Cf. etiam cap. XLIII. Reform.

[2] Cf. supra cap. CV. Statuti et cap. LXXXI. ac XCIX. Reform.

[3] Cf. de ista causa reformationes de a. 1403 et 1418 (cap. LXI et. CXXXIX. Reform.)

habeat aliquam firmitatem. Fit hoc modo. Primo coadunetur consilium generale in quo sint consiliarij quadraginta vnus. in quo consilio dominus comes cum iudicibus. uel maiori parte ponat propositam et continua proposita debent partiri ballote. deinde cancellarius habet cum bassulis iudicis scire partitum et portando vnum bussulum in dextera et alterum in sinistra. denunciando quod fit et quilibet consiliarius teneatur ponere ambas manus in bussulis et per sacramentum ponere ballotam. vbi melius sibi uidebitur pro bono patrie sue: deinde colligantur ballote per cancellarium. et numerentur coram comite et iudicibus. in quo bussulo reperientur[1] plus ballote. illa pars denunciatur et sit firma et rata, et scribatur per cancellarium ciuitatis per ordinem in quaterno reformacionum et iste ordo semper obseruetur: qui ordo nullo modo rumpi possit. nisi concurrant in vna opinione dominus comes et omnes tres iudices. qui producant hanc opinionem in consilio generali. in quo sint adminus consiliarij sexaginta. de quibus sexaginta ad minus reperiantur ballote quadraginta, aliter nec comes, nec iudices. nec consiliarii. nec cancellarius vnquam audeant, uel presumant in aliquo tangere, seu uiciare presens statutum, pena ducatorum centum auri applicandorum pro duabus partibus communi et tercia accusatori; et presens statutum semper sit firmum.[2]

CAP. CXXXVIII. IUDICES NON POSSINT CARCERARE ALIQUEM[3] SINE COMITE.

Item statutum et ordinatum est, quod aliquis iudex non possit carcerare aliquam personam sine consilio domini comitis et si comes non esset, sine consilio aliorum iudicum uel alicuius ipsorum et comes similiter cum sibi uidetur carcerare aliquam personam, hoc faciat de consilio iudicum, uel iudicis, qui erunt, uel erit in ciuitate et non aliter. Si uero iudex, uel iudices non essent in ciuitate, comes possit.[4]

---

[1] Verba: „coram — reperientur" desunt in Cod. Cap.

[2] Ed. Ven. addit insuper: „Quod statutum fuit factum, editum et confirmatum in generali pleno et authentico consilio ciuitatis et insule Curçule in ecclesia Sancti Marci coadunato, in quo consilio fuerunt consiliarij sexaginta duo, nemine discordante et in Millesimo quadragentesimo tercio decimo, indictione sexta et die vigesimo mensis Augusti".

[3] Deest in Cod. Cap.

[4] Praeceptum hujus capituli reformatione a. 1414. capta iisdem fere verbis redditur. Cf. cap. CVII. Reform.

CAP. CXXXIX. QUANTUM DEBET HABERE ADUOCATUS COMMUNIS.

Item statuimus, quod aliquis aduocatus communis seu procurator alicuius persone non possit accipere aliquam solucionem, nisi gros sum vnum pena sacramenti et quicunque aduocatus, seu procurator acciperet aliquod premium[1] nomine precij, uel simonie, uel porcionis, soluat in duplum totum id, quod acceperit nominibus, vt supra; cuius pene medietas sit communis et alia accusantis, dummodo probatum fuerit per duos testes fide dignos ad minus; et ultra sit priuatus aduocacia pro illis sex mensibus; intelligendo de iudicijs, seu racionibus, que fient in Curçula et non foris.[2]

CAP. CXL. QUOD MULIER NON POSSIT ALIENARE BONA SUA.[1]

Item statuimus, quod amodo in antea aliqua mulier maritata non possit aliquo modo alienare bona sua, nisi in tribus casibus, uidelicet, si esset maritus suus carceratus, et aliter de carceribus exire non possit, tunc mulier cum prouidencia regiminis Curçule possit alienare bona sua. Secundo pro filio, seu filijs recuperando, seu recuperandis de carceribus vt supra. Tercio si ipsa mulier, uel cum marito, uel cum filijs, seu filiabus famem pateretur, tunc possit alienare cum prouidencia, vt supra. Vna autem queque uendicio, pignoracio, donacio, uel alia obligacio facta vsque in diem presentem per mulierem cum consensu mariti uel per maritum cum consensu mulieris, sit firma et rata, nec possit anihilari, nec refutari; sed in futurum sic. Hoc autem statutum factum, firmatum et autenticatum fuit per generale consilium Curçule in Millesimo tricentesimo octuagesimo nono (anno).

CAP. CXLI. DE SUSPECTIONE LATRONUM.

Captum fuit et obtentum in pleno et generali consilio Curçule, more solito congregato, sub Millesimo trecentesimo octuagesimo septimo, die xvij Septembris, quod si aliqua suspectio esset de aliquo latrone, siue fure, quod curia ad plenum possit ponere dictum latronem, siue furem ad torturam; dummodo habeatur aliquod indicium et dare ei torturam ad conscienciam maioris partis curie.

---

[1] Cod. Cap. et Ed. Ven. legunt: „aliquod precium, nomine premij seu precij" etc., quam lectionem emendandam censuimus ad instar lectionis cap. CVIII. Reform.

[2] Honorarium attamen aduocatis sumere permittitur reformatione l. l. citata.

[3] Cf. infra cap. CXLIII. Statuti et cap. IX. Reform.

CAP. CXLII. DE RATIONIBUS ANIMALIUM.

Item sub anno Domini Millesimo quadringentesimo tercio, indiccione xj et die vltimo mensis Januarij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insule Curçule, in quo fuerunt consiliarij quinquaginta sex, eorum nemine discordante, captum fuit, quod omnes raciones animalium debeant fieri inter patrones et pastores, seu celnicos, vsque ad vnum annum proxime postquam compagniam relinquent; uidelicet, vsque ad festum Sancte Marie de mense Augusti; aliter elapso dicto anno pro nullo teneantur pastores, nisi iustum fuerit impedimentum [1]

CAP. CXLIII. QUOD ALIQUA MULIER NON POSSIT ALIENARE DOTEM SUAM.[2]

In pleno et generali consilio ciuitatis et insule Curçule ad sonum campane more solito congregato, in quo quidem fuerunt consiliarij triginta octo, captum et obtentum fuit per consiliarios trigintaquinque, quod omnes et singule uendicciones, pignoraciones et empciones facte vsque in diem presentem per mulierem cum consensu mariti sui, uel maritum cum consensu mulieris sint firme et rate, nec possint uitiari, dummodo sint facte cum modis et ordinibus Curçule. De cetero uero non possit aliqua mulier aliquo ingenio, uel colore alienare dotes suas sine licencia et expresso consensu curie et curia non possit dare licenciam sine iusta causa, prout lex uult. Verum quod ex istis xxxviij consiliarijs tres fuerunt contrarie opinionis, uidelicet Ser. Luxa Simcouich, Ser. Angelus olim Ser. Marini, et Ser. Marinus Zanini. Sub Millesimo trecentesimo octuagesimo nono, indiccione xij, die primo Aprilis.

CAP. CXLIV. DE ORDINE AD DANDUM PASCENDI ANIMALIA.

In pleno et generali consilio ciuitatis et insule Curçule ad sonum campane more solito in ecclesia Sancti Marci congregato, in quo quidem interfuerunt consiliarij quinquaginta sex, captum fuit et obtentum per ballotas quadraginta nouem, contrarie uero fuerunt septem, quod amodo in antea quilibet dominus, siue patronus animalium quorumcunque, qui dederit ad pascendum sua animalia pastori alicui, seu pastoribus, statim inter se teneatur facere tesseram et facta tessera, quod maior pars ipsius tessere debet remanere apud patronum, seu patronos, postea quilibet pastor, quolibet anno

[1] Idem statuitur cap. LI. Reform.*

[2] Cf. supra cap. CXL. Statuti et cap. IX. Reform.

teneatur reddere integram racionem domino siue patrono animalium semper in festo Sancte Marie de mense Augusti et adhuc (post) dictum festum diebus octo continuo pastor teneatur diligenti cura animalia sui patroni pascere et custodire. Et si de illo anno deficeret patrono aliquod animal, credatur de hoc sacramento patroni contra pastorem[1] sine alia probacione et pro quolibet animali, quod deficiet patrono animalium statim pastor (teneatur) dare et assignare patrono duo animalia de iuuenibus, uel soluere grossos octo pro quolibet animali deficiente, et contra hoc nullus pastor animalium contra patronum, uel eius sacramentum possit dicere aliquid, nec aliquod statutum, uel reformacionem, aut legem, uel aliquam consuetudinem allegare, presens, uel futurum, et si quid allegaret in contrarium huius, ex nunc in antea nullius sit ualoris uel momenti.[2] Preterea uolentes, quod amodo in antea circa hec in omnibus credatur domino, uel patrono animalium mediante iuramento sibi delato. Insuper sic statuitum est de cetero, quod si pastor foret obligatus patrono in aliquo quocumque debito, quod donec fuerit in simul cum patrono in societate animalium, nullo modo patronus possit ipsum pastorem ad soluendum sibi debitum constringere.[3] Item, quod omnis testificacio ad minus per duos idoneos testes contra pastorem seu pastores de sacramento aliquo, in quo esset obligatus patrono, sit ualida semper, nec possit quoquo modo infringi per statutum aliquod, uel reformacionem aliquam et specialiter per illam reformacionem de testibus, in quo continetur, quod testes ualere non possint vltra de yperperis decem, hec capiet uires tantummodo in mutuo concesso alijs personis et non pastoribus.[4]

Item si pastor uel pastores post dictos octo dies festi Sancte Marie non haberet vnde soluere debitum patrono, in quo sibi tenetur et patronus uellet vt pasceret et teneret in futurum sua animalia, pastor illud recusare non possit. Item de omni racione, aut debito quocumque, quod et que esset inter patronum et pastorem, regimen, quod pro tempore erit, teneatur statim, sub iuramenti uinculo, in pura consciencia, ius summarium ipsi patrono, uel domino

[1] Deest in Cod. Cap.

[2] Ne patronum quidem cum pastore contra praecepta hujus reformationis pacisci posse, ex reformatione, cap. LVIII. Reform. citata intelligitur.

[3] Cf. cap. XCVI. Reform.

[4] Reformatio illa, causam pastorum cum patronis eorum diserte excipiens, cap. XXV. Reform. citatur.

animalium contra pastorem seu pastores facere et fine debito terminare omni tempore et die tam feriata quam non feriata.

Item omne aliud pactum factum, siue fiendum, aut conuencio, uel obligacio facta, uel fienda inter patronum et pastorem quocumque modo, racione, causa, uel ingenio, cum sacramento, uel sine, cum scriptura, uel sine,[1] preter hec, que in hac presenti reformacione continetur, ex nunc in antea sit uana, cassa, irrita, nulliusque ualoris, uel momenti, quam uidelicet reformacionem prenotatam uolentes, imo mandantes ex nunc in antea consiliarij prelibati vnicuique pena prestiti iuramenti, in quam ipso facto incurant, pro preciso haberi statuto.[2] Hec reformacio capta fuit et obtenta in dicto generali consilio, sub Natiuitate Domini nostri Jesu Christi Millesimo cccc. decimo septimo, Indiccione x. die vicesimo secundo mensis Augusti.

CAP. CXLV. QUOD QUILIBET HOMO POSSIT RELINQUERE QUARTAM PARTEM BONORUM SUORUM.[3]

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet cum peruenerit ad ipsius uite extremum, possit totam et integram partem quartam suorum bonorum omnium stabilium dimittere cuicumque sibi uidebitur et placuerit, pro suo libitu uoluntatis. Verum post hec predicta, quod pater non possit, habens plures natos de ipsius bonis reliquis aliquid plus dimittere vni, quam alio, secundum quod in alio statuto in presenti uolumine continetur.[4]

CAP. CXLVI. QUOD ALIQUIS NON POSSIT LABORARE IN PEGULA[5] NISI A MEDIO MENSE JULIJ, VSQUE AD MEDIUM AUGUSTUM.[6]

Item statutum et ordinatum est, quod aliqua persona aliquo quesito colore non possit laborare in pegula, nec paclinam facere aliquo tempore anni, nisi a medio mense Julij, vsque ad medium mensem

---

[1] Deest in Ed. Ven.

[2] De tempore quo contractus inter patronum et pastorem renunciari potest, cum praesens statutum nihil definit, reformatione, a. 1430. capta (cf. cap. CLII. Reform.) declaratum est, renunciationem illam tempore tonsurae lanarum fieri posse.

[3] Cf. etiam cap. XXXVII. et CXXXI. Reform.

[4] Cf. supra cap. XXXIX. Statuti. Quoad mulieres, neque eas alio modo bona sua inter liberos dividere posse, cf. capp. XL., LXXV. et CXXX. Statuti.

[5] Cod. Cap. „pegulam“.

[6] Verba: „nisi — Augustum“ desunt in Cod. Cap.

Augusti, et quecunque persona contrafecerit, cadat[1] ad penam yperperorum uigintiquinque applicandorum pro duabus partibus communi et tercia accusatori et possit quilibet accusare et habere terciam partem banni.

Et quilibet, qui daret in pegulam facientibus, non possit aliquo quesito colore accipere suo debitori, si non attenderet, vltra tercium denarium de plus quam dederit nec regimen constringere possit eum.

CAP. CXLVII. DE ILLIS, QUIBUS DATUM FUIT ORDINANDUM STATUTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod cum nobiles et omnes alij de Curçula nimium grauarentur a salario domini comitis sui omni anno et similiter commune suum Curçule, vti est manifestum, et nimis debitis grauatur et habeat paruissimum introitum, de quo male possit satisfieri omnibus debitis predictis, habendo agere tot laboreria quanta sunt necessaria ciuitati, et vltra premissa egeat multis alijs bonis prouisionibus, tam pro augumentacione introitus sui et pro diminucione expensarum suarum, quam pro omnibus agendis ipsius ciuitatis, quibus omnibus sumptibus male posset per hoc consilium prouideri, ipsum tam sepe grauando, pro tanto pro porcione omnium predictorum posita fuit pars, quod autoritate huius presentis consilij dominus comes presens, uidelicet dominus Pancracius Georgio cum suis iudicibus maioribus eligere debeant et possint vsque ad numerum decem nobilium sapienciorum huius ciuitatis, sicuti uidebitur eis, cum quibus decem suis iudicibus magnis et paruis habeant libertatem prouidendi pro bono tocius Curçule et omnium predictorum inter ipsos et capere partem, et ponere prouisiones et omnia alia facere, sicut eis uidebitur; et quicquid per ipsos, uel duas partes ipsorum captum erit, sit firmum et ratum et ualeat, sicuti factum esset per totum consilium et mittantur execucioni omnia per ipsos facta et firmata per dominum comitem presentem et iudices et succesores eorum in pena yperperorum uigintiquinque pro quolibet contrafaciente his omnibus predictis; et si statutum consilium aut reformaciones essent contra hoc, sint reuocata quantum in his suprascriptis. Isti sunt nobiles electi per dominum comitem ad consilium suprascriptum: primo domini iudices moderni ser. Bogdanus Radichi, ser. Marinus Johannis Cilgoouich, ser. Raphael Angeli; iudices minores ser. Antonius Marse, ser. Mateus Petri,

[1] Deest in Cod. Cap.

ser. Stipe Junij; electi sunt vij, ser. Obradus Dobroslai, ser. Johannes Radetini, ser. Johannes Petri, ser. Chiriacus Lucxe, ser. Antonius Peruoscheuich, ser. Johannes Junij, ser. Johannes Angeli, ser. Martinus Michaelis, ser. Laçarinus Testa, ser. Stoianus Johannis, ser. Dobroslaus Petri. Hec omnia fuerunt consumata per generale consilium Curçule per ballotas quadraginta octo, non contrariantibus decem ballotis in contrarium repertis.

CAP. CXLVIII. QUOMODO BONA STABILIA UENDI DEBEANT CUM STRIDIS.[1]

Item pro complimento capituli uendicionum lxxiij, quod bona stabilia, que uenduntur per totum districtum Curçule sine stridis in dampnum et preiudicium ius habencium, de cetero uendantur cum stridis, faciendo mencionem precij in stridis et proclamationibus predictis, que debeant fieri in ciuitate super platea et ad ambas portas, dominica prima sequente de mane, quando persone erunt bene coadunate et aliter nullatenus ualeant; et hec habeant seruari per cancellarium pena yperperorum decem et poni in scriptis in registro et similiter de omnibus pignoracionibus fiendis.

CAP. CXLIX. DE ORDINE INTROMISSIONIS BONORUM STABILIUM.[2]

Item. Quod cum sentencie et carte propter intromissiones iusticiariorum et preconum Curçule statim incidantur non solutis debitis, contra omnem equitatem et iusticiam, que omnia sunt turpissima Deo et mundo, de cetero nullatenus incidantur; sed seruetur modus iste, quod intromissiones predicte scribantur inferius in breuitate a sentencijs et cartis predictis, faciendo fieri notum principalibus debitoribus si erunt in insula per prefatos iusticiarios et precones; et si non erunt in insula, propinquiori attinenti debitoris. Et habeant terminum omnes predicte persone et alie, que uellent contradicere, vnius mensis et diei contradicendi et opponendi, et preteritis mense et die suprascripto, fiant soluciones ex eis; et ter incidantur et aliter non possit fieri per cancellariam in pena yperperorum decem.

CAP. CL. QUOD NULLUS POSSIT HABERE ALIQUAM CEDULAM CONTRA COMMUNITATEM.

Item. Cum sint multi, habentes cedulas contra commune Curçule et in quantitate magna, de quibus in parte, uel in totum habuerint

[1] Cf. supra cap. LXXIII. Statuti.

[2] Modus executionum fiendarum plenius describitur in cap. CLXV. Reform.

soluciones et hoc occultant, petendo solucionem iterato, contra debitum anime ipsorum, in magnum dampnum et preiudicium ipsius communis, a modo si inueniretur aliquis in tali crimine, cadat in penam yperperorum decem et perdat capitale ipsius cedule.

Item in eodem consilio per ballotas quinquaginta duas, non contrariantibus vndecim in contrarium, concessum fuit domino comiti nostro domino Pancracio, vt ipse possit emere pro vsu domus sue duas, uel tres seruas patarinas de Bosna, et facere fieri cartas de eis et hoc, quia habet suas senes et inutiles.

CAP. CLI. DE GROSSIS DE SCUTARO, QUANTUM UALERE DEBENT.

Item quod grossi Scutari cum Sancto Marco currant in Curçula per paruulis xxx. pro quolibet et grossi balse, uel volch boni per paruulis xxiv pro quolibet et nemo possit refutare eos pena yperperorum duorum. In Christi nomine Millesimo quadringentesimo uigesimo quarto die vndecimo mensis Maij. Prouisiones facte per consilium nuper electum pro detraccione et defalcacione salarij domini Comitis.

CAP. CLII. DE UENDITIONE UINI AD TABERNAM.

Primo, quod mensura, seu bucia uini tabernarum diminuatur in tantum, quod in quolibet modio intrent due bucie plus de tempore preterito; uidelicet, vbi primo intrabant in quolibet modio bucie triginta due, de cetero intrent triginta quatuor, que due superflue deueniant in commune et tabernarius teneatur de ipsis ostendere racionem communi, aut exactori prefati dacij pena soluendi de suis proprijs bonis ipsas duas bucias et vltra hoc yperperos decem et non possit uendi uinum ad tabernam per totam Curçulam, nisi uoçato daciario, aut qui erit loco communis et ipsius, sub pena predicta, si ibi erunt et poterunt reperiri, et si non, quando aplicuerint ibi. Verum si aliquis haberet aliquam buciam uini pro vsu domus sue et de ipsa suis amicis et laboratoribus uellet consentire ad bucias, soluendo prefatum dacium, possit hoc facere. Et similiter pro vsu domus sue de bucia posita ad tabernam possit accipere quartam vnam sine dacio; semper in premissis uocando prefatum daciarium, aut loco communis; et hec omnia seruentur sub pena predicta, que diuidatur inter commune et prefatum daciarium, si accusator non fuerit. Et si accusator fuerit, per tercium cum ipso accusatore. Quod dacium duarum buciarum uendatur omni anno et pecunia ipsius ire debeat in ipso salario prefati domini comitis et aliter non. Captum per omnes exceptis duobus deficientibus.

CAP. CLIII. QUOD OMNIA UENDANTUR CUM PONDERE.

Item. Cum hoc sit, quod omnia uendantur in ciuitate et insula absque pondere aliquo communis, in dampnum et preiudicium emptorum quia multocies ponderatur cum stateris non iustis et similiter blada mittantur ad molendinum absque pondere, in dampnum ac preiudicium mittencium; super quibus necesse est prouidere, tam pro beneficio ipsarum personarum, quam pro detraccione et solucione prefati salarij, pro tanto fiat pondus per totam Curçulam cum pondere staterarum iustarum, vsitatarum, cum quo ponderentur omnia, que de cetero uendentur, soluendo communi soldum vnum pro centenario ponderis pro medietate a partibus uendentibus et ementibus, exceptis hominibus galearum dominacionis nostre Veneciarum, pro quibus soluant uendentes. Verum si esset aliquis, qui haberet nisi solum vnum vdrum, uel barile cuiuscunque mercancie et uendiderit ipsum; quamque non essent ponderis librarum centum, tamen soluat pro ipso predictum soldum; et similiter ponderentur blada suprascripta quando mittuntur ad molendina, soluendo soldum vnum pro saco per partem mittentem; et teneatur superstites ponderis ad requisicionem mittencium ponderare ipsos sacos, si voluerint tam eundo, quam redeundo; et si in reditu defecerit de dictis saccis, vltra libras tres pro stario quoquo, facere refici subito patronis bladorum illud minus per patronos barcarum, vsque ad summam librarum predictarum pro stario; possendo ponere penam et penas pro dicta refeccione ad suum placitum. Verum si de dicto blado datum fuisset in solutum patronis molendinorum pro molitura, tanto plus defalcetur de dictis sacis, vltra predictas libras tres pro stario. Et si aliquis contrafaciet in aliquo predictorum, vt est dictum, cadat in penam dupli eorundem daciorum. Et de premissis emptoribus dictorum daciorum fiat ius summarium, que pena diuidatur, vt est dictum in alio capitulo.[1] Quod dacium dictarum rerum ponderandarum uendatur ad publicum incantum et pecunia ipsa sit et ire debeat in prefato salario domini comitis et non aliter, vt est dictum.

Captum per omnes, deficientibus duobus.

CAP. CLIV. DE EXACCIONIBUS COMITIS ET IUDICUM.[2]

Item etiam. Cum multe et diuerse questiones uertantur in Curçula indebite et iniuste per homines potentes magis pro extorsionem

[1] Cf. cap. CLII. Statuti.

[2] Titulum. quamquam deest in Cod. Cap. et Ed Ven. apposuimus.

personarum, que per racionem in magnum sinistrum iudicij et uerecundiae regiminis et tocius Curçule, et que omnia possent leuiter reparari cum beneficio communis et dictarum personarum grauatarum; pro tanto ordinetur per hoc consilium, quod de cetero dominus comes et iudices exigere debeant a partibus perdentibus placita sua in parte, uel in totum, de quolibet placito a tribus libris infra solidos quatuor pro libra et a libris tribus vsque ad quinque solidos tres pro libra et a libris quinque superius, solidos duos pro libra statim finito placito et data sentencia, non dimittendo ipsos discedere a iudicio, si non soluerint, aut pignus dederint, exceptis de questionibus antiquis, tam inceptis et non finitis et similiter de sentencijs receptis sine lite de uoluntate, de quibus non recipiatur aliquid; qui denarij ire debeant in predicto salario et non aliter, vt est dictum.

Capta similiter per omnes, deficientibus illis duobus.

Et finiunt hic prouisiones dictorum sapiencium.

CAP. CLV. DE PROUISIONIBUS SUPER SALARIUM COMITIS NON FRANGENDIS.[1]

Millesimo, quadringentesimo vigesimo quarto, die decimo septimo Augusti. In maiori consilio Curçule, in quo fuerunt ballote sexaginta octo, captum fuit per ballotas triginta sex, quod de cetero aliquis nobilis Curçulanus non possit ponere partem in aliquo consilio de frangendo prouisiones, factas nuperime per deputatos supra detraccione et defalcacione salarij domini comitis, in pena yperperorum centum pro quolibet ponente partem in contrarium; et similiter dicte prouisiones non possint dispensari in alijs expensis, quam in ipso salario, sub pena predicta, secundum quod continetur in ipsis prouisionibus.

CAP. CLVI. DE SALARIO COMITIS.[2]

Hec fuerunt firmata per consilium Curçule, vt patet in libro Reformacionum M. cccc. ii., die quinto mensis Februarij per omnes ballotas existentes numero sexaginta quinque. Quod pro[3] prouidencia diminucionis salarij posita est pars, quod omnia animalia, que portantur de foris, soluant doanam per hunc modum; uidelicet

[1] Deest in Cod. Cap. et Ed. Ven.
[2] Deest in Cod. Cap. et Ed. Ven.
[3] Deest in Cod. Cap.

castricus soluat soldos tres pro vno quoque capite, animalia vero bouina et porci soluant grossos tres pro vno quoque capite, que solucio sit et conuertatur modo, ordinamento et debito in salarium domini comitis. Item similiter, quod dacium lapidum, facta solucione animalium, vt ordinatum est, uendatur ad publicum incantum et tales denarij reuertantur in salarium predictum et non aliud. Item simili modo vtilitas omnium scoliorum conuertatur in salarium ipsum, et similiter incantus bladi et uini communis.

CAP. CLVII. QUOD DEBITORES COMMUNIS SOLUANT DEBITUM SUUM.[1]

In pleno et generali consilio ciuitatis et insule Curçule coadunato in ecclesia omnium Sanctorum Mcccc xxviij. Indictione vij. die viiij. mensis Januarii, posita fuit pars et capta per omnes, vna tantum ballota discrepante. Quod debitores omnes communis statim et de facto personaliter cogantur per ductores[2] et stent confinati mandato regiminis in aliquo loco deputando, vnde non recedant, donec integre persoluant totum quod tenentur dicto communi et si infra terminum octo dierum confinati non persoluerint, quod eorum bona uendantur ad publicum incantum; ipsis tamen debitoribus de confinio non recedentibus, nihilominus vsque quo communitati fuerit integre satisfactum. Et in casu, in quo confininm fregerint recedentes, quod statim carcerentur et non exeant, donec communitati satisfaciant integraliter.

Lege acta diuersorum regiminum de pena pecuniaria imposita debitoribus confinatis in logia vt debeant obedire mandatis regiminis et cicius eorum debita soluere.

Finis Laus Deo.

---

[1] Deest in Cod. Cap.
[2] Ed. Ven: „pro debitoribus“.

III.

REFORMATIONES COMMUNIS CURZULAE.

„*Haec sunt Reformationes Communis Curzulae authenticatae per priuilegia Ducalia, ex libro papireo in membranis redactae de mandato Magnifici et Generosi D. Stephani Magni, pro Illustrissimo Duc. Dom. Venetiarum etc. dictae Ciuitatis et Insulae Comitis dignissimi.*"

CAP. I. AMBASCIATORUM PRIMUS.

Item, quod quicunque vadit in seruitium Communis modo, vel postea, vadat ad expensas Communis et non habeat aliud de salario et quod vnus non aggrauetur plus, quam alius.

CAP. II. AMBASCIATORUM SECUNDUS 1426. DIE 18. MENSIS DECEMBRIS EMENDATA PER DEPUTATOS PER CONSILIUM SECUNDUM MODUM INFRA.

Pro quibus expensis habere debeat quilibet ambasciator, cui accedere contigerit, vsque ad millia vnum procul a Curzula, pro expensis victus et prouisione ipsius personae solid. sexdecim die quolibet. Qui vero acceserit et ire contigerit vltra millia vnum, habere debeat die quolibet pro suis expensis victus et prouisione suae personae vt supra solid. viginti. De alijs vero expensis in itinere ipsorum ambasciatorum, sicut est de familiari, equo vel barca, et alijs similibus, remaneat in prouisione consilij.

CAP. III. FILIORUM RECEDENTIUM SINE LICENTIA.

Item in eodem consilio captum, obtentum et firmatum fuit, quod quicumque puer, vel iuuenis iuerit aliquo sine licentia patris, vel matris, vel maiorum suorum, non obseruando eorum mandata, quod

perdat totam eius partem, nec possit aliquid petere, nisi id, quod pater, vel mater, vel maiores ipsorum voluerint sibi dare, vel in vita, vel in morte.[1]

CAP. IV. CASAMENTORUM DANDORUM AEDIFICARE VOLENTIBUS.

In eodem consilio captum, obtentum et firmatum fuit, quod dominus comes et iudices, qui nunc sunt, vel pro tempore erunt, habeant plenum et liberum arbitrium dandi, et confirmandi casamenta, prout eis melius videbitur de iure, quae sunt discooperta et disordinata, omnibus et singulis hominibus, tam ciuibus, quam forensibus, volentibus ea reaptare, quae casamenta sint in perpetuum illis hominibus et personis, et suis haeredibus et successoribus, qui ea aptauerint, ad faciendum omnimodam suam voluntatem vt de eorum rebus proprijs. Volens et promittens dictum commune defendere et excalumniare semper ab omni molestante persona in iudicio et extra, dictum consilium defendere et excalumniare dictas domos sic datas et distributas, vt iuris ordo expostulat et requirit; dum tamen dominus comes cum iudicibus prius requirant patronum illius domus, quam dare uoluerint, si ipsam aptare voluerint, quam si non voluerint aptare, perdant et omne ius ipsius domus quae deueniat in illos, quibus datum fuerit per dominum comitem et iudices et eorum haeredes et successores, vt supra dictum est. Et in casu, in quo patronus domus dixit, se velle aptare ipsam domum, habeat terminum vnius anni cooperiendi ipsam, quod si non fecerit, perdat casamentum et yperperos decem, quae deueniant in commune.

CAP. V. REFORMATIO PRO COMMUNI CURZULAE DE SEMINATIS.

In eodem consilio captum et obtentum et firmiter firmatum fuit, quod vbicumque seminatum est, vel incidetur, tam in Chnese, quam alibi per totam insulam, vbi iamdiu, vel nunquam seminatum fuit, reddat annuatim sextam partem communi Curzulae et non alij personae; et quod comes non possit, nec debeat habere aliquam partem, cum ipsi comiti non pertineant dicta territoria et sint extra numerum suarum possessionum.

CAP. VI. CONSILIARIORUM NON ADMITTENDORUM.[2]

In eodem consilio coadunato, vt superius dictum est, captum, obtentum et firmatum fuit, quod nullus homo, cuis pater non fuerit

[1] Idem speciali ex causa disertius statuitur reformatione a. 1426. capta. Cf. infra cap. CXLV. Reform.

[2] Praeceptum praesentis reformationis de novo praedicitur reformatione a.

consiliarius Curzulae, de caetero ponere possit petitionem in consilio, quod admittatur in consiliarium et quicumque contrafecerit per se, uel per alium, soluat Communi sine aliqua remissione yperperos vigintiquinque.

CAP. VII. LABORANTIUM ALIENAS VINEAS.[1]

In eodem consilio captum et obtentum fuit, quod quicumque obligauerit se laborare super se vineam alicuius, et illam non bene laborauerit secundum consuetudinem Curzulae et boni laboratoris, soluat yperperos quinque pro medietate Communi et alia medietate domino vineae et soluat damnum patrono.

CAP. VIII. SUPER INQUISITIONIBUS FURTUUM.

Eodem Millesimo, Indictione et die, in consilio suprascripto captum et obtentum fuit quod per curiam semper deputentur de tempore in tempus duo homines de nobilibus pro quolibet casali et etiam in ciuitate, qui instent gastaldionibus ad furta reperienda per totam insulam; et si quis ipsorum reperiretur celare aliquod furtum, quod ipse cadat ad poenam yperperorum vigintiquinque soluendorum pro medietate Communi et alia accusatori et perdat veritatem. Et si quis poneret aliquam petitionem pro ipsis, uel aliquo ipsorum, cadat ad dictam poenam. Et quod isti nobiles sic deputati habere debeant de quolibet furto reperiendo, partem suam pro rata, sicut gastaldiones. Item quod isti duo sic deputati possint ponere poenam gastaldionibus vsque ad yperperos quinque et dicta poena exigatur per Commune, si quis caderet in ipsam.

CAP. IX. MULIERUM ALIENATIONES QUOMODO FIANT.[2]

In eodem consilio captum et obtentum fuit, quod omnes et singulae venditiones, pignora et emptiones factae vsque in diem praesentem per mulierem cum consensu mariti sui, vel maritum cum consensu mulieris, sint firmae et ratae, nec possint vitiari, dummodo sint factae cum modis et ordinibus Curzulae. De caetero vero non possit aliqua mulier aliquo ingenio vel colore alienare dotes suas, sine licentia et expresso consensu curiae; et curia non possit

1379. facta (inf. cap. XXVII. Reform.). Poena autem contrafacientium C ducatis statuitur reformatione, inferius cap. LXXXVIII. Reform. citata.

[1] Hoc ipsum praeceptum continetur in Statuto, sub cap. LXXVI.

[2] Cf. de ista causa capp. CXL. et CXLIII. Statuti.

dare licentiam sine iusta causa, prout lex vult; verum quod ex istis xxxviij consiliarijs tres fuerunt contrariae opinionis videlicet ser. Luxa Sincouich, ser. Angelus olim ser. Marini, et ser. Marinus Canini.

CAP. X. IUDICUM MINORUM AUCTORITAS.[1]

Item in eodem consilio captum fuit, quod vnusquisque iudex parui consilij existens in casali, in quo casali pro illo tempore non fuerit alius iudex, possit, et valeat iudicare vsque ad grossos sex, quod iudicium plenam obtineat firmitatem.

CAP. XI. PUNCTAE STAGNAE NON LABORANDAE PER CURZULANOS.

Item in eodem consilio captum, obtentum atque firmatum fuit, quod aliquis Curzulanus aliquo modo, vel ingenio non pastinet, nec laboret in puncta Stagni et quicumque contrafecerit, soluat Communi Curzulae irremissionabiliter yperperos centum pro qualibet vice, quorum medietas sit accusatoris.

CAP. XII. PASCULORUM ANTE CIUITATEM.[2]

Item in eodem consilio captum et obtentum fuit, quod aliqua persona non possit pasculare aliquod animal circum ciuitatem a puncta furcarum vsque punctam vallis magnae et vsque ad Sanctum Lucam poena yperperorum duorum, quorum medietas sit accusatoris; saluo si essent animalia beccariae, quae possint pasculare, non tamen sine pastore, sub dicta poena.

CAP. XIII. MERETRICUM INIURIANTIUM BONAS MULIERES.

Item in eodem consilio captum fuit, quod si aliqua concubina praesbyteri, vel alius personae, vel meretrix publica diceret obrobria alicui mulieri bonae famae, poni debeat ad berlinam, et stare per vnum diem.[3]

CAP. XIV. VINDEMIARUM NON FIENDARUM ANTE TEMPUS ORDINATUM.

Item captum fuit, quod nullus aliquo modo possit in aliquo loco vendemiare vltra vnum asinum, vsque ad Sanctam Mariam de medio

---

[1] „Auctoritas iudicandi“ iudicum conditioque maiorum ac minorum iudicum plenius cognoscitur ex cap. XXVI. Reform. inferius sequenti.

[2] Cf. cap. CXXXV. Statuti et inferius cap. XLIII. Reform.

[3] Reformatione a. 1397. (?) capta (cf. inferius cap. XXIX. Reform.) permutata est ista poena in poenam flagellorum.

Augusti, antequam fiat ordo per consilium poena yperperorum vigintiquinque, cuius poenae medietas sit Communis et alia accusatoris; saluo et reseruato Stiniua et Gniuize, vbi possint habentes vineas in simul ad libitum vindemiare; saluo etiam si quis haberet separatim alicubi paullum vineae.[1]

CAP. XV. ECCLESIARUM NON BENEFICIENDARUM DE STABILIBUS.[2]

Item in dicto consilio captum fuit, quod aliquis Curzulanus non possit aliquid relinquere, nec in vita dare stabile, videlicet aliquam possessionem alicui Ecclesiae; et si quis aliquo quaesito colore daret, vel relinqueret, non valeat, sed perueniat ad propinquiorem, vt moris est.

CAP. XVI. PUDARIORUM VERBOUIZAE.

Item captum fuit, quod habentes vineas in Verbouiza Blatae possint facere pudarium, qui more solito custodiat.

CAP. XVII. DAMNORUM IN BLADIS DENUNTIANDORUM PER POSTICOS.

Item captum fuit, quod cum fuerit factum damnum alicui in blado, postici habeant pandere damnum infra octo dies proximos, poena yperperorum duorum pro quolibet postico et patronus de damno credatur per sacramentum.[3]

CAP. XVIII. GADIUM FIENDORUM.

Item in dicto consilio captum fuit, quod fiant gades et confinia more antiquo, in quod nullum animal bouinum, nisi boues aratorij, audeant intrare poena grossorum sex, qui ea permiserit; cuius poenae medietas sit Communis et alia accusatorum; sed solum boues aratorij.

CAP. XIX. PRAESBITERORUM NON VALENTIUM EMERE INCANTUM.

Die xxix. Nouembris, in pleno et generali consilio Ciuitatis Curzulae in Ecclesia Sancti Marci coadunato ad sonum campanae, vt

---

[1] Praeceptum hujus reformationis modificatum est aliquantum reformationibus inferius capp. CXX. et CXXXII. citatis.

[2] Reformatione, a. 1430. capta (inferius cap. CXLIX. Reform.), revocatum est interdictum, huic capitulo insertum.

[3] Quo modo postici damnum factum estimare debeant, quantumque pretii iis pro estimatione illa damnifactores solvere teneantur, reformatione, infra p. CLXXXI. citata disertius explicatur.

moris est, in quo fuerunt consiliarij xlvi., eorum nemine discrepante, captum et obtentum fuit, quod nullus sacerdos possit emere aliquem incantum, nec aliquis alius pro ipso poena yperperorum viginti-quinque.[1]

CAP. XX. SACERDOTES POSSINT EMERE PIGNORA AD INCANTUM.

Item Mcccc xxvj, Indictione iiij et die decimo octauo Decembris. Per dominos comitem et iudices et nobiles per consilium deputati super ordinationem reformationum, addita fuerunt haec suprascriptae reformationi, quod ammodo in antea sacerdotes emere possint incantus bonorum quorumcumque venditorum alicuius personae specialis pro vsu suae domus.

CAP. XXI. SIMIACORUM COMBUSTORUM EMENDATORUM PER VILLAM PROXIMIOREM.

Item captum fuit in dicto consilio, quod si cui comburatur ammodo simiacum et domus et malefactor non reperiretur, villa, in cuius districtu comburetur, emendet totum damnum illius simiaci combusti.

CAP. XXII. EQUORUM, QUI DOLO MALO CAUDAM, VEL CRINEM INCIDERIT.

Item captum fuit in eodem consilio, quod quicumque incideret, vel euelleret caudam, vel crines alicui equo dolo, dummodo probetur hoc cum vno teste idoneo, cum iuramento accusatoris, soluat yperperos quinque pro medietate Communi et alia accusatori.

CAP. XXIII. CALCIS DECIMA DANDA COMMUNI.

Item in dicto consilio captum fuit, quod vnusquisque faciens calcem in insula Curzulae et portans, vel mittens foras, det decimam ipsius calcis Communi ad mare ante ciuitatem, et si quis frauderet, soluat yperperos xxv. et illam decimam in duplum.

CAP. XXIV. LAS APUD SIMIACUM CLAUDATUR.

Item captum fuit, quod si quis faceret las prope aliquod simiaci in confinia ipsius simiaci, claudat fortiter ipsum las, aliter damnum sit super patrono ipsius las si pascularetur.

---

[1] Cf. cap. sequens.

CAP. XXV. TESTIS VNIUS FIDES.

Item die x. mensis Decembris in pleno et generali consilio Curzulae in Ecclesia Sancti Marci coadunato ad sonum campanae, vt moris est, in quo fuerunt consiliarij xlj, eorum nemine discrepante, captum et obtentum fuit, quod ammodo in antea vnus testis fide dignus credatur, vsque ad grossos duodecim. Duo vero fide digni vsque ad yperperos decem. Ab yperperis vero decem supra nulla testificatio suscipiatur, nec credatur sine instrumento siue scriptura propriae manus debitoris, quae valeat cum vno teste ad minus, intelligendo de debito mutui. Saluo statuto animalium.[1]

CAP. XXVI. IUDICUM AUCTORITAS IUDICANDI.[2]

Item captum fuit, quod vnus iudex possit facere iustitiam et rationem, vsque ad grossos duodecim. Subtilis vero vsque ad sex, nec vadat aliquis de villa ad ciuitatem ad reclamandum aliquem vsque ad grossos xij, vel sex, vt supra intelligendo, quod in illa villa sit iudex; et vbi est maior iudex, minor se non impediat. Qui vero contrafecerit, reclamando de villa, vbi iudex, vt supra se reperierit, soluat reclamato, qui sic probauerit, pro expensis, et damno grossos duodecim.

CAP. XXVII. CONSILIARIORUM NON ADMITTENDORUM.[3]

Item Mcccl xxxvij, Indict. v. et die xij. Maij. In pleno et generali consilio Curzulae in Ecclesia Sancti Marci coadunato ad sonum campanae vt moris est, in quo fuerunt consiliarij xxxix. eorum nemine discordante, captum fuit, quod aliquis homo, cuius pater non fuit consiliarius Curzulae non possit esse consiliarius, nec petere ponere. Et si quis poneret petitionem soluat irremissionabiliter Communi yperperos centum; et si quis pro eo arrengaret, soluat Communi yperperos xxv.

CAP. XXVII. ARMORUM NON ACCIPIENDORUM PRO PIGNORE.

Item quod nunquam de domo alicuius accipiantur aliqua arma pro aliquo pignore, nec per plazarium, nec iustitiarium, nec postich siue alios, poena grossorum sex, tam accipienti, quam danti.

---

[1] Cf. cap. CXLIV. Statuti.
[2] Cf. supra cap. X. Reform.
[3] Cf. supra cap. VI. Reform.

CAP. XXIX. MULIERUM MALAE FAMAE INIURIANTIUM.[1]

Item in dicto consilio, vt supra die x. men. Decembris captum fuit, quod si aliqua mulier malae famae et vitae diceret alicui bonae famae mulieri, vel in praesentia, vel in absentia aliquam iniuriam et probatum fuerit, et accusata, frustetur circum ciuitatem, et in talibus duae mulieres possint testificari.

CAP. XXX. QUOD NEMO AUDEAT PLANCTARE VINEAS VBI PRIUS NON FUERE.

Item captum fuit, quod aliqua persona non audeat, vel praesumat planctare vineam in campis, vbi prius non fuit vinea, vel vbi vinea non est prope, poena ducatorum quinquaginta, quorum accusator habeat tertiam partem et Commune duas partes. Mcccxxvj. et die penultimo mensis Decembris fuit facta presens superadditio per regimen et deputatos.

CAP. XXXI. DECIMARUM.

Item in dicto consilio captum fuit, quod quandocumque dominus episcopus ibit colligere decimam per insulam, quilibet celnich teneatur dare sibi vnum agnum, vel capretum, et non vltra. Si quis vero mundanus nomine episcopi aliquid acciperet sua manu, vltra hoc soluat yperperos xxv. Communi.

CAP. XXXII. DE PROCURATORIBUS ECCLESIAE.[2]

Item captum fuit, quod semper vnus procurator mundanus fiat Ecclesiae de anno in annum et semper alio procuratori in fine anni assignet rationem ille procurator in praesentia regiminis. Anno praesenti Ser. Obradus Dobroslauich procurator pro praesenti anno.

CAP. XXXIII. DE TERRA SUPER SCOPULO MAGNO.

Item datum fuit, quod regimen habeat libertatem et bailiam faciendi accordationem, cum Cuitho Jarohnik et eius genero Dabisiuo et dare eis terram in scoleo magno et vnum casamentum prout eis melius videbitur, cum conditione, quod ipse habitet in Curzula.

---

[1] Cf. superius cap. XIII. Reform.

[2] Officia procuratorum talium, praecipue autem officium rationis faciendae plenius statuitur reformationibus, inferius, capp. LX. et CLXXXVII. citatis.

CAP. XXXIV. MUROBUM CIUITATIS NON TRANSEUNDOBUM.

Item in eodem Millesimo, Indict. et die. Retulit mihi notario Scrabot plazarius, se mandato regiminis publice proclamasse per loca consueta ciuitatis, quod quicumque transiret vltra muros ciuitatis, vel auxilium daret alicui, soluat yperperos xxv. quorum medietas sit accusatoris.

CAP. XXXV. PROCURATOR ALIQUIS NON POSSIT ESSE EPISCOPI CONTRA COMMUNITATEM.

Item die xxviij Januarij. In consilio generali, vt supra coadunato in Ecclesia, vt supra captum et obtentum fuit, quod aliqua persona, cuiuscumque conditionis existat Curzulanus, vel habitator in Curzula, non possit esse procurator Domini Episcopi aliquo modo, vel ingenio sub poena ducatorum centum auri applicandorum Communi Curzulae; et regimen per sacramentum teneatur per inquisitionem procedere contra sumentes procuram. Intelligendo, quod cederet contra Communitatem et non in alijs.

CAP. XXXVI. SERUOBUM NON EMENDOBUM.[1]

Item eodem Millesimo, Indictione et die xj. Nouembris. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij xlviij. eorum nemine discordante, captum fuit, quod aliquis Curzulanus aliquo modo non possit emere aliquam seruam, vel seruum, poena ducatorum quinquaginta; saluo pro vsu suo, nec possit esse interpres, nec aliquam ducat in ciuitatem per illos de Narento. Et si aliquis duceret aliquam Christianam, quae probaretur fore Christiana, liberetur per Commune Curzulae et ille, qui duceret eam, perdat.

CAP. XXXVII. LEGATOBUM INTER FILIOS.[2]

Item in eodem consilio captum fuit, quod non obstante aliquo statuto, vni volumini statutorum ponatur, quod vnusquisque homo possit et valeat testari et in suo testamento relinquere ad suum libitum, plus filio vel filijs, quam filiae, vel filiabus suis. Non possit tamen plus testari vni filio, quam alij vel alijs, nec plus vni filiae, quam alijs.

[1] Cf. etiam inferius cap. CXLI. Reform.

[2] Cf. capp. XXXIX. et CXLV. Statuti et cap. CXXXI. Reform. De mulieribus hoc ipsum praeceptum valere, ex capp. XL. LXXV. et CXXX. Statuti constat.

CAP. XXXVIII. DE NON VENDENDO CASEUM IN GROSSUM FORENSIBUS.

Item captum fuit, quod nulla persona audeat, vel praesumat vendere caseum in grossum alicui forensi; saluo pro mesa vnam petiam, poena yperperorum quinque, quorum medietas sit accusatoris.

CAP. XXXIX. CANIUM VASTANTIUM ANIMALIA.

Item, quicumque canes, vel canis faceret damnum in animalibus et denuntiatum fuerit patrono, cuius fuerit canis, quod mactet eum et spreuerit mandatum regiminis, soluat yperperos duos Communi.

CAP. XL. LASORUM SEMINANDORUM.

Item captum fuit, quod vbicumque fieret las et seminabitur minus quatuor quartis, per vnum miliare prope simiacum, nullum damnum ei emendetur, si quod damnum sibi fiet per animalia.

CAP. XLI. ARANTES TENENTUR CUSTODIRE BOUES.

Item, quod vnusquisque arator, cum perfecerit seminare, teneatur custodire pascere boues, si fuerint de periculo, donec erunt securi de vita et reddere eos patrono, sed dum stet in periculo mortis non.

CAP. XLII. DOLGNE BLATAE PLANCTANDAE.

Item in eodem consilio captum fuit, quod aliqua persona non audeat vel praesumat planctare in campo dolgne Blatae, nec occupare in suum fauorem aliquid de dicto campo, vbi vsque modo non est occupatum poena yperperorum xxv. quorum tertia pars sit accusantis et duae partes Communis et quilibet possit accusare. Si quis vero planctaret, regimen immediate teneatur facere ejicere vites et soluere ipsam poenam.

CAP. XLIII. PASCULORUM ANTE CIUITATEM.[1]

Item captum fuit, quod animalia aliqua nisi beccariae et equi et asini non possint pasculare ante ciuitatem, incipiendo a puncta furcarum vsque ad punctam parui borach et quicumque contrafecerit soluat yperperos duos in die et in nocte yperperos quinque et accusator habeat medietatem banni.

---

[1] Cf. cap. CXXXV. Statuti atque cap. XII. Reform.

CAP. XLIV. MERCATOR POSSIT CONSTRINGI SINE DILATIONE.

Item captum fuit, quod quicumque emendo, vendendo, uel mercando erit debitor alicui, possit ipsum facere constringere per curiam ad soluendum sine aliquo termino et dilatione.

CAP. XLV. CUSTODES NON TENENTUR AD SERUITIA CONSILIARIORUM.

Item Mcccc xliv. die viiij Julij. Spectabilis et generosus vir Dominus Marcus Gradenicus honor. comes Curzulae, praesentibus dom. Antonio Jurieuich et ser. Francisco, q. Obradi, visa inhonestate dictae partis de custodibus seruientibus consiliarijs et volens iuxta mandatum Dominationis omnes in ius esse aequales, ipsam partem cassari et annullari per me Joannem Millionum cancellarium iussit et mandauit.

CAP. XLVI. DE TEMPORE EXTRAHENDARUM ACCUSARUM.

Item captum fuit, quod vnaquaeque accusa, tam pudariorum quam criminalium aliorum extrahatur vsque ad dies quindecim proximorum post accusam per regimen per suum sacramentum.

CAP. XLVII. ACCUSATIONUM EXEQUENDARUM SUB VNOQUOQUE REGIMINE.

Item captum fuit, quod vnumquodque regimen teneatur mandare executioni omnes et singulas accusationes fiendas suo tempore, vel condemnando, uel absoluendo, prout statuta et consuetudines requirent poena yperperorum quinque pro vnoquoque iudice, qui contrafecerit Communi applicandorum.

CAP. XLVIII. CUSTODIENDAE INSULAE CUM BARCA.

Item captum fuit in eodem consilio, quod vnumquodque regimen, quod nunc est, uel quod pro tempore erit, mittat vnam barcam armatam ad custodiendam insulam, vna vice in mense, quocunque videbitur regimini.

CAP. XLIX. LAPIDUM NON FURANDORUM IN CIUITATE A CASAMENTIS.

Item captum fuit, quod aliqua persona non sit ausa accipere aliquem lapidem, vel plancas de aliquo casamento in ciuitate et insula Curzulae sub poena yperperorum quinque et soluendi totum damnum.

*

CAP. L. ANIMALIUM AD DECIMAM ACCIPIENDORUM.

Item captum fuit, quod vnusquisque patronus animalium possit exigere animalia a decima; et pastores non possint se impedire pro recuperatione ipsorum animalium, videlicet patronorum.

CAP. LI. PASTORUM RATIONES.[1]

Item, quod omnes rationes animalium debeant fieri inter patronos et pastores seu celnicos, vsque ad vnum annum proximum, postquam compagniam relinquent; videlicet vsque ad Sanctam Mariam, aliter elapso anno, in nullo teneantur pastores, nisi iustum fuerit impedimentum.

CAP. LII. CREDITORUM COMMUNIS SOLUENDORUM TEMPORE CUIUSLIBET IUDICATUS ALITER ETC.

Item captum fuit, quod vnusquisque, qui habere debebit aliquid a Communi Curzulae et non habuerit solutionem tempore iudicum, qui tunc erunt, vel cedulam ab ipsis iudicibus, nihil habeat.

CAP. LIII. ANIMALIUM TENENDORUM SUPER TERRIS PATRONORUM.

Item in eodem consilio captum fuit, quod vnusquisque patronus animalium possit facere tenere animalia sua super terris suis per duos menses anni; videlicet de mense Maij et Junij; et quod pastores possint laborare medietatem terrae ad consuetudinem Curzulae, dando quartum de illa terra, siue de illis terris, super quibus tenuit animalia.

CAP. LIV. COSSARORUM NON FIENDORUM PROPE MARE A RACISCHIA VSQUE AD CIUITATEM.

Item Mcccc iij. Indict. xj. et die iij Martij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae in quo fuerunt consiliarij xlviij., eorum nemine discordante, captum fuit, quod aliquis non possit facere cossarum incipiendo a Racischia vsque ad ciuitatem in aliquo loco, vbi mare possit videri, poena in statuto contenta.[2]

CAP. LV. DE SOLUTIONE INCANTUUM COMMUNIS ET NE IN CONTRARIUM ARRENGETUR.

Item in dicto consilio captum fuit, quod si quis arrengaret pro aliquo, qui emeret aliquod incantum Communis, quod sit absolutus

[1] Cf. cap. CXLII. Statuti, praeceptum idem continens.
[2] Cf. cap. CXVI. Statuti atque inferius cap. CLIII. Reform.

in totum, vel in partem a dicto incantu et quod hoc sit contra Commune, soluat Communi nomine poenae yperperos xxv. et si solus poneret petitionem, soluat yperperos quinque et quilibet arrengans pro eo, soluat yperperos quinque.

CAP. LVI. CONTRA COMMUNE EUNTES.

Item eodem Millesimo, Indictione et die xij. Nouembris. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij xli., eorum nemine discordante, captum fuit, quod quicumque fecerit, vel attentauerit aliquid contra Commune Curzulae et contra sacramentum suum et specialiter contra priuilegia et iura Communis, truncetur (ei) caput et perdat omnia bona sua, quae deueniant in Commune et domus eius a fundamento proriatur. Et si fugerit, sit in banno.

CAP. LVII. CISTERNARUM FACIENDARUM.

Item eodem Millesimo Indict. et die xiij. Nouembris. In eodem consilio captum fuit, quod quicunque faciet cisternam in ciuitate, ammodo in antea habeat et habere debeat a Communi nomine adiutorij yperperos viginti. Videlicet in principio yperperos x. et restum vsque ad completum laborerium. Intelligendo, quod cisterna sit ad minus magna quantum est mei (?)[1] Antonij. Si vero minor, per rationem. Si quis uero incaeperit et acceperit yperperos x. et non perfecerit dictam cisternam vsque ad duos annos proximos, reddat denarios ipsos Communi in duplum.

CAP. LVIII. DE NON FIENDIS PACTIS CUM PASTORIBUS CONTRA REFORMATIONEM.

Item in dicto consilio captum fuit, quod quicunque patronus animalium faceret cum suis pastoribus aliquod pactum contra reformationem, quae dicit, quod quilibet pastor teneatur emendare duo animalia de iuuenibus pro vno quoque animale deficiente sine signo, nullius sit valoris, sed dicta reformatio habeat locum.[2]

CAP. LIX. CERDONES NON POSSINT FACERE CALCINARIAM IN CIUITATE.

Item captum fuit, quod a festo Paschatis in antea nullus cerdo possit tenere nec facere calcinariam, nec riuatam in ciuitate poena yperperorum xxv. et possint caligarij facere domum extra ciuitatem.

---

[1] Nonne mendum librarii loco abreviaturae „misser."

[2] Cf. capp. LXIV—LXVI. atque CXLIV. Statuti.

CAP. LX. PROCURATORUM ECCLESIAE.[1]

Item in eodem consilio captum fuit, quod aliquis non possit esse procurator Ecclesiae (plus quam) vnum annum; et semper completo anno det rationem nouo procuratori in praesentia D. Episcopi ac regiminis Curzulae et aliorum nobilium per D. Episcopum vocatorum.

CAP. LXI. PARTIUM CAPIENDARUM.[2]

Item eodem Millesimo Indictione et die x. Junij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij lix. eorum nemine discordante captum fuit, quod aliqua reformatio capi non possit in consilio Curzulae, nisi sint ad minus consiliarij quinquaginta et pro maiori parte ipsorum quinquaginta capiatur; si per minus capiatur, nullius sit valoris. Si vero attemptaretur aliqua reformatio, frangi non possit per minus consiliarijs lx., de quibus sexaginta maior pars sit contenta, quod frangatur.

CAP. LXII. LUDENTIUM.

Item xiiij. Nouembris. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij liiij. eorum nemine discordante captum fuit, quod aliqua persona non audeat vel praesumat ludere ad aliquem ludum, in quo vadant denarij, nisi super platea Communis, vel iuxta duas portas ciuitatis palam, non occulte, poena grossorum xij., pro quolibet, cuius poenae medietas sit Communis et alia accusantis; et si talis non habuerit vnde soluere, frustetur palam ad equum super platea.

CAP. LXIII. FORENSES NON POSSINT INCIDERE TEDAS VEL LIGNAMINA.[3]

Item captum fuit, quod nullus forensis non habitator Curzulae audeat incidere tedas, vel lignamina in insula poena yperperorum xxv. applicandorum pro medietate Communi et alia parte accusanti, et si quis Curzulanus incideret cum ipsis, aut in iis fuerit particeps, aut consentiens, aut dederit auxilium, consilium, vel fauorem, soluat dictam poenam, nisi inciderit et extraxerit cum licentia re-

---

[1] Cf. de hoc ipso officio supra cap. XXXII. atque inferius cap. CLXXXVIII. Reform.

[2] Cf. cap. CXXXVII. Statuti, atque cap. inferius CXXIX. Reform.

[3] Cf. cap. CX. et cap. CXII. Statuti.

giminis, aut datiariorum ipsum lignamen, secundum formam reformationis de datio lignaminum;[1] excepta tamen teda, quae modo aliquo per aliquos extrahi non possit de insula in poena praedicta.

CAP. LXIV. NON INCANTENTUR RES VENALES AD PISCARIAM.

Item in dicto consilio captum fuit, quod quicunque incantabit ammodo in antea aliquam personam in emendo, seu vendendo aliquid et specialiter ad piscariam, beccariam et aliter quomodolibet, cuiuscunque generis fuerit mercimonium, soluat nomine poenae yperperos duos, pro medietate Communi et alia cui iniuria facta fuerit et credatur accusanti iniuriato cum suo sacramento, cum vno teste fide digno.

CAP. LXV. NON FACIENDI PASSICAM IN PRIUALLA.

Item, quod nemo possit incidere nemus, faciendo passicam in Priualla, poena yperperorum XXV.

CAP. LXVI. PASSICARUM IN SCOLEO MAGNO.

Item fiant passicae in scoleo magno, secundum prouidentiam regiminis.

CAP. LXVII. SRITUAE DESTRUENDAE IN VINEIS.

Item, quod vnusquisque teneatur destruere srituam in vineis suis in Draceuiza, videlicet secando ante semen et zapando deinde a fundamento poena yperperorum v. pro quolibet contrafaciente et in omnibus alijs campis. Et quod regimen teneatur tempore congruo nuntiare.

CAP. LXVIII. APTENTUR VIAE PER INSULAM ET SINT LATAE VNO PASSU COMMUNI.

Item captum fuit, quod viae aptentur per insulam, prout ordinabunt infrascripti nobiles. Et quilibet impediens, vel destruens ipsa itinera, soluat nomine poenae yperperos quinque et quilibet possit accusare et habere medietatem banni. Ad minus sit larga vno passu communi.

CAP. LXIX. CONFINIA TERRARUM ET PERTINENTIAE.

Item captum fuit, quod vnaquaeque terra, seu gniua, cuiuscunque personae sit, et vbicunque in Curzula, debeat accipere et habere

[1] Cf. inferius cap. CXCIX. atque cap. CC. Reform.

pertinentias suas in hunc modum. Videlicet super se tantum, quantum ipsa terra, seu gniua est ampla, seu larga; quantum aqua desuper spandit super ipsam terram, etiam si fuerit a latere terrae et spanderet aquam super eam. Intelligendo desuper quantum visus hominis stantis super terram ipsam potest extendi superius. Illud vero, quod videri non potest, vel non spandit aquam super ipsam terram, vt dictum est, sit et perueniat in Commune.

CAP. LXX. GASTALDIONES NON POSSINT HABERE ARBITROS.

Item, quod ammodo in antea inter gastaldos et latrones non possint accipi iudices arbitri.

CAP. LXXI. VICARIUS NON RECEDAT DE CURZULA.

Item die xxvij. men. Octobris. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij lv. eorum nemine discordante captum fuit, quod quicunque poneret petitionem, quod vicarius, qui modo est, vel qui pro tempore erit, vadat extra Curzulam, in terminum suum, vel sibi respondet, si solus peteret, soluat Communi nomine poenae yperperos xxv.

CAP. LXXII. CURZULANUS QUI CURZULANO PER LITTERAS DETRAXERIT.[1]

Item captum fuit, quod quicunque Curzulanus reperietur scripsisse, vel in futurum scriberet, vel detraheret contra aliquem Curzulanum rem, quae portaret aliquod damnum et periculum in rebus, vel in personam, puniatur in rebus et in persona pro proditore.

CAP. LXXIII. DE ACCUSATIS ADIUUANDIS.

Item, quod quicunque accusatus est, vel accusabitur per aliquem, vt supra dicitur, Commune adiuuet eum in omnibus damnis et expensis.

CAP. LXXIV. PORCORUM IN CIUITATE NON TENENDORUM NISI A FESTO S. MICHAELIS VSQUE AD NATUITATEM.

Item captum fuit, quod aliqua persona non possit nutrire porcos, siue porcas in ciuitate poena yperperorum quinque pro quolibet contrafaciente, quorum tercia pars sit accusantis et duae partes sint Communis. Saluo a festo Sancti Michaelis, vsque ad festum Natiuitatis, liceat cuilibet ciui, sine tamen damno alicuius personae.

[1] Praeceptum hujus cap. generaliter iterum statuitur reformatione, inferius cap. XCIV. Reform. citata.

CAP. LXXV. IMMUNDITIAE VBI DEBEANT PROIJCI.

Item captum fuit, quod vnaquaeque persona mundans domos suas, vel ante domos, non possit immunditias illas proijcere, nec cum illis occupare aliquem locum communis maxime portum, sed solum possit proijcere illas immunditias extra ciuitatem post muros in mare, videlicet a porta noua, vsque vltra ad miram Communis, poena yperperorum v. pro medietate Communi et alia accusanti; et nihilominus teneatur ipsas immunditias releuare ad expensas illius proijcientis.

CAP. LXXVI. CONFINIUM INFRA VILLAS.

In Christi nomine amen. Anno Domini nostri Jesu Christi a Natuitate eisdem Mcccc vij. Indictione xv. et die xxij. Mensis Januarij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij lv. pro maiori parte captum est, quod ponantur confinia infra villas per insulam, prout Vetus Statutum requirit; et granize incidantur prout ordinabitur per illos nobiles, qui mittentur per regimen, et quicunque pasculabit vltra confinia, soluat, prout Statutum requirit.[1]

CAP. LXXVII. MENSURARUM VINI REGULANDARUM.[2]

Item captum fuit, quod vna mensura sit vini per totam insulam, videlicet quarta Venetiarum; et vsque ad festum Sancti Michaelis a vindemijs, mensura sit butiarum triginta duarum.

CAP. LXXVIII. CLIBANI MERCES LIMITATA.

Item captum fuit, quod clibanariae seu fornariae non accipiant, nisi de xxx. vnum poena grossorum sex pro qualibet vice.

CAP. LXXIX. MOLENDINARIORUM MERCES LIMITATA.

Item, quod molendinariae non accipiant vltra paruulos x. pro quarta, poena supradicta.

CAP. LXXX. LOQUARUM.[3]

Item captum fuit, quod in aliqua loqua non audeat aliqua persona lauare, nisi portando foras, poena grossorum sex pro qualibet vice in villis et specialiter in loqua Desoeuich in Kzara.

---

[1] Poena xx. yperperorum, solvenda ab eo, qui pascularet animalia vltra confinia villae suae, statuitur cap. C. Statuti.

[2] Cf. etiam cap. CLII. Statuti.

[3] Cf. inferius cap. CV. Reform.

CAP. LXXXI. VINUM FORENSE NON CONDUÇATUR CURZULAM.[1]

Item in eodem consilio captum fuit, quod aliqua persona non audeat vel praesumat portare aliquo tempore vinum forense aliquo, nec barchizare, siue sit Curzulanus, siue sit habitator, poena yperperorum xxv. tam patrono barchae, quam mercatori, et poena cuilibet marinario yperperorum v. quarum poenarum accusator habeat tertiam partem, et quilibet possit accusare. Saluo si quis portaret de Marchia aliquo, non tamen Curzulam, quod facere possit cum licentia totius regiminis et non aliter, sub dicta poena.

CAP. LXXXII. LUMBARDA NON HABITANDA.

Item, quod aliquis non habitet in Lumbarda, nec cum familia, nec cum maxinis, nec galinis, poena yperperorum xxv. et teneatur regimen procedere in hoc in omni hora et tempore: ad hoc sint officiales.

CAP. LXXXIII. DE VASCELLAMINIBUS COMMUNIS.

Item quod vascelamen communis modo per regimen cumuletur vbicunque reperiri potest et quicunque deuastauerit aliquod vascelamen, soluat ipsum modo de presenti, vel det aliud simile.

CAP. LXXXIV. ZAPINORUM NON COMBURENDORUM.

Item, quod quicunque poneret ignem in zapinis per insulam, ex quo esset damnum, soluat nomine poenae yperperos xxv. et totum damnum communi et quilibet possit accusare et habere tertiam partem banni.

CAP. LXXXV. ZAPINORUM NON INCIDENDORUM PROPE MARE PRO PICE FACIENDA.

Item, quod nullus possit incidere zapinos ad faciendum pegulam vbicunque mare respicit, poena yperperorum xxv. et quilibet possit accusare et habere tertiam partem banni.

CAP. LXXXVI. CUSTODUM REUERTENTIUM DE CUSTODIA.

Item eodem Millesimo Indictione et die. In eodem consilio captum fuit, quod omnes, qui sunt dimissi de guardia ordinaria ciuitatis, ponantur in ipsa guardia, et custodiant ipsam guardiam, prout decet.

---

[1] Reformatione praesenti de nouo fuit confirmatum praeceptum sub capp. CV. atque CXXXVI. Statuti citatum.

Cf. etiam inferius cap. XCIX. Reform.

CAP. LXXXVII. CUSTODUM NON AMOVENDORUM A CUSTODIA.

Item, quod quicunque poneret petitionem pro aliquo, quod extrahatur de guardia, soluat nomine poenae yperperos XXV.

CAP. LXXXVIII. POPULARIUM NON ADMITTENDORUM IN CONSILIO.[1]

Item, quod si quis poneret petitionem, uel arrengaret pro aliquo populari, vt ponatur in consilio, soluat irremissionabiliter nominé poenae ducatos centum auri et solus perdat consilium, si fuerit consiliarius; cuius poenae medietas sit et perueniat in cameram dominij, vel comitis, qui erit et alia medietas in Commune Curzulae.

CAP. LXXXIX. NOBILIUM FURANTIUM PECUNIAS COMMUNIS.

Item captum fuit, quod si quis nobilis reperietur in furto, perdat officium et beneficium in perpetuum; et qui poneret petitionem, quod restituatur sibi fides, vel officium, soluat ducatos centum auri nomine poenae, pro medietate camerae regali et alia medietate Communi Curzulae.

CAP. XC. GADORUM DOLGNAE BLATAE.

Item, quod gai sit in dolgna Blata per campum planum extra ogradam, itaque quicunque pasculabit, uel metet alias, quam ordinabitur, soluat nomine poenae yperperos duos, pro medietate Communi et alia accusatori.

Item in eodem consilio captum fuit, quod amodo in antea D. Episcopus non possit facere aliquem popularem canonicum sine voluntate consilij.

CAP. XCI. COMMUNIS LOCATIO.

Item datum fuit ad consuetudinem Curzulae ad plactandum Demetrio Milithieuich vna terra Communis et faciet ei instrumentum prope Marco Prastich.

CAP. XCII. DE CASAMENTIS FACIENDIS IN VALLE SAUALATIZAE.[2]

Item captum fuit, quod Joannes Radetini, et ser. Chiriacus Luxae possint sibi facere domos in valle Saualatizae et similiter Iuan Ceprinich, faciendo tamen non in medio vallis, sed in parte; quas

[1] Cf. supra cap. VI. atque XXVII. Reform.

[2] Reformatione, sub cap. CXXXIII. Reform. citata, statuitur modus, quo constructiones domorum in valle suprascripta fieri possunt.

cum fecerint, possint et valeant tenere, possidere, vsufructuare et omnem suam voluntatem facere, vti de re sua propria, et similiter ser. Joannes Radmilich et omnes alij Curzulenses habitantes facere volentes, dummodo non impediant campum vallis, sine sigillo regiminis.

CAP. XCIII. FORENSIUM EXPOLIANDORUM LIGNAMINA INCIDENTIUM.

Item captum fuit, quod vnusquisque insulanus possit accipere manarias et zeligam quibuslibet forensibus lignamina incidentibus super insulam, sine sigillo regiminis.

CAP. XCIV. DE LIBERTATE INQUIRENDI CONTRA DETRACTORES.[1]

Item captum fuit, quod infrascripti nobiles simul cum tribus iudicibus debeant per inquisitionem procedere contra omnes et singulos, qui tractarent, vel tractauerint, scriberent, vel scripserint, dicerent, vel dixerint, tam in praeterito, quam in futuro, contra honorem et statum Communis Curzulae, vel alicuius specialis personae, dans et concedens ipsum consilium praefatis nobilibus simul cum iudicibus plenum et liberum arbitrium inquirendi, puniendi et condemnandi omnes, et singulos, tam in persona, quam in habere, quos ipsi reperient in aliquo fefelisse, vel in futurum fallere contra ipsum Commune, vel aliquam specialem personam in Curzula.

CAP. XCV. ANIMALIUM AMISSORUM FIDES DANDA PATRONO.

Item in eodem consilio captum fuit, quod quicunque patronus animalium, vel pastor perdet aliquam bestiam, tam bouinam, quam caprinam et pecudinam et sciret, quod aliquis forensis acceperit, credatur talis patronus, seu pastor cum suo iuramento.

CAP. XCVI. PASTORUM ASSIGNANTIUM ANIMALIA.[2]

Item in eodem consilio captum fuit, quod aliquis pastor, seu celnich vel arator non possit assignare animalia, seu boues patrono suo, nisi soluat sibi debitum immediate, in quo est debitor; et similiter patronus non possit eos constringere pastores seu aratores ad soluendum debitum, dum tenet boues, seu animalia.

---

[1] Cf. supra cap. LXXII. Reform.
[2] Cf. cap. CXLIV. Statuti.

CAP. XCVII. FLUUIORUM MORBOSORUM NON ADEUNDORUM.

Item in eodem consilio captum fuit, quod aliquis Curzulanus habitator Curzulae non audeat vel praesumat a medio mense Maij, vsque ad medium mensem Septembris, intrare aliquod flumen morbosum sicuti est Narenta, Boiana, Durachium et incipiendo a Dulcigno, vsque ad Vallonam poena perdendi omnia sua bona, quae deueniant in Commune; et hoc duret in perpetuum.

CAP. XCVIII. LAPIDUM NON ACCIPIENDORUM DE MULIS EXTRA.

Item captum fuit, quod aliqua persona non tangat, seu accipiat aliquem lapidem de mulis Zaualatizae, Prigradize et Blaza in balneando circulos, piscando, vel aliter quomodo esset mansio mulis, poena yperperorum duorum pro qualibet vice, nec balneando linum, seu bernestram, et accusator credatur.

CAP. XCIX. VINI NON MERCANDI, NEC PORTANDI, NISI DE CURZULA.[1]

In eodem Millesimo, Indictione et die xi. mensis Octobris. Berchan Cuitich plazarius publice proclamauit per loca consueta Curzulae mandato dominorum comitis et iudicum, cum consilio et laude quamplurium consiliariorum, quod quicunque Curzulanus, seu habitator Curzulae, qui mercabitur, emendo, vendendo, seu barchizando aliud vinum Dalmaticum, quam Curzulanum, intelligendo a bucca Stagni vsque ad Capi Cumanum et Lagustam, soluat vltra poenam ordinariam Communi yperperos centum pro quolibet viagio, quo contrafecerit et stet tribus mensibus successiuis in carceribus.

CAP. C. DOTES MULIERIS NON AUGENDAE, NEC MINUENDAE SUPER BONIS MARITI.

Item captum fuit, quod amodo in antea dos alicuius mulieris non possit augeri, nec minui super bonis mariti sui, seu viui, seu mortui et specialiter in sententia, nec possit habere cursum cum poena quarti et de hoc fiat Statutum.

CAP. CI. NON POSSIT APPELLARI DE YPERPERIS DECEM.[2]

Item, quod vnaquaeque sententia tam ciuilis, quam criminalis possit appellari, prout Statutum requirit; verum sententia criminalis, quae non transit yperperos decem apellari non possit.

---

[1] Cf. cap. CV. atque cap. CXXXVI. Statuti, nec non cap. LXXXI. Reform.

[2] Cf. cap. XXV. Statuti atque cap. CXXIII. Reform. inferius cit.

CAP. CII. DE STABILIBUS NON POSSIDENDIS, NEC EMENDIS PER FORENSES.

Item in dicto consilio captum fuit, quod aliquis forensis non habitans in Curzula non possit nec valeat aliquo modo possidere, nec vsufructuare aliquam possessionem in Curzula, transacto vno anno proximo futuro; et vnusquisque habens possessionem in Curzula habeat terminum vnius anni ad extrahendum denarios suos, aliter elapso dicto termino, ipsae possessiones deueniant in Commune, nisi essent possesiones dotales; aliter quod amodo in antea vllus non habitans in Curzula possit emere aliquam possessionem in Curzula.

CAP. CIII. PROCURATORUM ECCLESIAE IN VILLIS.

Item captum fuit per ballotas quinquaginta nouem, non contrariantibus decem in contrarium, quod consilium faciat omni anno vnum procuratorem pro Ecclesia pro qualibet villa et Dominus Episcopus alium; quod consilium fecit ser. Joannem Junij pro praesenti anno et Dominus Episcopus fecerat prius ser. Marcum Marse.

CAP. CIV. TRIGESIMI EMENDI PER QUEMLIBET.

In Christi nomine Amen, Anno Nat. eiusdem Millesimo quadringentesimo decimo quarto, Indictione septima et die decimo octauo Nouembris. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae in Ecclesia Sancti Marci coadunato, ad sonum campanae vt moris est, in quo fuerunt consiliarij lx., captum fuit, quatuor in contrarium, quod quilibet possit emere, colligere et tenere trigesimum non contrariante reformatione, quae in contrarium loquebatur, exceptis religiosis quibusuis ordinis, vel conditionis.

CAP. CV. LOQUARUM ORDO.[1]

Item in eodem consilio captum fuit, quod amodo in antea non fiat aliqua stima super loquis, prout modo est inceptum, sed sit antiqua consuetudo. Verum liceat vnicuique, vel quibuscunque habentibus loquas, claudere loquas suas a die primo mensis Maij et nullus audeat recludere poena yperperorum v. Et omnes patroni fossarum possint tunc vendere aquam suam, prout melius poterint et hoc vsque ad festum Sancti Michaelis. xx. contrariae.

---

[1] Cf. superius cap. LXXX. Reform.

CAP. CVI. PERSONARUM NON EXPORTANDARUM EXTRA INSULAM.

Item in eodem consilio captum fuit, quod aliqua persona non audeat exportare aliquam personam de Curzula sine voluntate regiminis poena yperperorum XXV. siue sit masculus, siue sit faemina et siue fuerit habitator, siue non; intelligendo ad partes Apuliae et Dalmatiae, seu Lesinae, et hoc intelligatur pro illis, qui volunt extra insulam. Duae contrariae.

CAP. LVII. QUOD ALIQUIS IUDEX NON POSSIT ALIQUEM CARCERARI FACERE.[1]

In Christi Nomine, Amen. Anno Nat. eiusdem Millesimo, quadringentesimo decimo quarto, Indictione septima et die vigesimo mensis Decembris. In pleno et generali consilio Curzulae, in quo fuerunt consiliarij quinquaginta, per omnes ballotas captum fuit, quod aliquis iudex amodo in antea non possit carcerare aliquam personam sine consilio domini comitis, et si comes non esset, sine consilio aliorum iudicum, vel alicuius ipsorum; et dominus comes similiter cum sibi videtur carcerare aliquam personam, hoc faciat de consilio iudicum, vel iudicis, qui erunt, vel erit in ciuitate. Si vero iudex, vel iudices non essent in ciuitate, possit solus ipse comes; et similiter possit solus in causis ciuilibus.

CAP. CVIII. ADUOCATORUM SOLUTIO ET PROCURATORUM.

Item captum fuit, quod aliquis aduocatus Communis non possit accipere aliquam solutionem pro aliqua ratione, nisi grossum vnum poena sacramenti; et quicunque aduocatus acciperet aliquod praetium nomine praemij, seu simoniae, vel portionis, soluat in duplum totum id, quod acciperet nominibus vt supra; cuius poenae medietas sit Communis et alia accusantis, dummodo probatum fuerit per duos idoneos testes ad minus; intelligendo de iuditijs seu rationibus, quae fiunt in Curzula et non foris, et vltra sit priuatus aduocatia pro illis sex mensibus. Sed in fine litis petere possit aduocatus seu procurator, qui in causa ipsa iuditialiter litigauerit, et habere debeat expensis perdentis de omni eo, quod per sententiam, aut per concordium de ipsa lite recuperauerit praetium infrascriptum. Videlicet vsque ad libras tres, solidos tres. Sed a tribus supra solidum vnum pro quolibet yperpero; estimato valore bonorum ipsius litis recuperatorum. Et quod dictum est de aduocatis, dicitur etiam de procuratoribus.

---

[1] Cf. cap. CXXXVIII. Statuti.
[2] Cf. cap. CXXXIX. Statuti.

CAP. CIX. DE IUSTANDIS MENSURIS BLADORUM.

Item captum fuit, quod omnes mensurae bladi iustentur in mensura lapidea et secundum quod erit in mensura lapidea, obseruetur in perpetuum per totam insulam, et alia non sit, poena in Statuto contenta.[1]

LAP. CX. DE TESTIBUS CONTRA MORTUUM.

Item quod amodo in antea aliqua testificatio non valeat contra mortuam personam; intelligendo de debito; saluo et reseruato, si talis mortuus moreretur morte subitanea, vel si creditor esset foris. Si vero aliquis debitor iacuerit in infirmitate, creditor suus, si fuerit in insula, teneatur venire ad eum, et facere sibi memoriam sub testificatione; vel si debitor moreretur foris.

CAP. CXI. TESTIUM NON RECIPIENDORUM NISI FUERINT VOCATI.

Item, quod nullus acceptetur testis, nisi fuerit vocatus, saltem per vnam partem pro teste et testificetur, quod fuerit vocatus; et si poterit testificari de loco et tempore, adhuc melius; tamen non praeiudicet creditori, si non poterit testificari de loco et tempore, et specialiter de tempore.

CAP. CXII. TUTOR FORENSIS NON POTEST ESSE.[2]

Item in eodem consilio captum fuit per ballotas xlviij, non contrariantibus iv. in contrarium, quod amodo in antea aliquis forensis non habitans, aliquo quaesito colore non possit esse tutor, nec gubernator alicuius personae in Curzula, in bonis Curzulensium.

CAP. CXIII. RECEDENTES DE CURZULA NON POSSINT ALIENARE EORUM BONA STABILIA.

Item per ballotas xlii. non contrariantibus nouem in contrarium, captum fuit et obtentum, quod aliqua persona tam masculina, quam feminina pro recedendo de Curzula, non possit vendere, donare, pignorare, nec aliquo modo alienare de bonis suis stabilibus, nisi solum affictum vnius anni, vel duorum. Si qua vero persona aliquo modo, vel ingenio aliquid daret nominibus, vt supra, perdat denarios, quos daret, quorum medietas perueniat in Commune, et alia medietas illi, qui alienasset; nec possit cancellarius facere cartam aliquam in similibus.

[1] Poena duorum yperperorum statuitur cap. CIII. Statuti.
[2] Cf. cap. LXXIV. Statuti.

CAP. CXIV. NE QUIS VADAT NOCTU PER CAMPOS VINEATOS TEMPORE VUARUM.

Item captum fuit per ballotas xxviij., quod amodo in antea aliqua persona nocturno tempore non audeat vel praesumat ire per campos, vbi sunt vineae, tempore vuarum, poena furti; nisi pudarij, vel gastaldiones faciendo suum officium. Si autem esset necessitas ire in campum, vel vltra campum, portet ignem manifeste, et non vadat aliter sub dicta poena.

CAP. CXV. VINEARUM NON LABORATARUM.

Item dicta die vadit pars, quod quicumque non laborauerit vineas, nihil vindemiet de eis, sed Commune accipiat vineam, videlicet medietatem. Si in futurum non laborare volet, prout tenetur, Commune possit alijs allocare ad laborandum ad medietatem; et fructus anni praesentis pro medietate similiter diuidantur.

CAP. CXVI. MANDRIARUM NON FIENDARUM PROPE VINEAS.

Item Mccccxx. Indictione xiij. die vltima Januarij captum fuit, quod alicubi in districtu Blatae et Zernouae simiacum non possit esse prope vineas. In districtu vero Smoquizae et Kzarae per medium miliare, poena yperperorum xxv. contrafacienti. Nec possit aliquis per dictum spatium facere las super locis Communis, sub eadem poena prope simiacum. Captum fuit per ballotas xl.; contrariae xviij.

CAP. CXVII. DE SENTENTIJS LATIS CONTRA STATUTA.[1]

Item Christi nomine Amen. Anno Natiuitatis eiusdem Mccccxx. Indictione xiij. Die vij. mensis Maij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae in ecclesia Diui Marci coadunato, in quo fuerunt consiliarij liij, per ballotas lij, non contrariante vna reperta in contrarium, captum fuit, quod si quod regimen in futurum, videlicet comes, vicarius, iudices et si fuerint cum eis iudices minoris curiae, facient aliquam sententiam, tam ciuilem, quam criminalem contra Statuta, Reformationes et consuetudines approbatas et vsitatas, allegatas seu productas, siue demonstratas per partem, siue partes litigantes in iuditio de yperperis x. supra, et

[1] Reformatio hujus capituli in pluribus est correcta reformatione a. 1411. capta. Cf. inferius cap. CXXIII. Reform.
Cf. etiam cap. XXV. Statuti et cap. CI. Reform.

ille, qui sentiret se grauatum, vellet appellare, hoc facere possit secundum formam Statuti de appellationibus cap. XXV. Veteris Statuti. Quod si talis sententia reperiretur per superiores esse male sententiata et bene appellata, regimen seu pars regiminis, si foret lata per maiorem partem, succumbat, et soluat omne damnum et expensas, et interesse, quod et quas incurreret illa persona, contra quam esset lata talis iniusta sententia, immediate et sine dilatione, non obstante aliqua reformatione, quae in contrarium reperiretur. Saluo tamen Statuto de pastoribus, quod non tangitur. Si vero talis appelans caderet de iure suo, soluat Communi solidos duos pro quolibet yperpero et soluat parti, contra quam ageret, omnes expensas. Et semper appellans teneatur dare pignus cammerario Communis tam pro expensis, quam pro capisoldo, estimato valore quaestionis, et hoc antequam accipiat scripturas de cancellaria.

CAP. CXVIII. ATINENTIUM NON VALENTIUM SEDERE.[1]

Item vadit pars, an possit sedere ad iuditium iudex, qui fuerit cognatus per primam consanquineam, vel non; et similiter qui fuerit cognatus, videlicet qui haberet pro vxore sororem et alius cognatus aliam sororem, vel non. Captum per ballotas lxiij. contrariae vij, quod non possit nec valeat.

CAP. CXIX. DE NON LABORANDO PEGULAM, NEC PACHLINAM FACIENDO VLTRA TEMPUS STATUTUM.[2]

Item in eodem consilio posita fuit pars, quod aliqua persona aliquo quaesito colore non possit laborare pegulam, nec pachlinam facere aliquo tempore anni, nisi a medio mense Julij, vsque ad medium mensem Augusti et quaecumque persona contrafaceret, cadat ad poenam yperperorum xxv., applicandorum pro duabus partibus Communi et tertia accusatori et possit quilibet accusare et habere tertiam partem banni, excepto tamen anno praesenti vsque ad Sanctam Mariam de medio Augusti. Et quilibet, qui daret in pegulam facientibus, non possit aliquo quaesito colore accipere suo debitori, si non attenderet, vltra tertium denarium de plus, quam dederit nec regimen constringere. Captum et firmatum fuit per ballotas xlvj. Contrariae fuerunt septem.

[1] Disertius iteratur praeceptum hujus reformationis in cap. CXLIII. Reform. inferius sequenti.

[2] Cf. cap. CXLVI. Statuti.

CAP. CXX. DE EXPORTANDO VINO NOUO[1]

Item in eodem consilio captum et firmatum fuit, quod quicumque, qui vellet exportare, vel dare ad exportandum vinum nouum modo et postea, possit liberaliter vindemiare vbicumque in vineis suis, non faciendo tamen damnum alicui personae.

CAP. CXXI. BLADORUM MERCANDORUM, ET QUOD NEMO COLLUDAT CUM VENDITORIBUS.

Item, quod aliqua persona non audeat, vel praesumat se impedire cum aliquo venditore bladi, nec loqui sine scitu, et voluntate ipsorum sindicorum poena yperperorum xxv., siue sit Curzulanus, siue forensis. Et quod regimen possit et debeat omni anno facere sindicos, qui de sua, vel Communi pecunia prouideant de blado.

CAP. CXXII. DE DOMINI ÇOMITIS INTROITU.

Item captum fuit in eodem consilio, quod omnibus comitibus venturis obseruetur modus iste secundum consuetudines nostras, videlicet, quod in campis tam bladorum, quam vinearum, habere debeat et recipere partem suam et conducere facere eam ad ciuitatem ad suas expensas, vt moris est. Et sic debet scribi semper, quando per eam mittet. Et teneatur comes semper venire de mense Maritij, vt differentia non sit inter comites pro introitibus.

CAP. CXXIII. APPELLATIONES QUOMODO FIANT.[2]

Item Mccccxj. Indictione iv. et die vltimo Octobris. In pleno et generali consilio captum fuit, obtentum et firmatum, quod aliqua sententia criminalis non excedens valorem decem yperperorum in futurum appellari non possit. Ciuilis vero sententia appellari possit, quicunque sentiret se grauatum, prout vult Statutum de appellationibus;[3] verum in his modis, quod quilibet, qui appellabit, et non prosequetur, vt ordinatum erit per regimen, cadat de iure suo, nihil soluens Communi; si vero prosequetur et cadat de iure suo, soluat Communi solidos duos pro quolibet yperpero estimato valore quaestionis et soluat parti, contra quam aget, omnes expensas, damna et interesse. Nec possit appellans facere aliquem protestum in denarijs, nec sibi, nec cognitori ipsius causae. Et semper appel-

[1] Cf. etiam capp. XIV. atque CXXXII. Reform.
[2] Cf. cap. XXV. Statuti atque capp. CI. et CXVII. Reform.
[3] Cf. cap. XXV. Statuti.

lans teneatur dare pignus in Commune, tam pro poena, quam pro expensis fiendis, in manibus camerarij Communis, antequam accipiat scripturas de cancellaria, quae pignora recipiat pars appellata pro solutione sua et etiam pro solutione Communis. Nec possit aliquis procedere contra regimen in aliqua appellatione. Confirmata per lx. ballotas die x. Decembris.

CAP. CXXIV. DOTIUM SCRIBENDARUM INFRA ANNUM.

In Christi nomine, Amen. Anno Natiuitatis eiusdem Mccccxij. Indictione xv. die xxv. mensis Augusti. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae, in quo fuerunt consiliarij lij. eorum nemine discordante, captum fuit, quod amodo in antea vnaquaeque dos mulieris debeat per instrumentum scribi infra vnum annum posst completum matrimonium, aliter elapso termino vnius anni, aliqua testificatio non valeat, nisi tantum, quantum voluerit ille, contra quem exiret testificatio. Et si ille, qui debet scribere dotes, non vellet scribere in annum, soluat Communi nomine poenae yperperos vigintiquinque.

CAP. CXXV. INTROITUM VINEARUM ET TERRARUM PETENDORUM INFRA ANNUM.

Item in eodem consilio captum fuit, quod vnusquisque habens petere introitum tam terrarum, quam vinearum a laboratoribus suis, petat infra annum vnum, aliter elapso anno nihil petere possit. Si quis vero laboraret, vel laborauit terras, vel vineas alicuius, teneatur vocare patronum ad arram, seu ad chaciam, poena yperperorum quinque applicandorum pro medietate Communi, alia ipsi patrono, si accusauerit; et de vocatione valeat vnus testis.

CAP. CXXVI. TABERNARIORUM RATIO FACIENDA INFRA TRES MENSES.

Item in eodem consilio captum fuit, quod vnusquisque habens ponere rationem cum tabernarijs, ponat infra menses tres, postquam vinum venditum erit; aliter tabernarius non teneatur ad rationem, nec ad solutionem, nisi habuerit instrumentum, vel testes de debito.

CAP. CXXVII. POENA SENTENTIAE QUO AD QUARTUM REUOCATA.

Item captum fuit, quod aliqua sententia fienda in futurum, non possit accipere poenam quarti, nisi expensas integras.

CAP. CXXVIII. PASCULARE NON POSSINT FORENSES.

Item captum fuit, quod aliquis forensis non possit pascere Blatam, neque in Gay ante ciuitatem, nec in Lumbarda, nec in Rascan sine voluntate consilij, poena soluendi ducatum vnum, pro quolibet equo. Alibi possit cum voluntate regiminis, aliter non.

CAP. CXXIX. SACERDOTES NON VALEANT ESSE COMMISSARII, NEC PROCURATORES, NISI PARENTUM, VEL FRATRIS.

Item in eodem consilio captum fuit, quod amodo in antea aliquis sacerdos non possit esse commissarius alicuius specialis personae, nisi patris aut matris, vel fratris, sed secularis persona: nec procurator, nec in vita, nec in morte.

CAP. CXXX. CONSILIARIUS NON POTEST COGI ESSE OFFICIALIS.

Item captum fuit, quod quilibet consiliarius, qui non fuerit iudex maior, vel minor, possit esse officialis, videlicet gastaldio, pudarius, posticius. Verum si non vellet consiliarius esse electus, non fiat ei violentia.

Per quadraginta duas ballotas, non contrariantibus xvij.

CAP. CXXXI. DE MODO TESTAMENTORUM INTER PATREM CUM FILIIS.[1]

Item dignum fore censemus, quod nati et nascituri voluntati semper subijciantur paternae. Itaque cum pater peruenerit ad vitae ipsius extremum, pro salute ipsius animae et statu, dimissa legitima ipsius natorum debita portione, suo valeat in bonis suis vti libero arbitrio relinquendi, seu distribuendi de omnibus bonis suis stabilibus cuicumque sibi placuerit integram quartam partem.

Vnde super idem.

In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae ad sonum campanae more solito in ecclesia Diui Marci congregato de mandato viri egregij D. Joannis de Gozze de Ragusio, nunc hon. comitis, seu vicarij eiusdem de voluntate et consensu iudicum. Qui D. comes, seu vicarius in dicto consilio proposuit, quod quilibet in ipsius vitae extremum possit de omnibus bonis suis stabilibus cuicumque vult dimittere, seu relinquere integram quartam partem. Vnde facto partito ad bussulos et ballotas inter consiliarios, qui

[1] Cf. cap. CXLV. Statuti, atque capitula ibidem citata.

numero fuerunt lxviij. captum fuit et reformatum per ballotas liij. contrariantibus alijs positis, et repertis in bussulo coloris viridis de numero, quae fuerunt xv. quod quilibet, cum veniet ad ipsius vitae extremum, possit totam et integram partem quartam suorum bonorum stabilium dimittere cuicumque sibi videbitur et placuerit pro suae libitu voluntatis. Verum post haec praedicta, quod pater non possit habens plures natos de ipsius bonis reliquis aliquid plus dimittere vni, quam alteri secundum quod in alio Statuto in praesenti volumine continetur.[1] Si quidem reformatio pro Statuto habeatur et in libro Statutorum ciuitatis Curzulae scribi debeat.

CAP. CXXXII. VINI PORTANDI EXTRA.[2]

Item captum fuit in dicto consilio, quod quilibet, qui voluerit portare vinum ad vendendum extra insulam possit vindemiare, et si dicat portare vinum ad vendendum extra et non portauerit, perdat in continenti totum vinum, cuius medietas sit Communis et alia accusatoris.

CAP. CXXXIII. SAUALATIZAE HABITANDAE.[3]

Item in dicto consilio pars fuit posita, quod vnusquisque, qui voluerit, possit construere, seu aedificare domum, seu habitationem in valle, quae dicitur Saualatiza; modo tamen hoc infrascripto, videlicet; quod ille, qui voluerit aedificare, seu facere aedificari domum, seu habitationem, non debeat modo aliquo occupare illum locum, per quem possit planities impediri et nec impediantur loca, quae essent alterius, nec etiam viae Communis; et si quis faceret contra praedicta, ipso facto regimen Curzulae, quod pro tempore venturo erit, debeat et teneatur omni causa remota, totum illud, quod foret per quemuis constructum, seu aedificatum in praeiuditium praedictorum, in continenti facere destrui et deguastari. Captum fuit per ballotas lxx. contrariae vero iv.

CAP. CXXXIV. ATTINENTIUM IN CONSILIO, VT NON POSSINT VOTARE.[4]

Item Millesimo quadringentesimo decimo quinto, Indictione nona et die vltimo Februarij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae ad sonum campanae more solito congregato, in quo qui-

[1] Cf. cap. XXXVII. Reform. et capitula ib. cit.
[2] Cf. supra cap. XIV. atque CXX. Reform.
[3] Cf. cap. XCII. Reform. superius citatum.
[4] Cf. infra cap. CXXXIX. Reform.

dem fuerunt consiliarij lxxiv., discrepantes vero ix., quod amodo in antea quaelibet pars, quae poneretur et deberet poni in consilio generali ciuitatis Curzulae in fauorem cuiuscumque, tam in electione officialium ciuitatis, quam ex causa cuiusuis rei, vel causae, quod omnes et singuli, qui fuerint et forent de consanquinitate et parentela illius, per quem debeat poni in consilio pars, videlicet pater, auus, filius, frater, nepos, patruus, avunculus, cognatus ex vtraque parte, patrignus, priuignus et fratres consobrini, debeant statim exire de ipso consilio, sub poena qualibet vice delinquenti et pro vnaquaque vice contrafacienti yperperorum duorum, statim Communi soluendorum sine remissione aliqua; et ille, qui foret de tali consanquinitate, non possit modo aliquo ballotare et si poneret ballotam, quod pars illa nullam obtineat firmitatem, imo sit cassa statim et nullius valoris, et iterato debeat ballotari.

CAP. CXXXV. COMMUNE BLATAE ET CHZARAE FACIANT PLAZARIOS.

Item captum fuit per ballotas lxj. die xiv. Julij, quod illi de Blata et Chzara possint facere plazarios ad velle ipsorum.

CAP. CXXXVI. VENIENS DE LOCO PESTIFERO NON ACCEPTETUR.[1]

Item in dicto consilio captum fuit per ballotas lx. nemine discrepante, quod amodo in antea nullus, qui veniret de loco pestifero, receptetur in ciuitate modo aliquo, nisi ille, vel illi, cui vel quibus vsque in praesenti die datum fuerit confinium.

CAP. CXXXVII. DE GADIS CONFIRMATIS IN SMOGUIZA ET CHZARA.

Item in dicto consilio confirmati fuere Gaij in Smoguiza et in Chzara. Videlicet in Chzara incipiendo ab Ecclesia Sancti Heliae de Praprat, vsque ad montem vocatum Cabal et vsque ad cacumen Cernousco berdo et vsque ad cacumen montis vocati Gomilno berdo et ad cacumen montis sequentis.

CAP. CXXXVIII. DE DATIO BLADI, SEU FRUMENTI.[2]

Item vadit pars si videtur consilio, quod amodo in antea si quis forensis, vel aliquis alter loco sui emeret, aut emi faceret, tam in ciuitate Curzulae, quam quocumque alio loco ipsius insulae bladum,

[1] Cf. cap. CVIII. Statuti.
[2] Cf. supra cap. L. Statuti.

seu frumentum aliquod et quodcumque aliud ad nutrimentum corporis, teneatur statim soluere nostro Communi vnum solidum pro qualibet vice et pro vnoquoque contrafaciente yperperos v. et ammittat totum, quod emit; et quod quilibet possit accusare; et accusans habeat medietatem condemnationis, et aliam Commune. Et superinde credatur vni solo idoneo testi. Et haec pars semper habeatur praeciso statuto et quod per neminem possit infringi.

CAP. CXXXIX. DE MODO SERUANDO IN ELECTIONE IUDICUM ET AMBASCIATORUM ET NE VOTENT ATTINENTES IN TERTIO GRADU.[1]

Item Millesimo quadringentesimo decimo octauo, Indictione vndecima, die tertia mensis Martij. In pleno et generali consilio ciuitatis et insulae Curzulae in ecclesia Sancti Marci more solito congregato, in quo quidem interfuerunt consiliarij lxij. vadit pars si videtur consilio, quod in omni mutatione regiminis, ac comitis, vel vicarij et ambasciatorum eligi debeant per modum hunc infrascriptum iudices ciuitatis, ac iudices minores et ambasciatores et quod haec pars ponatur in volumine Statutorum Communis et habeatur pro praeciso Statuto, quod per neminem possit infringi, nisi si vicarius, vel comes, aut rector, vna cum iudicibus omnibus, videlicet maioribus concurrant in vno bussulo, facta vel data proposta, in quo consilio debeant esse lx. consiliarij adminus et quod non possit pars haec infringi nisi per consiliarios xl. adminus. Volentes ipsi consiliarij, quod per modum infra scriptum hoc Statutum obseruetur; videlicet in primis, quod data proposta debeant partiri inter consiliarios ballotae et cui vel quibus veniunt ballotae tres nigrae, debeant statim ire in prima camara et alij tres in alia secunda camara. Et quod ipsi electores debeant ipsorum electionem facere per texeras et bussulos, postea cancellarius scribere debeat statim ipsos suprascriptos officiales electos per ipsos electores. Postea debent nuntiare in consilio generali, et distribuere inter consiliarios ballotas et ille, qui plus habuerit de ballotis, statim in illo officio, in quo est electus, confirmetur. Nihilominus dicti consiliarij cassant ex nunc in antea et cassare volent, imo pro cancellato, irrito et nullius valoris esse voluere quoddam Statutum alias captum in generali consilio, quod est in volumine nostri Statuti cap. XXVI. sub rubrica De electione Iudicum, quod

[1] Cf. etiam cap. CXXXV. Statuti.

incipit, quod comes, qui pro tempore fuerit, eligat tres Iudices etc. Et quod nullus, qui foret in tertio gradu et nec cognatus possit ponere ballotas.[1] Captum per ballotas lvj. contrariae vero quattuor.

CAP. CXL. SEMEL ELECTUS, QUI NON REMANSIT.

Item vadit pars, si videtur consilio, quod ille, qui fuerit electus per electores in quocumque officio et praecipue in officio iudicatus, quid semel pro eo, qui erit electus, ponatur pars in consilio et non plus modo aliquo. Captum per ballotas xlviij., contrariae xiij.

CAP. CXLI. SERUORUM NON MERCANDORUM.[2]

Item in eodem Millesimo et Indictione, die vero ix. mensis Maij. Captum, obtentum et firmatum fuit, quod amodo in antea si aliquis homo cuiuscumque generis, gradus, sexus et conditionis, tam Curzulanus, quam forensis habitator Curzulae faceret mercantias seruorum, quocumque modo, vel ingenio, vel esset miscita, aut interpres, vel scriptor litterarum dictorum seruorum, seu seruarum, vel dator sigilli Communis Curzulae et si aliquis inuentus fuerit contrafactor huius rei et inuentus et accusatus fuerit et probatum ad minus per duos idoneos testes, vel per publicam famam erit manifestum, quilibet teneatur soluere irremissionabiliter ducatorum centum auri, quorum duae partes sint et esse debeant Communis Curzulae et reliqua, videlicet tertia pars, sit et esse debeat accusatoris huius criminis; et istam partem, seu reformationem volumus amodo in antea pro praeciso statuto semper habere; et si aliquis non haberet vnde soluere, manus 'dextera ei amputetur[3]. Et hoc statutum obtentum et firmatum fuit per ballotas lviij. contrariae vero iij.

CAP. CXLII. CATELANI NON POSSINT STARE IN CURZULA.

Item vadit pars si videtur consilio, quod omnes et singuli Catalani et etiam Siciliani, qui venirent ad hanc ciuitatem, specialiter pro facto emendi seruorum, nullatenus possint hic in ciuitate Curzulae et nec in insula morari, nisi quod si voluerint emere panem

[1] Cf. supra cap. CXXXIV. Reform.
[2] Cf. supra cap. XXXVI. Reform.
[3] Deest in ed. Ven. Apposuimus verba: dextera etc. quia pluribus in locis Statuti ac Reform. poena maior pecuniaria perditioni manus dextrae par ponitur.

vel vinum, aut aliquid pro ipso victu, possint hic aliqualiter, saltem per vnum diem stare ad plus, aliter quod statim expellantur cum ipsorum verecundia et graui damno. Captum per ballotas lxvj.; contrarie vna.

CAP. CXLIII. DE NON VALENTIBUS SEDERE AD BANCUM IUDICUM MAIORUM.[1]

Item Millesimo quadringentesimo trigesimo sexto. Indictione decimaquarta et die Lunae sexto mensis Februarij. In generali consilio Curzulae fuit captum et obtentum per ballotas xxvij. positas in bussula alba de sic; non obstantibus ballotis xxv. positis in bussula viridi de non in contrarium, quod ab hodie in antea pater et filij et fratres et consanquinei germani et socer et gener et cognati non possint esse iudices in ciuitate Curzulae ad solitum bancum iuris de maioribus iudicibus ad inuicem.

CAP. CXLIV. DE FACIENTIBUS VIOLENTIAM.

Item captum et obtentum fuit in dicto consilio per ballotas lxvij., ballota vna in contrarium reperta non obstante, quod quedam reformatio et pars alias capta in consilio Curzulae scripta in libro reformationum Curzulae manu ser. Antonij Jacobi olim cancellarij Communis Curzulae in Millesimo trecentesimo nonagesimo quarto, indictione secunda et die penvltima mensis Augusti in car. LI. dicti libri, qua cauetur, quod quilibet homo cuiuscumque status et conditionis existat et fecerit se ciuem habitando tamen in ciuitate Curzulae, nulli creditori liceat, nec possit contra ipsum debitorem petere, nec ipsum astringi etc. prout in dicta reformatione latius continetur etc.; quod amodo in antea pars dicta nullo modo locum habeat, nec in futurum obseruetur, sed ex nunc vigore praesentis sit cassa et nulla, nulliusque valoris, veluti iuri disconsona, depennanda statim expresso mandato per cancellarium praesentem; ita et taliter, quod de caetero quilibet contra quemcumque seu quoscumque debitores, vndecumque venientes, vti valeant plenario modo iuribus suis in Curzula, quemadmodum Curzulani vtuntur secundum formam.[1]

CAP. CXCVII. ADUOCATI ORDINARIJ NON POSSINT RECUSARE PATROCINIA.

Nos Nicolaus Mauroceno pro illustrissimo ducali dominio Venetiarum comes terrae et insulae Curzulae. Cum aduocati Communis Curzulae quandoque recusent aduocare per illos, per quos sunt requisiti, in praeiudicium iuris et iustitiae et detrimentum pauperum personarum, sedentes ad nostrum solitum iuris bancum, terminamus, et terminando mandamus, quod quandocumque ipsi aduocati, aut aliquis eorum per aliquem fuerint requisiti, vel requisitus et aduocare recusaverint et noluerint dicere iura personarum eos requirentium, sicuti tenentur et debent, quod immediate cadant ad poenam yperperorum quinque Communi Curzulae applicandorum pro qualibet persona et qualibet vice; reseruantes illos, qui sunt

[1] Reformatio praesenti in capitulo memorata sine dubio statim est cancellata, quapropter eam inferiori huic recensioni libri reform. insertam non invenimus.

expulsi, seu aduocare non possunt, iuxta formam Statutorum Curzulae.[1] Publicata die Mercurij nono Junij, Millesimo quadringentesimo quinquagesimo primo praesentibus ser. Stephano q. Iunij, ser. Ioannis Petrouich, ser. Marino Paparcich, ser. Blasio Radetino et alijs.

CAP. CXCVIII. DE ANIMALIBUS NON VALENTIBUS PASCULARE IN CAMPO DOLGNAE BLATAE.[2]

Per supradictum dominum comitem vna cum ser. Ioanne Petrouich et ser. Ioanne Grupsich iudicibus suis. Cum coram ipso domino comite comparauerint nonnulli ciues Curculenses et fecerunt constientiam, qualiter per equos et somerios, boues et vaccas aliquarum personarum illos et illas tenentium in campo dolgnae Blatae maximum inferatur damnum in vineis circumcirca et in dicto campo existentibus, petieruntque perinde de iustitia remedio prouidere: attenta praedicta requisitione fore honesta; sedentes apud logiam Communis Curzulae super platea, terminamus et pronuntiamus, quod quaecumque persona, cuiuscumque gradus et conditionis existat, quae habebit equos, vel equas, aut somerios et similia animalia grossa, quorum animalia reperta fuerint in aliqua vinea dicti campi dolgnae Blatae, soluere debeant Communi Curzulae yperperos quinque pro quoque animali et reficere damnum patrono, vel patronis vineae et non possit amplius tenere dictae conditionis animalia ligata, vel non ligata in ipso campo, sub poena yperperorum quinque pro qualibet vice: et quilibet possit accusare et habere medietatem poenae pecuniariae. Lata et publicata die Iouis vigesima nona Iunij Millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo praesentibus ser. Carolo Dragoeuich, ser. Antonio Roscen, magnifico Paulo Glauich et Christophoro plazario et alijs quampluribus. Quam etiam terminationem praefatus dominus comes publicari fecit in locis consuetis per suprascriptum plazarium die suprascripta.

CAP. CXCIX. LIGNAMINA APTA PRO AEDIFITIJS EXTRAHI POSSINT SOLUTO DATIO.[3]

Item in eodem consilio reformatum fuit atque ordinatum pro euidenti vtilitate Communis, nec non captum et obtentum per ballotas xxxi. contrariantibus non obstantibus ballotis xxvj., quod liceat

[1] Cf. capp. XXIX—XXXI. Statuti.
[2] Cf. superius cap. XC. Reform.
[3] Cf. capp. CX. atque CXII. Statuti, nec non capp. LXIII. et CC. Reform.

vigore praesentis reformationis cuilibet forensi volenti lignamina recipere, quamcumque quantitatem voluerit in Babina et vbilibet per insulam, sine poena et bando dummodo soluerit datiarijs, qui pro tempore fuerint, pro qualibet barca portaturae centum sextariorum, siue modiorum salis ducatum vnum; et si maioris, aut minoris fuerit portaturae teneatur soluere pro rata secundum estimationem fiendam; et hoc intelligatur de lignaminibus idoneis pro aedificio extrahendis extra insulam. De lignaminibus vero siccis non valentibus, nisi ad ignem, excepta tamen taeda, quae non intelligatur in hoc datio. soluere teneatur forensis portans dimidium ducatum pro barca qualibet, vt supra. Et haec pars duret per vnum annum incipiendo a die, quo deliberatum fuerit incantum. Et quilibet forensis, ut supra, volens recipere de dicto lignamine, teneatur primo recipere cum buletino licentiam incidendi a dictis datiarijs pro tempore futuro, et si secus fecerit, cadat contrafaciens semper ad poenam contrabandi secundum formam Statuti Curzulae de fraudatione datij.[1] Et si fuerit terrigena, vel habitator, teneatur soluere Communi, vel datiarijs, vt supra duodecimam partem pretij, quod ipse vendiderit ipsum lignamen, quod pretium dicere et consignare teneatur per suum iuramentum et eius sacramento credatur. Et hoc intelligatur de lignaminibus extra insulam portandis. Qui vero contrafecerit, incurrat in poenam contrabandi.

CAP. CC. LIGNAMINA EXTRAHI NON POSSINT SINE EXPRESSA LICENTIA CONSILIJ.[2]

Item in eodem consilio captum fuit per ballotas lx. vna tantum in contrarium reperta non obstante, quod amodo in antea vllus forensis non habitans Curzulam modo aliquo non valeat, nec possit incidere, nec exportare lignamina, vel aliquod genus lignaminis de insula Curzulae absque expressa licentia generalis consilij Curzulae poena yperperorum xxv. pro quolibet patrono barchae et marinariis vice qualibet et poena perdendi barcam et bona, quae in illis portauerint. Et si aliquis Curzulensis reperiretur consensisse, vel dedisse ijs opus, consilium, auxilium, vel fauorem, cadat statim ad poenam ducatorum quinquaginta, pro medietate accusatori et alia Communi. Et regimen, quod pro tempore fuerit, teneatur vinculo iuramenti, in principio sui regiminis ordinare et

[1] Cf. cap. LI. Statuti.

[2] Cf. capp. CX. atque CXII. Statuti, nec non capp. LXIII. et CC. Reform.

constituere in quolibet casali quatuor officiales, qui habeant custodiam in praemissis cum auctoritate accusandi, capiendi, conducendi et conduci faciendi delinquentes et habeant eorum partem.

CATASTICUM POSSESSIONUM COMMUNIS CURZULAE.

Mccccxxvij. Indictione v. Die secundo mensis Maij.

Hoc est catasticum omnium et singularum terrarum et pertinentiarum locorum, vallium montium atque nemorum, existentium super insula Curzulae pertinentium et spectantium tantum modo de iure ad nostrum Commune Curzulae, adinuentum, ordinatum et reformatum ad euidentiam et notitiam cunctorum et ad conseruationem iurium dicti Communis, per spectabilem et egregium virum d. Mapheum Foscareno pro serenissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum hon. comitem Curzulae, eiusque iudices, nobiles viros ser. Joannem Petri, ser. Stanchum Hobradi et ser. Vidosium Pauli, viros quoque nobiles specialiter deputatos et electos ser. Marinum Dehoeuich, ser. Nihxan Peruosij, ser. Jadre Micolich, ser. Stipchum Pumosich.

Et primo in Blata et eius districtu decreuerunt esse Communis Curzulae et de iure ad illud Commune spectare declarauerunt.

Blata.

In primis terram vnam in ripa montis, vbi dicitur Ziuagna gniuiza cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam super vela Luca, cum Spila et sub Spila, cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam sa Saglau, cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam in Plithue, cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram Bogliciua gniuiza cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vocatam Gomila, cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam, vbi dicitur Diuuognin Plat cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam in Gradina cum pertinentijs et iuribus suis.

Item terram vnam, vbi dicitur Gracinskiza cum pertinentijs suis.

Item terram vnam, vbi dicitur Dobrigna Vlaka cum pertinentijs suis.

Item terram vnam in Michulina luca cum pertinentijs suis.

Item terram vnam vbi dicitur Vertiliskia cum pertinentijs suis.

Item omnes montes et valles, incipiendo a Prigradiza vsque ad Priualam cum iuribus et pertinentijs suis.

Item omnia alia et singula loca nemorum, quae non sunt specialium personarum.

Item terram vnam na Dubo, cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam vbi dicitur Gniuiza sub Sancto Georgio cum iuribus et pertinentijs suis.

Item terram vnam vbi dicitur na Kalini cum iuribus et pertinentijs suis.

Item omnes et singulae terrae, loca, valles, montes et nemora, incipiendo a Zugneua loqua cum toto Xacagn rat vsque ad

Item tres valles, vbi dicitur Vuraniciak, videlicet Ladia et Slatina; reseruatis terris iuxta Xugneua loqua, de quibus est dubium, et quae debent reuideri per homines deputandos per regimen.

Item omnes et singulae terrae, loca, valles, montes et nemora, incipiendo a Saglau malo, vsque ad Louiskiam cum pertinentijs et iuribus suis; reseruato tamen iure reuidendi differentiam inter Commune Curzulae parte ex vna et heredes ser. Vidosij Radoslauglik de Sutuara.

Item omnes et singulae valles, montes et nemora, quae aliquis vellet laborare, spectant de iure ad ipsum Commune Curzulae.

Item per regimen Curzulae praedictum deputati fuerunt infrascripti et transmissi videre loca Communis in Blata. Qui nobiles hi sunt: ser. Marinus Dehoeuich, ser. Nikxa Peruosij, ser. Bogdanus Radichi, ser. Jurai Chresulovich et ser. Marinus Hostoich.

Qui primo extimauerunt bladum Communis anni praedicti in Diuindolaz et in Gressiza in modia ordei xv.

Item in Losiza ordei modia iij.

Item dixerunt omnes infrascriptas terras et loca esse Communis Curzulae.

In primis Diuindolaz cum iuribus et pertinentijs suis.

Item Perxinize cum pertinentijs suis vsque ad confinia terranorum Tripucci; et fecerunt confinia dicti Diuindolaz, viae, quae tendit de Blata ad Trepuccium; et totum et quicquid est sub via, est heredum Nicolae Papich; et illud, quod est super viam versus orientem, est Communis totum, montes, valles terrae et nemora.

Item de loco vocato Dersauiza sic declarauerunt praedicti, quod vsque ad petram rubeam sint confinia Communis; et sub

petra rubea omnes terrae sunt ser. Junij Michulich, et quicquid est superius, Communis est.

Declarantes etiam infrascripta loca sunt Communis in Blata:

In primis Prigradiza cum pertinentijs suis.

Item Loxizam cum pertinentijs suis.

Item Cerna luca cum pertinentijs suis.

Item Stiniua cum pertinentijs suis.

Item Prapratna cum Prapratna et Priuor cum pertinentijs suis.

Item Prihodna parua et magna cum pertinentijs suis.

Item Zinkoua luca cum pertinentijs suis.

Item Cesuin dol, cum Celsiar cum pertinentijs suis.

Item Boroua luca cum pertinentijs suis.

Item Zalichoua pasicha cum pertinentijs suis.

Item Luca Pratischia cum pertinentijs suis.

Item Badgnena luca cum pertinentijs suis.

Item Arpine cum pertinentijs suis.

In Smoguiza et eius districtu:

In primis in Chapglia, vbi dicitur sub Dubraua et sub monte Chonschiar, vsque ad viam collis, vsque ad Gorgna Pocogna.

Item alium locum vocatum Pachlinize, vsque ad campum Chapgliae.

Item terra vna sub Xacomie, vsque ad campum Chapgliae cum pertinentijs suis.

Item vnum locum vocatum Logischia super montem Comarcischia, iuxta montem vocatum Shrid, cum pertinentijs suis.

Item vnum locum vocatum Mala Subotiza cum pertinentijs suis.

Item vnum locum in monte Dubraue vna Rop cum pertinentijs suis.

Item terra vna, vbi dicitur Giorgigna Pahogna cum pertinentijs suis.

Item terra vna, vbi dicitur na Ropstoue gline, cum pertinentijs suis iuxta vnam terram ser. Joannis Petri, vbi dicitur Radesgne cum pertinentijs suis.

Item vnum locum vocatum Xcracinschiza, cum pertinentijs suis.

Item vnum locum vocatum Malo Proischie cum pertinentijs suis.

Item vnum locum vocatum Stauoglina passica cum pertinentijs suis.

Item vnum locum vocatum Gradina cum pertinentijs suis vsque ad viam Communis et vsque ad terram specialium personarum.

Item vnum locum vocatum Logischia sa velo berdo cum pertinentijs suis.

Item tota vallis Saualatize cum pertinentijs suis.

Item vna terra in Grabouich cum pertinentijs suis.

Item vna petiola terrae in Mocarana gniua cum pertinentijs suis.

Item puncta de Prischiapschi rat, quae stat in mari, vsque ad confinia specialium personarum.

In Chzara et eius districtu:

In primis vallis Grabouich cum pertinentijs suis.

Item vallis Vteklina cum pertinentijs suis.

Item vallis Vterstena cum pertinentijs suis.

Item vallis in Samograd cum pertinentijs suis.

Item terra vocata Xiuini Dolaz cum pertinentijs suis.

Item vallis Rasohatize cum pertinentijs suis.

Item vallis Savalatize cum pertinentijs suis.

Praefatus d. comes et iudices ser. Joannes Radetini, ser. Marinus Xilcouich, ser. Joannes Hobradi, ser. Stoianus Joannis, ser. Antonius Radichi, Gregorius Rodoslauich, Stanicha Glubsich et Laurentius Pezotich declarauerunt terras, loca et confinia Communis. Et primo

In Zernoua et Pupnata et eius pertinentijs.

In primis vallis Racischia, cum pertinentijs eius, vsque ad confinia comitatus et vsque ad maceriem Gorgnie Polie.

Item terram vnam sub Stiniza, vsque ad confinia comitatus, vsque ad maceriem circundantem Gorgne Poglie comitatus et vsque ad confinia Arboris Smergliccae et vsque ad primam, secundam et tertiam gomilam.

Item terra vna, vbi dicitur Groschothni sub Supoch, vsque ad comitatum cum Dughi pod, vsque ad domum Sinci Vulcich et vsque ad domum Vualsi Scolinich et vsque ad ecclesiam Sancti Doini.

Item terra vna sub Narat cum pertinentijs suis et in Tisina gniua vsque ad mare.

Item terra vna, vbi dicitur Sasminac sub Pupnata.

Item terra vna, vbi dicitur Samosci, cum pertinentijs suis.

Item terra vna, vbi dicitur Comoracischa, cum pertinentis suis.

Item terra vna, ubi dicitur Saglauicie, cum pertinentijs suis.

Item terra vna, vbi dicitur Pisci, cum pertinentijs suis.

Item terra super malas Stuparinas pod Chnexe xiddabo, cum pertinentijs suis.

Praefatum regimen, vna cum nobilibus infrascriptis, videlicet ser. Chriacho Luxae, ser. Angelo Hobradi, ser. Joanne Hobradi, ser. Marino Xilcouich, ser. Francisco Junij, ser. Marchio Sincouich, ser. Lazarino Testa, ser. Antonio Rossen, ser. Simone Michulich, ser. Antonio Joannis Stoianouich et sudia ser. Paulo Matieuich declarauerunt loca Communis infrascripta, videlicet:

In Lumbarda.

In primis omnes possessiones et terrae, quae pertinent ad Commune Curzulae in Lumbarda a Jagnaç rath circum circa totum Perxina, vsque ad Bercoua Vinogradischia et cum ipsa vinogradischia. Intelligendo terras et vineas sub Brisi seu montes iuxta littus maris.

Item locum in Perxina datum ad planctandum filijs Pauli Gotoucich, iuxta heredes Boxini stoici et Buschi calegarij et alios fines.

Item vnum locum in Plechie planctatum per heredes dicti Boxini circa vnum gognale, cum pertinentijs suis versus vinogradischia.

Item vnam vineam planctatam per butchum Cranislaucich, iuxta vineam Communitatis et iuxta dictos filios Pauli Gotoucich et alios fines.

Item vnam vineam planctatam per Nouacum Taraglus, sub vinea dicti Butchi, iuxta terras Communis, quae tendunt versus littus maris.

Item vnum locum, qui antiquitus ab annis octuaginta fuit buscum et nunc planctatum per Gregorium Scogletich et sibi concessum per Ioanem alias Balasc, quem locum tenent nunc occupatum dicti heredes Balasij et dictus Gregorius, quibus per dictum regimen consignetur terminus ad monstrandum iura sua legitime, quia palam praesumitur esse Communis.

Item vnum locum in Raxan in capite insulae a parte orientis, qui locus antiquitus fuit nemus et immo praesumitur fuisse et esse Communis, quia aliquis non possedit eum, quem locum nunc tenet Paulus Mathieuich occupatum, vbi vineas planctauit; et ideo probet de iure suo Paulus, aliter remaneat Communi.

Item vnam possessionem, cum vinea, domo, hortis et arboribus et pertinentijs suis iuxta Sanctam Barbaram, quam tenet Radoslauus Tutuman et Radoslauus Perfici.

Item vnam possessionem planctatam per Dimitrium Caliparium in Noxan, iuxta Maroe Praschich et iuxta heredes olim ser. Angelini de Jenna et alios fines.

Item vnam possessionem, videlicet vineas, domos et hortos cum iuribus et pertinentijs suis supra ecclesiam Sancti Ioannis iuxta vias Communis et alios fines, quos tenet Palassius, cui concessit Commune ad planctandum.

Item possessiones, quae concessae fuerunt Pribilo heremitae, vineas, domos et hortos et alia, cum iuribus et pertinentijs suis, iuxta dictam ecclesiam Sancti Ioannis vias et alios fines.

Item vnum alium locum dicto Pribilo concessum per Commune super vallem Sancti Ioannis in puncta versus Orientem, planctatum per dictum Pribilo.

Item totum et quicquid planctauit et planctabit Radoslauus Persci in capite Racischie a parte orientis supra vias Communis et alios fines.

Item campum Racischia, videlicet vineas, terras cum suis pertinentijs, videlicet vbi possidet Marinus Sasfich, Thoma marinoua, heredes Cusnati anexa.

In Mandola.

In primis vna terra apta ad arandum iuxta vineas a parte Austri.

Item in dicto loco terra, quae vocatur Boglij pod, iuxta dictam terram et extra vineas, iuxta meridiem.

In Gorgna Blata.

In primis terram vnam, vbi dicitur Duoicuratiza, iuxta heredes Marini Cherchianouich.

Item valles de Macaraz.

Item terra, vbi dicitur Suho berdo.

In Dolgna Blata.

In primis vna vinea, quam tenet Marinus Tonci, cum pertinentijs iuxta, vbi dicitur Veligna noga, iuxta Ioannem Radetini, vsque ad Iauic et vsque Xadiacie.

Item vna terra iuxta Puteum et iuxta Radoic Medoicich et Marinum Crenichiam, vsque ad Radoceua gniua, cum suis pertinentijs.

Item quicquid planctauit Radoslauus Chiselli et terra ibi prope, cum pertinentijs suis, vsque ad Bobouichiam et usque ad puteum sub Slana glauiza.

Item omnes et singulas terras, et pertinentias incipiendo a Spilice et sub Spilice, vsque ad vineas iuxta domum Radosse Modriuich et heredes Nicolae Xilicouich, vsque ad Lucam et vsque ad Cherchieuaz; et similiter omnes terras sub Cherdieuaz, cum pertinentijs suis, vsque ad mare.

Item vna vinea in Dolgna Blata planctata per Marcum Cilichieuich cum omnibus pertinentijs suis, iuxta Puglierinam et iuxta ser. Iacobum Hobradi.

Item omnes vineas et terras in Copaici, cum pertinentijs vsque ad vineas Salinae et vsque ad ogradam ser. Iacobi Hobradi in Dolgna Blata.

Item vnam vineam et terras cum pertinentijs suis in Salinis, iuxta vineas Comitatus in Salinis positas.

In Gradaz.

In primis Gradaz totum et Sagradacie et Mrauigna cupizza et Leuischia totum, cum pertinentijs omnibus, incipiendo a vineis Communitatis in Salinis et incipiendo a vineis communitatis Dolgna Blata videlicet ab ograda ser. Ioannis et Angeli Hobradi, vsque ad Velam Lucam heredes Berini et vsque ad mare planitiebus, collibus omnibus et nemoribus et vsque ad terram Anachij Vulicich, sunt Communis Curzulae.

Et sic esse declarauerunt et terminauerunt.

IV.

LITTERAE DUCALES ALIAEQUE DECISIONES,

PRIVILEGIA

COMMUNITATIS AC UNIVERSITATIS POPULI ET INSULAE

CURZULAE

ATTINENTES.

I. ACTUS DEDITIONIS,

quo fuit erectum vexillum Sancti Marci per nobiles, offerentes se cum toto populo gloriosissimo Dominio Veneto.

Anno Mccccxx. Die Mercurij xxiv. mensis Aprilis.

In Christi nomine Amen, ac intemerate ejus matris Marie et totius curie coelestis et specialiter beati Marci Euangeliste ad requisitionem mag^ci^ et egregij dñi Petri Juriano, capitanei honorandissimi felicis armate serenissimi ducalis dominij Venetiarum erectum fuit vexillum beati Marci per nobiles Curzule, offerentes et dantes se letanter cum toto populo prefato dño capitaneo nomine serenissimi ducalis dominij omnem debitam subjectionem reuerentiam et honorem, quem et quam quilibet fideles et legales seruitores tenent prefato dominio gratioso Venetiarum.

Insuper prefatus dominus capitaneus uoluit habere debitum sacramentum ab omnibus et singulis nobilibus ciuitatis et insule, qui letanti animo suum fecerunt debitum juramentum de fidelitate, constantia et honore seruando serenissimo, gloriosissimo dominio prenominato Venetiarum.

Eadem die infrascripti nobiles, constituti in ecclesia sancti Marci in presentia egregiorum et nobilium virorum, domini Marci Miano et domini Luce Irono patronorum duarum galearum, in portu Curzule astantium, simul cum prefato capitaneo ex eius commissione fecerunt eorum debitum juramentum. In primis

Ser. Dobroslaus Petri
rector.
Ser. Franciscus Vidosij
Ser. Marinus Lilius
Ser. Rafael Angeli
indices.
Ser. Obradus Dobroslaui
Ser. Lazarinus Testa
Ser. Joannes Petri
Ser. Joannes Junij
Ser. Marinus Michaelis
Ser. Stanchus Obradi
Ser. Marcus Obradi
Ser. Gabriel Angeli
Ser. Petrus Dobroslauich
Ser. Joannes Marini
Ser. Micouich
Ser. Nicola Ostrich
Ser. Nicola Draginich
Ser. Forte Antonij
Ser. Stojanus Joannis
Ser. Antonius Marse
Ser. Joannes Obradi
Ser. Antonius Tilius
Ser. Antonius Grubse
Ser. Joannes Radomilich
Ser. Ostoia Marinich
Ser. Antonius Camen
Ser. Lucas Stephani
Ser. Marcus Bercouich
Ser. Giuraj Chresulouich
Ser. Dehoe Scemanich
Ser. Christopholus Vidosij
Ser. Marinus Sincouich
Ser. Bogoe Marcouich
Ser. Stipchus Marinich
Ser. Lucas eius filius
Ser. Gabriel Thomasij
Ser. Franciscus Junij
Ser. Stephanus Junij
Ser. Marinus Palete
Ser. Joannes Radetini
Ser. Ciriacus Luxe
Ser. Vidosius Pauli
Ser. Bogdanus Radichij
Ser. Nichsa Marinouich
Ser. Bogdanus Marinich
Ser. Vita Radomilich
Ser. Simonetus Nicole Stephani.

Eadem die in consilio generali Curzule in ecclesia sancti Marci coadunato ad sonum campane, ut moris est, in quo fuerunt consiliarij quinquaginta tres, per omnes nemine discordante, electus fuit vir nobilis ser. Gabriel de Nosdragna de Jadra in comitem Curzule pro uno anno proxime futuro postquam ipse faciet suum debitum juramentum inter nos, qui electus fuit laudatus et confirmatus per magnificum dominum capitaneum prenominatum cum onere et honore, consuetudine et mercede, prout eidem prouidebitur per prefatum dominum capitaneum.

Eodem Millesimo, indictione et die iij. mensis Junij prefatus dominus Gabriel in Dei nomine ac intemerate eius matris Marie et totius curie celestis, ac specialiter beati Marci Evangeliste fecit suum juramentum.

„Ego Bernardinus filius quondam eximij artium et medicine doctoris domini Petri de Guslinis de Feltro, publicus imperiali autho-

ritate notarius et magnifice communitatis Curzule cancellarius ex quodam libro communis, coperto coperta nigra in hanc publicam formam redegi ad perpetuam rei memoriam, quod quidem transumptum bulla ipsius communitatis obsignabitur pro maiori fidei firmamento ad memoriam ut supra."

„Ego Hieronimus Canalis, publicus notarius et ad presens coadjutor cancellarie spectabilis communitatis Curzule suprascriptum instrumentum in presenti libro ex quodam alio instrumento in publicam formam redacto per suprascriptum dominum Bernardinum de Guslinis exemplaui, nil addito, uel diminuto."

II. LITTERA DUCALIS I[a]

in qua de confirmatione statutorum, reformationum et consuetudinum; de electione comitis; de libero Commune; de datio vini Venetijs soluendo, id est medietate datij; de Curzulensibus Venetijs tractandis, sicut alij Dalmatini; de libertate pro usu ciuitatis exonerandi staria cc. frumenti in casu necessitatis; de domo data per Commune ser. Ciriaco per dominium confirmata; de confirmatione Racischiae magistro Joani barbitonsori; de uenientibus habitare Curzulam, quod non possint adstringi pro debito Raguseorum; de suspensione salinarum; de facultate appellandi se in suis causis ad officia Veneta sicut alij Dalmatini.

Thomas Mocenigo, Dei gratia dux Venetiarum etc.

Vniuersis et singulis tam amicis, quam fidelibus presens priuilegium inspecturis pateat euidenter, quod comparentes ad presentiam nostram prudentes viri Ciriacus qm. Luxe et Ioannes qm. Petri Nuncij et Ambasciatores fidelis nostre communitatis Curzule pro parte ipsius communitatis nostre quindecim capitula porrexerunt, supplicantes, ut illa confirmare dignaremur. Nos uero uisis et examinatis dictis capitulis, ad ea responsiones nostras exhibuimus, sicut hic inferius continetur; et primo:

Ad primum capitulum, per quod recommendant communitatem et homines dicte insule Curzule nostro dominio; respondemus, quod quia sumus certissimi, quod ipsa communitas semper erit fidelissima erga honorem et statum nostrum, illam semper habebimus gratiosius recommissam sicut alios nostros subditos et fideles Dalmatinos.

Ad secundum, per quod petunt confirmationem libertatum, statutorum, reformationum et consuetudinum suarum, per eos antiquitus et usque modo usitatarum et similiter de censu comitis, qui est librarum vij. paruorum; respondemus, quod uolentes ostendere nostram humanitatem, et clementiam erga dictam communitatem, ut eius fidelitatis appetitus de bono in melius augeatur, sumus contenti et placet nobis confirmare, sicut in dicto capitulo continetur.

Ad tertium capitulum, per quod petunt vnum comitem de nobilibus Venetis posse eligere secundum antiquam consuetudinem cum salario librarum vij. de sua moneta et habeat introitus possessionum, uinearum et terrarum de seminando per insulam secundum consuetum; respondemus, quod sumus contenti et placet nobis, quod possint eligere vnum comitem de nobilibus nostris Venetis de duobus in duos annos cum conditione, quod ille, qui fuit duobus annis comes dicti loci, non possit eligi usque ad quattuor annos comes ejusdem loci, et debeat esse dictus comes annorum xxv, et abinde supra, qui etiam placere debet nostro dominio.

Ad quartum capitulum, per quod petunt, quod sibi concedamus liberum commune suum, seu bona communia; respondemus, quod sumus contenti et placet nobis sicut in dicto capitulo continetur; non intelligendo in hoc de trigesimo et sale.

Ad quintum, per quod petunt, ut uina sua portanda Venetias non soluant maius datium, quam soluunt Sibenicenses; respondemus, quod sumus contenti, quod soluant illud datium, quod soluunt, uel soluerent Sibenicenses et Spalatini.

Ad sextum, per quod petunt quod in ciuitatibus et locis nostris illi de Curzula tractentur sicut tractantur alii fideles nostri, et specialiter in emendo, uendendo, et mercando; respondemus, quod sperantes, et firme tenentes, quod erunt semper fidelissimi nostro dominio, sumus contenti et placet nobis ipsos tractare, sicut tractamus alios subditos et fideles nostros Dalmatinos.

Ad septimum, per quod petunt, quod dignemur sibi concedere, a nauigantibus Curzulam cum blado si sibi esset magna necessitas, possint exonerare vsque ad staria ducenta frumenti; respondemus, quod sumus contenti de suprascripto capitulo, facientibus ipsis id, quod petunt solum semel in anno et existentibus ipsis in concordio cum mercatoribus, quorum erit dictum frumentum.

Super octauo, per quod petuut, quod facta domus Ciriaci, pro qua sunt obligati, ut patet publico instrumento, ordinent ita, quod damnum non sequantur, cum ipse locus semper fuerit desertus, immundus et inutilis, qui locus semper est nominatus communis; respondemus, quod firmamus dicto Ciriaco dictam domum, que sibi fuit data per commune Curzule, sicut ambasciatores dicte communitatis nobis supplicauerunt.

Ad nonum, ut pro utilitate Raphaelis Angeli et vxoris sue in recuperatione bonorum paternorum et maternorum sibi pertinentium et dotium et specialiter super domibus occupatis per vnum com-

missarium et procuratorem matris dicti Raphaelis; respondemus quod scribemus in eorum fauorem comiti nostro Spaleti sicut nobis uidebitur, ut ministret sibi iuris et iustitie debitum complementum.

Ad decimum, per quod petunt, quod confirmetur magistro Ioanni barbitonsori locus Racischie cum iuribus et pertinentiis suis, prout sibi datum fuit per commune Curzule, et vnus alius planus pro edificando vnam domum, que loca fuerunt sibi data pro solutione sui salarij tam presentis, quam futuri; respondemus, quod confirmamus eidem magistro Ioanni dicta loca, sicut in eodem capitulo continetur.

Ad vndecimum, per quod petunt, quod pro augmentatione et habitatione loci Curzule ualeant debitores uicinorum suorum habitare in Curzula sine grauamine creditorum eorum de Ragusio secundum tenorem statuti sui superinde expressi; respondemus, quod sumus contenti sicut in capitulo continetur, intelligendo solum de debitoribus Raguseorum.

Ad duodecimum, per quod exposuerunt, quod per comitem suum ex commissione Capitanei generalis Culphi aggrauantur officiales trigesimi pro aliqua quantitate salis posita in ciuitate Curzule antequam dictus locus perueniret ad manus nostri dominij, pro quo sale petebat ducatos xx pro cento: respondemus, quod mandabimus comiti nostro Curzule, quod debeat sibi obseruare statuta et conuentiones in facto dicti salis, que sibi permissa fuerunt, quando dictus locus uenit ad manus nostras.

Ad decimum tertium, quod confirmemus certas salinas Angelo et Ioanni fratribus sibi concessas per commune Curzule cum conditione, quod reddere tenerentur decimam communi; et

ad quartumdecimum, per quod petunt, quod quilibet Curzulanus possit facere salinas: respondemus, quod audiuimus omnia contenta in dictis Capitulis; sed quia non habemus aliquam informationem per quam possumus sibi conclusiue respondere de intentione nostra; deliberauimus scribere comiti nostro Curzule, quod ad plenum informet nostrum dominium super omnibus contentis in dictis duobus capitulis, quia habita informatione sua ad plenum prouidebimus circa ea capitula sicut nouerimus opus esse.

Ad quintum decimum, per quod petunt, ut possint se appellare in causis suis sicut alij fideles et subditi nostri; respondemus, quod sumus contenti, et placet nobis, quod possint uenire Venetias et appellare se in causis suis ad illa offitia, sicut faciunt alij subditi et fideles nostri Dalmatini.

In quorum omnium fidem et euidentiam pleniorem presens priuilegium fieri iussimus et nostra bulla plumbea pendente muniri.

Dat. in nostro ducali palatio die xij. mensis Septembris, Indictione xiv. Mccccxx.

III. LITTERA DUCALIS IIª,
in qua de electione et confirmatione comitis ad duos annos.

Franciscus Foscari, Dei gratia dux Venetiarum etc.

Nobili et sapienti viro Hieronymo Georgio de suo mandato comiti et discretis ac prudentibus viris iudicibus et consilio Curzule, fidelibus dilectis salutem et gratiam suam.

Volentes honestis requisitionibus uestris condescendere gratiose, nobilem et sapientem virum Pangratium Georgio per uos electum et per uestras litteras in illius nostre terre comitem supplicibus et instantijs requisitum, harum tenore in eiusdem terre Curzule comitem, uti postulauistis, per duos annos iuxta priuilegiorum uestrorum tenorem et continentiam confirmamus.

Datum in nostro ducali palatio die penultima Aprilis, Indictione prima. Mccccxxiij.

A tergo:

Nobili et sapienti viro Hieronymo Georgio, comiti, ac discretis et prudentibus viris iudicibus et consilio Curzule.

IV. LITTERA DUCALIS IIIa,
in qua de introitu rectoris in regimine; negatur absolutio a trigesimo; statuitur quod Ragusiensis non possit dari in episcopum; negatur extractio lignaminum de Venetijs; conceditur, quod barchae euntes ad portum Dirrachij nihil soluant.

Franciscus Foscari, Dei gratia dux Venetiarum etc.

Nobilibus et sapientibus viris Pangratio Georgio, de suo mandato comiti Curzule et successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Per discretos fideles viros Ciriacum Luxe et Raphaelem Angeli ambasciatores fidelis communitatis nostre Curzule nostro dominio porrecta fuerunt infra scripta capitula, quibus respondimus prout inferius continetur; et primo:

Ad primum capitulum, per quod supplicarunt, ut dignaremur replicare litteras alias per nos scriptas regimini Ragusij super facto debiti, per quod petit communitas Ragusij, quod ipsi fideles nostri asserunt bis persoluisse; respondimus, quod postquam ipsi Ragusij nihil eis dicunt, nobis non uidetur de aliquid scribendo; nam si

aliquid per nos scriberetur, esset dare causam eis commouendi materiam predictam.

Ad secundum autem, per quod supplicarunt replicare quamdam litteram per nos alias scriptam comiti nostro Spaleti super debito alias sententiato per locum tenentem regis Hungarie; respondimus, quod eramus contenti iuxta requisitionem suam eis complacere et facere dictas litteras replicare.

Ad tertium uero, per quod supplicarunt, quod cum affictauerint introitus dicte communitatis et tempus affictationis finiat de mense Decembri, dignaremur prouidere, quod comites sui de cetero intrare deberent in regimine a mense Decembri usque ad principium Martij, et sic iniungeretur in eorum commissionibus. Nam si aliter fieret, precessori illius, qui ante intraret in regimine, non posset solui de suo salario nisi per collectam ipsis nostris subditis imponendam cum maximo eorum grauamine: respondimus, quod sumus contenti, quod comes, quem rite elegerunt, faciat introitum suum in regimine die septima mensis Decembris proximi. Sed ordinabimus, et sic iniungemus in commissionibus comitum de cetero eligendorum, quod intrare debeant in regimine a mense Decembri usque ad principium mensis Martij, et si quis differet, tanto minus stet in regimine, ita quod successor suus intret ad dictum terminum.

Ad quartum autem, per quod supplicarunt, ut dignemur eis dimittere datium trentesimi per annos tres, ut ualeant construi facere quandam cisternam extra muros; respondimus, quod, ut eis clare constat, de terris Dalmatiae sustinemus magnam expensam, et nos oportet mittere omni anno ad dictas partes magnam summam denariorum, ob quod non uidemus posse eis complacere in hoc.

Ad quintum, per quod suplicarunt, ut dignemur in facto electionis obseruare eorum consuetudines et non aggrauare eos in dando eis aliquem Ragusiensem in episcopum; respondimus, quod ille frater Nicolaus, quem eis dedimus in episcopum, licet natione sit Ragusiensis, propter eius opera reputari debet proprius Venetus et non dubitamus, quod ipsos optime reget; et nihilominus si per tempora eos non bene tractaret, ipsi semper habere poterunt ad nos recursum et nos prouidebimus superinde.

Ad sextum uero, per quod supplicarunt, ut dignaremur de gratia speciali eis concedere, quod per quattuor, aut per quinque annos possent extrahere de Venetijs lignamina pro ualore ducatorum 50 in anno, sine aliquo datio, pro fabrica et ornamento ciuitatis Curzule; respondimus, quod uellemus in cunctis possibilibus eis com-

placere; sed stantibus legibus nostris requisitionibus suis assentire non possumus.

Ad septimum, per quod supplicarunt, ut dignaremur mandare, quod auditores nostri noui sententiarum obseruare debeant eorum statuta: respondimus, quod sumus contenti dictum preceptum facere iuxta eorum requisitionem.

Ad octauum et ultimum, per quod supplicarunt, ut dignaremur mandare Baylo nostro Dirrachij, qui, ut asserunt, a certo tempore citra uult infringere certas eorum immunitates, quas solite erant habere barche sue euntes ad portum Dirrachij que nihil soluere consueuerant et uult adstringere eas ad soluendum; respondimus, quod mandabimus Baylo nostro predicto Dirrachij, ut eis obseruare debeat eorum consuetudines et immunitates et eos non astringere contra illas ad soluendum, nec eis ullo modo aliquid innouare.

Quare mandamus Vobis, quatenus suprascriptas nostras responsiones, in quantum ad Vos attinet, eis obseruare et obseruari facere debeatis.

Datum in nostro ducali palatio die xxiij. mensis Julij, indictione iij. Ai. Mccccxxv.

A tergo:

Nobilibus et sapientibus viris Pangratio Georgio, comiti Curzule et successoribus suis.

V. LITTERA DUCALIS IV[a],
in qua de ecclesia et vineis ser. Joannis in Lumbarda, quod ter in hebdomada celebretur missa in dicta ecclesia.

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum etc.

Nobilibus et sapientibus viris Pangratio Georgio de suo mandato comiti Curzulae et successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Recepimus uestras litteras, per quas hortamini, quod quaedam ecclesia tituli sancti Joannis iuxta casale nominatum Lumbarda illius insulae, quae dudum fuit monasterium, eius redditus diuiditur inter saeculares, reducatur in terminum, ut est iustum, quod tales eius redditus in ipsam ecclesiam reuertantur, et quod ipsa ecclesia et locus iste deueniat in manus alicuius presbyteri boni, qui diuina ibidem celebret et in culmen illam teneat, qui teneatur missam in eadem saltem diebus tribus in hebdomada celebrare, et de dictis redditibus eamdem tenere de tempore in tempus in augumento et bono culmine et eorum residuum remaneat presbytero praelibato

pro uictu suo; et quoniam quemdam D. Junium, filium Joannis Petri tamquam ad hoc idoneum recomendatis nobis per uestras litteras, nos adhibentes fidem indubiam iis, quae nobis de ipso de sufficientia et de fidelitate sua scripsistis, contenti sumus et uolumus, quod si est de libertate nostri dominij, uel uestri regiminis prouidere super materia suprascripta, prouideatis et nunc de tempore in tempus superinde, prout fuerit expediens, atque debitum pro honore Dei et conseruatione ecclesiae praelibate, praeficiendo praefatum D. Junium eidem ecclesiae, quem, ut superius est dictum, multipliciter commendastis.

Datum in nostro ducali palatio die primo mensis Octobris, indictione iv. Mccccxxv.

A tergo:

Nobilibus et sapientibus viris Pangratio Georgio comiti Curzolae et successoribus suis.

VI. LITTERA DUCALIS V^a^,

in qua de terris datis comitibus ad seminandum non plantandis; de confirmatione statutorum.

Franciscus Foscari Dei gratia dux Venetiarum etc.

Nobilibus et sapientibus viris Pangratio Georgio, de suo mandato comiti Curzulae et successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Significamus uobis, quod in nostris consilijs Rogatorum et additionis 1430, die xi. Julij capta fuit pars infra scripti tenoris uidelicet.

Cum uenerit ad praesentiam nostri dominij egregius uir Marinus Joannis Xilcouich ambasciator communitatis Curzulae, grauans et conquerens se nostro dominio, quod comes Curzulae praeteritus et iste praesens, aliquas terras comitatus, quas commune Curzulae dat comitibus ad seminandum tantum et dicti comites dederunt ad plantandum contra suas consuetudines, statuta, roformationes et promissiones nostri dominij eisdem cum nostris consilijs concessas; quae res inducit in tota illa insula scandalum, dissensionem et nouitatem; uadit pars, quod respondeatur ambasciatori praedicto, quod id, quod factum fuerit in dando campos seminandi ad plantandum per dictos comites praeteritum et praesentem, uolumus omnino esse irritum et nullius ualoris, et mandabimus comiti Curzulae praesenti et successori, quod ipsis obseruare debeant consuetudines, statuta, reformationes et promissiones suas, nec contra eas aliquid innouari

ullo modo, quoniam nostrae intentionis est, quod id, quod eis promissum est, debeat inuiolabiliter obseruari.

Ad aliud capitulum, per quod illa communitas petit Ciriacum ciuem suum trahi de banno ei dato per comitem; respondeatur, quod hoc fieri non potest hoc ordine, sed potest formare supplicationem et cum nostris consilijs faciemus eis sicut iustum nobis uidebitur.

Ad aliud, per quod petunt, quod faciamus annullare poenam obligationis, quam alias fecerunt dño Vidossio de ducatis mille in ciuitate Spaleti, tempore, quo Spaletum et Curzulenses non erant sub nostro dominio in facto, quod soluerunt capitale: respondemus, quod sumus contenti eis in hoc complacere et mandare comiti nostro Spaleti, quod postquam capitale obligatum solutum est, a poena talis obligationis totaliter absoluantur, et charta libera consignetur in suis manibus, considerato, quod talis poena et obligatio non fuit contracta sub nostro dominio.

Quare mandamus uobis cum dicto consilio nostro quatenus responsiones nostras suprascriptas et omnia contenta in eis, in quantum ad uos attinet, obseruetis et faciatis inuiolabiliter obseruare, facientes has nostras litteras in actis cancellariae uestrae deinde ad futuram uestrorum memoriam registrari et registratas ipsi communitati consignari.

Datum in nostro ducali palatio die xiij. Julij, indictione vi. Mccccxxx.

A tergo:

Nobilibus et sapientibus uiris Pangratio Georgio comiti Curzulae et suis successoribus.

VII. PARS IN ROGATIS CAPTA

contra rectores, officiales etc. furantes da bonis communis.

Mccccxxx. Primo Julij. In libro xxix.

Quia sunt multa et diuersa consilia tam in capitulis consiliariorum capitum de xl, quam aduocatorum communis condita super officialibus, rectoribus, uel ambasciatoribus tam intus, quam extra, furantibus de hauere communis, uel aliter ab aliis accipientibus contra commissiones et capitularia sua, quae consilia propter uarietatem et diuersitatem suam continuo inducunt confusionem factis nostris et necessario pro habenda regula super hoc oporteat ipsa consilia reformari: uadit pars, quod omnia praedicta consilia, mentionem facientia de ponentibus manum, uel furantibus de bonis et hauere communis, uel de accipientibus ab aliis contra formam suorum ca-

pitulariorum uel commissionum, annichilentur, corrigantur et reformentur in hunc modum; uidelicet: quod omnes officiales, rectores, ambasciatores, prouisores uel alij quocumque nomine nuncupentur tam intus, quam extra, qui de cetero conuicti fuerint per aduocatores communis, quod furati fuerint de bonis et hauere communis libras 50 ad grossum uel inde supra aut acceperint ab aliis contra commissiones, uel capitularia sua libras 500 ad grossos, uel inde supra modo aliquo uel ingenio, intelligantur ex nunc cecidisse ad soluendum capitale, et tantumdem pro poena, usque ad tres dies postquam fuerint conuicti sub poena solidorum quinque pro libra tam capitalis, quam poenae, quae poena diuidatur per medium, uidelicet medietas sit aduocatoris et medietas communis; et si fuerit accusator, poena diuidatur per tertium et sit de credentia et ultra hoc sint perpetuo priuati omnibus offitijs, regiminibus, consilijs et beneficijs communis Venetiarum tam intus, quam extra et cridentur in pleno maiori consilio de festo solemni cridato, uel in quo fiant de 12. regiminibus per unum ex aduocatoribus communis. Verum si praedicti furantes de bonis communis, uel aliter ab alijs accipientes contra commissiones, uel capitularia sua, uolent restituere, et restituent usque ad tres dies postquam fuerint requisiti ab aduocatoribus non permittendo se conuinci, sed confitendo se furatos fuisse de bonis communis, uel aliter accepisse, uel ab alijs contra commissiones suas, tunc teneantur soluere capitale et medietatem plus pro poena, quae diuidatur ut supra, et ultra hoc sint perpetuo priuati offitio, uel regimine, ubi commisissent delictum et cridentur etiam in maiori consilio ut dictum est. Si uero prodicti conuicti fuerint furatos fuisse a libris 50 infra de bonis communis uel ab alijs accepisse contra capitularia et commissiones suas et libras centum ad grossos, tunc praedicti incurrant ad soluendum capitale et medietatem plus pro poena ad dictum terminum et sub dicta poena, quae diuidatur ut supra et ultra hoc sint perpetuo priuati offitio, uel regimine, ubi commisissent delictum et publicentur in maiori consilio per aduocatores communis ut dictum est, et si uolent restituere et restituent, uel soluere et soluent usque ad tres dies postquam fuerint requisiti ab aduocatoribus, non permittendo se conuinci, sed confitendo, se furatos fuisse de bonis communis a libris 50 infra ad grossos, uel ab alijs aliter accepisse a libris centum infra ad grossos, tunc ad dictum terminum et sub dicta poena teneantur soluere capitale et tertium plus pro poena, quae diuidatur ut supra et ultra hoc priuentur offitio, uel regimine, ubi com-

misissent delictum. Verum si aliqui rectores, ambasciatores, prouisores, uel alij ut dictum est, scriberent in suis rationibus, uel quaternis aliquas expensas, uel alias res, quas offitium nouum diceret non potuisse poni, tunc ordinetur, quod hoc non habeatur pro furto, sed ueniant ad idem D. consilium capitum de 40, et offitium nouum et aduocatores communis, ubi terminetur, si dictae expensae erunt bene positae, uel non, sicut modo seruatur et sicut continetur in capitulari in hac parte. Verum quia ubi abest fraus et manifesta malitia, non debet tanta poena imponi, ex nunc declaretur, quod si aliqui rectores, offitiales, uel alij, ut dictum est, uigore alicuius sententiae, determinationis, uel alterius actus iudiciarij, aut uigore alicuius publice consuetudinis aliquid acciperent, uel darent contra id, quod deberent, quod forte crederent, posse libere accipere, uel dare, in his casibus non cadant ad dictas poenas furantium, et malo modo accipientium, sed seruetur illud, quod seruatur hodie, uidelicet: quod si uoluerint restituere, quod indebite acceperint, infra tres dies restituant ipsum sine alia poena, si autem se duci et conuinci permiserint ad consilia, cadant in dictam poenam dupli, quae diuidatur, sicut diuiditur hodie, et de omnibus dictis poenis et capitalibus non possit principalibus contrafacientibus fieri gratia, donum, remissio, aut reuocatio, uel termini elongatio sub poena ducatorum quingentorum pro quolibet ponente, uel consentiente partem in contrarium. Et pro inquirendis melius predictis possint aduocatores communis imponere poenam et poenas et personas ad sacramentum et detinere incarceratos si opus fuerit pro habenda satisfactione predictorum, et uendere mobilia et stabilia principalium debitorum usque ad integram solutionem praedictorum et etiam suorum plegiorum usque ad integram solutionem capitalis tantum; ad quod capitale dicti plegij solummodo teneantur; quibus plegijs etiam non possit fieri gratia, donum, remissio, reuocatio, uel termini elongatio de dicto capitali sub dicta poena imposita pro principalibus; intelligendo, quod si aliquis popularis committeret contra praedicta, quod incurrat ad dictas poenas; saluo quod ubi datur poena nobilibus essendi priuatos offitijs, beneficijs, consilijs, regiminibus communis Venetiarum, detur eis poena, quod nunquam possint uenire in insula, nec morari et recipi sub poena librarum centum pro quolibet contrafaciente et qualibet uice, quae exigatur per aduocatores habendo partem, ut de alijs sui offitij, et si fuerit accusator, habeat tertium et sit de credentia, offitium tertium et commune reliquum; et teneantur capita de 40. singulis

duobus mensibus sub poena librarum 25 pro quolibet in festo solemni facere legi hanc partem in maiori consilio, quae poena exigatur ab capitibus per aduocatores habendo partem, ut de alijs sui offitij; et addantur praedicta in commissionibus et capitularibus omnium offitialium, rectorum, ambasciatorum intus et extra.

VIII. DONATIO RACISCHIAE

magistro Joanni barberio cum exemptionibus et conditionibus in ea expressis.

Ego Petrus de Marzalotijs dux. nob. etc.

In Christi nomine Amen. Anno natuitatis eiusdem millesimo quadringentesimo trigesimo primo, indictione nona et die penultimo mensis Maij.

Spectabilis et egregius vir dominus Pangratius Georgio pro serenissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum honorandus comes Curzulae simul cum suis iudicibus nobilibus viris ser. Ioanne Petri, ser. Angelo Obradi et ser. Marco Michulich, honorandis iudicibus dictae ciuitatis, nec non nobilibus infrascriptis per ipsos predictos ad hoc specialiter uocatis et habitis: ser. Joanne Radetini, ser. Joanne Xilchouich, ser. Stanco Obradi, ser. Stoiano Joannis, ser. Vita Radmilich, ser. Vidossio Pauli, ser. Marino Joannis, ser. Marino Michaelis, ser. Joanne Angeli, ser Antonio Lucae, ser. Forte Antonii, ser. Simeone Nicholich, ser. Stephano Junii, ser. Frane Junii, ser. Luxa Stephani, ser. Christoforo Vidossii, ser. Francisco Obradi, ser. Simeone Michulich, ser. Rapcho Michullich, ser. Theodato Nicholich, ser. Marino Paparcich et ser. Marino Angeli et alijs pluribus nobilibus simul congregatis in logia antedictae Curzulae, habito intra se maturo consilio, solemni deliberatione praenominati omnes nomine et uice totius communitatis et vniuersitatis Curzulae, uigore potestatis et arbitrii in hac parte sibi concessi a generali consilio Curzulae, uti patet parte capta in isto consilio in Mccccxxx., indictione viij. die ix. mensis Maij parte ex una; et magister Joannes Luithecich barbitonsor et ciroichus ibi conuocatus ex alia; partes ipsae se ad inuicem conuenientes solemni stipulatione, pacta, conuentiones et capitula haec infrascripta solemniter contraxerunt, fecerunt et firmauerunt in hunc modum, uidelicet: quod dictus magister Joannes per se, suosque heredes promisit et se obligauit praenominatis dominis comiti, iudicibus et nobilibus stipulantibus et recipientibus nomine et uice communis et vniuersitatis Curzulae toto tempore eius uitae stare,

commorari et habitare in Curzula, ibique eius artem cirusiae et barberiae continuo exercere et ibi tenere pro omnibus indigentibus et pretio mercedis pecuniae seruire et subuenire iuxta eius possibilitatem et scientiam, siue notitiam; ob hoc dicti uero domini comes, iudices et nobiles nominibus et uice totius consilii et vniuersitatis Curzulae bona, praerogatiuas et capitula eidem magistro Joanni perpetuo seruanda concesserunt infrascripta:

Summo semper studio continuis temporibus sapientissimi progenitores nostri huic in primis rei super ceteras omnes inuigilarunt, quod nauigatio non solum conseruaretur, uerum etiam augeretur, cum ex ea et initium haec ciuitas sumpserit et in dies creuerit ad id, in quo constituta per dei clementiam reperitur. Haec autem nauigatio ab aliquibus annis citra plurimum defecisse uidetur et in dies magis deficit; cuius rei causa potissima est multiplicatio nauigiorum forensciorum et Raguseorum praesertim, qui illorum ingentem numerum nuperrime fabricarunt et quotidie adhuc fabricant ob commoditatem, quam habent tam lignaminum et ferramentorum, quam nautarum cum maximo incommodo et iactura huius ciuitatis nostrae, tum ob amissionem utilitatum exinde sequentium, tum etiam ob defectum huiusmodi nauigationis peritorum: quibus cessantibus utilitatibus subtrahitur modus et uoluntas dicti exercitij.

Idcirco uadit pars, quod de cetero post exactum mensem Nouembris proximi futuri omnia nauigia Raguseorum, siue nauigata per Raguseos, aut fabricata in aliquo loco Raguseorum, quae in aliqua ciuitatum, terrarum et locorum nostrorum ubilibet constitutorum se contulerint, soluere teneantur pro anchoragio ducatos centum auri pro quolibet et qualibet uice, exigendo per rectores illarum ciuitatum et locorum, ad quae iuerint; et praeterea omnia frumenta, quae super dictis nauigijs conducta fuisent, soluere teneantur soldos uiginti pro quoquo stario; et omnia olea ducatos quinque pro quolibet milliari ultra omnia alia datia debita et consueta. Reliquae uero merces et res ut supra conductae, soluant uiginti pro centenario duplum ultra omnia alia datia et certa, ad quae in presenti sunt obligatae, quae omnes pecuniae exigantur a rectoribus suprascriptis. Nauigia autem omnia suprascripta, quae in hanc ciuitatem nostram

quoquo modo uenerint, soluere teneantur anchoragium praedictum officio prouisorum nostrorum communi, quod conuertatur in solutionem cursorum nostrorum et in aliqua alia re dispensari non possint ullo pacto; soldos quoque uiginti pro quoquo stario frumenti, officio nostro bladorum et ducatos quinque officio ternariae pro quolibet milliari olei; et pro reliquis rebus et mercibus uiginti pro centenario ultra datia consueta ut superius dictum est.

Nec possit praesens pars reuocari, suspendi, declarari, aut aliter interpretari, nec poni de suspendendis poenis, nec per collegium bladorum, nec aliter, nisi per sex consiliarios, tria capita quadraginta et quattuor quinta huius consilij congregati supra centum uiginti, sub poena ducatorum MM auri cuilibet ponenti, uel consentienti in contrarium exigenda per aduocatores sine alio consilio; de qua fieri non possit aliquod donum, gratia, remissio, aut recompensatio sub eadem poena: et publicari debeat praesens pars in hac urbe nostra in locis solitis ad omnium notitiam; mittaturque ad omnes rectores nostros a parte maris et ponatur de cetero in eorum commisionibus et in incantibus datiorum nostrorum posthac incantandorum, quae incantari debeant cum hac conditione.

XXXVII. LITTERA DUCALIS XXIIJ[a]

continens quinque capitula pro parte nobilium cum suis responsionibus, uidelicet: de bladis quaesitis, et non obtentis, de denarijs xxx et xl pro centenario concessis pro reparatione et fortificatione moenium; de arsilibus pro facienda purpurella; de Curzulanis factis ciuibus Venetis de intus tantum; de concessione bombardarum.

Joannes Mocenico, Dei gratia dux Venetiarum etc.

Nobilibus et sapientibus viris Bernardo de Canali de suo mandato comiti Curzulae et successoribus suis fidelibus dilectis salutem et dilectionis affectum.

Adeuntes praesentiam nostri dominij nobiles fideles nostri Gregorius de Gabriellis et Nicolaus de Obradis oratores istius fidelissimae et carissimae communitatis nostrae, expositis nobis multis optime gestis et benemeritis istius fidelissimae communitatis et precipue, quando nouiter classis hostilis istuc se contulit; quo tempore apertissima edidere documenta integritatis, fidei et deuotionis sincerissimae in nos et statum nostrum, porrexere nobis infrascripta capitula, quibus per consilium nostrum Rogatorum respondimus quem ad modum subtus unumquodque ipsorum per singulas responsiones nostras intuebimini. Quorum quidem capitulorum tenor est infrascriptus.

Primo supplicamo et dimandamo de gratia alla sublimità vostra, cum sit, che uniuersalmente si li populi della terra, come li cittadini per l'estreme calamitade e miserie patide serà forza, si vostra sublimità non li prouede, abandonar la terra et isola in gran periculo per el tempo futuro; pertanto si domandano de gratia à vostra celsitudine stara doa millia Venetiani de biaue, da esser dispensate alli miseri cum pagamento al tempo del ricolto cum quel termene parerà alla vostra celsitudine.

Ad primum respondeatur, quod cupientes ob fidem, deuotionem et merita illius fidelissimae communitatis nostrae erga nos et statum nostrum, omnia commoda et beneficia sua libenter ei complaceremus; sed quoniam in praesentiarum non reperimur in illa commoditate bladorum, quam uellemus, taedet nos non posse pro nunc satisfacere eorum petitioni; sed bene contenti sumus eis prestare omnem commoditatem, quod ab illis locis, unde maluerint, conduci faciant blada, et sibi prouideant, sicuti eis melius uidebitur.

Secundo. Item per esser la maggor parte delle mure della terra marze et debilissime, adeo che acadendo fosse bombarda, ogni piccol bombardella quella ruinaria: pertanto supplicamo de gratia special a vostra serenità sia prouisto al fortificar quelle, acciò occorrendi el besogno, i uostri fedelissimi approbati non periscano.

Ad secundum respondeatur, contentos esse pro reparatione et fortificatione moenium illius ciuitatis ei concedere pecunias triginta et quadraginta pro centenario regiminis et cancellariae ipsius ciuitatis Curzulae pro uno regimine tantum, et hoc post solutas obligationes iam factas super eis, cum quibus perfici possit reparatio et fortificatio praedicta: de qua quidem pecuniarum exbursatione teneri debeat per rectorem nostrum, qui per tempore illic reperietur, particulare, distinctum, et ordinatum computum, nec expendi possint in aliqua alia re, quam in reparatione et fortificatione praedicta sub omnibus poenis, contentis in parte furantium.

Tertio. Item supplicamo de gratia a vostra sublimità, ne sia concessi tanti arsilij refudati, quanti parerà alla vostra serenità per far la purpurella intorno la terra, la qual per la esperientia fatta et approbata ne è sta utilissima.

Ad tertium respondetur, contentos esse concedere, quantum petunt; et ordinabimus patronis nostris arsenatus, quod eis prouideant de praedictis arsilibus, prout fuerit opportunum et prout de summa deliberabitur per hoc consilium.

*

Quarto. Item domandamo de gratia special alli piedi di vostra sublimità, che auendo i vostri fidelissimi Curzulani mostra la uerilissima fede si nell'anno passato, comme nel presente per onor della vostra illustrissima signoria, acciò se possiamo nui Curzulani uanagloriar et esser chiamati Veneziani et fatti cittadini de Venezia per gloria et perpetua memoria delli nostri descendenti possamo usufruttuar et auer el beneficio hanno li cittadini dalla vostra sublimità; et questo dimandemo per li gentilomeni et cittadini, che all'ora se attrouareno in la terra de Curzula.

Ad quartum respondetur, quod sic requirentibus fide et meritis suis, sumus contenti et concedimus, quod nobiles consilij sui et quicumque alij ciues habitantes Curzulae sint ciues nostri Veneti de intus tantum et gaudeant quocumque beneficio, quo gaudent et fruuntur alij ciues nostri Veneti de intus.

Quinto. Item domandamo a vostra celsitudine lo resto delle bombarde, le quel restano segondo la parte presa l'anno passato.

Ad quintum et ultimum, quod dari eis faciemus libentur quantum petunt.

Quare authoritate suprascripti consilij nostri Rogatorum uobis mandamus, ut suprascripta capitula iuxta responsiones nostras obseruare et obseruari facere inuiolabiliter debeatis.

Has autem ad successorum memoriam registrari facite et praesentanti restitui.

Datum in nostro ducali palatio die xxix. Martij, indictione iij. Mcccclxxxv.

A tergo:

Nobilibus et sapientibus viris Bernardo de Canali, comiti Curzulae et successoribus suis.

XXXVIII. DECISIO COMITIS,

qua statuitur, quod debitores, uel creditores communis non possint aliquod incantum emere.

Die x. Maij Mcccclxxxv.

Magnificus et generosus dominus Bernardus de Canali, dignissimus comes Curzulae, sedens ad suum iuris banchum cum suis iudicibus, uisis litteris ducalibus et priuilegijs istius communitatis, concessis ipsi comunitati et uolentibus et mandantibus, quod denarij de triginta et quadraginta pro centenario expendantur in fabrica et necesse sit multoties facere expensas opportunas et necessarias pro utilitate communitatis et multoties non sint denarij in camera; et

hoc emanat, quod multi, qui sunt creditores communitatis, ponunt manum super denarios communitatis, uidelicet datiorum, in detrimentum communitatis et rerum necessariarum et importantium ipsius communitatis: ideo ut superinde prouideatur, ut denarij communitatis et alij denarij deputati uadant, quo sunt deputati, per definitiuam sententiam terminando sententiauit, quod de cetero quicumque, qui fuerit debitor communitatis non possit leuare ad publicum incantum aliquod datium communitatis; sed si aliquis leuaret ad publicum incantum, uel alio modo per alium leuare fecisset, quod dictum datium de facto iterum deliberetur ad publicum incantum ad damnum et interesse dicti debitoris leuantis et quod etiam aliquis datiarius, qui esset creditor communitatis, non possit facere scontare suum creditum in datio communitatis, sed teneatur soluere ad terminum datium suum iuxta formam incantus et deliberationis, et hoc toties quoties sub poena damnorum et expensarum et interesse.

Testes: ser. Andreas Voletich; ser. Antonius Paridis; Gregorius plazarius.

In libro ultimo sententiarum praedicti magnifici domini comitis.

XXXIX. DECISIO COMITIS,
qua statuitur, quod oleum et grassina per tres dies a mercatoribus vendatur eo pretio, quo fuit empta.

Mcccclxxxv.

Audito ser. Francisco Dragazich, petente nomine suo et nomine omnium ciuitatis et insulae ciuium et popularium astante populi multitudine exponente, cum sit quod magister Joannes Grassus heri emerit in portu Curzulae unam buttam olei et illud conduxerit in domum suam et de illo non uult alicui uendere eo pretio, quo emit, uolentibus emere et nullum fecerit proclama per ciuitatem iuxta consuetudinem iam diu obseruatam, quod illi, qui de illo oleo uolunt emere eo pretio, quo emit, ueniant ad emendum in termino dierum trium proxime subsequuturorum iuxta consuetudinem, ut supra, petente sententiari debere praedictum Joannem Zangrassum et alios in futurum empturos tam oleum, quam grassam et blada cuiuscumque sortis iuxta solitum: et audito dicto magistro Joanne Zangrasso dicente et se tuente et respondente, quod dictum oleum emit et exbursauit suos denarios causa lucrandi, ut possit soluere datia communis, quae habet super se; et quod hoc non est consuetum, nec honestati consonum, quod sit famulus aliorum de bando et

quod perdat expensas dicta de causa factas; et quod tensetur sibi lucrum honestum pro eius labore, quod est contentus dare unicuique; et quod si fiet aliter, dabitur materies unicuique, non emat aliquid in portu a forensibus in portu applicantibus pro bono et utilitate ciuitatis, quod erit in maximo detrimento totius populi Curzulae, quae ciuitas sine huiusmodi bazariotis stare non potest: examinatis superinde testibus infrascriptis uidelicet ser. Jacomello Antonij, ser. Jacobo Marini, ser. Nicolao Jurich, ser. Nicolao Palmotta, habitatoribus Curzulae, ser. Antonio Marsich et Radiuoia Ruiar iuramento suo testificantibus, fuisse et esse consuetudinem, quod quicumque emat blada, grassinam in portu pro uendendo Curzulae, quod fiat fieri strida per ciuitatem, qui uellet emere de dicta re empta eo pretio, qui emit, debeat uenire in termino dierum trium proxime subsequuturorum, et qui ueniunt in dicto termino, emunt et emere possunt pro usu suo eo pretio quo emit ille mercator, qui uenit in portu; transactis uero diebus tribus ponitur honesto pretio, quo mercator possit aliquid lucrari: uisis uidendis et consideratis merito in hac causa considerandis, magnificus et generosus dominus Bernardus de Canali pro illustrissimo ducali dominio Venetiarum ciuitatis Curzulae comes dignissimus, uolens prouideri et superinde terminari, ne in futurum oriatur aliqua discordia, per sententiam difinitiuam terminando sententiauit, quod de cetero, quicumque emit grassinam et blada cuiuscunque sortis pro uendendo in ciuitate, teneatur facere fieri stridam per ciuitatem, quod quicumque uult emere eo pretio, quo emit, debeat uenire ad emendum in termino dierum trium, proxime subsequuturorum et sic uendere teneatur omnibus uolentibus emere, saltem unum siculum olei pro usu suo cum salario de soldis quinque pro quaque quarta uendita, uidelicet medietatem lucri, quod dari solet uendentibus et sic ad ratam de omnibus alijs rebus emptis in portu pro uendendo, et hoc extracto capitali et expensis; et si aliquis uellet emere in portu, antequam portarent tales res emptas in ciuitate, possit emere et mercator teneatur uendere saltem siculum olei et de alijs rebus ad ratam absque aliqua utilitate mercatoris, uidelicet sine salario aliquo; et si aliquis ad cautelam sequeretur aliquod nauigium oneratum alicuius rei uenalis, quod applicuisset in portu et emeret extra portum, uidelicet ad Pontam, uel alio loco et conduceret ad ciuitatem, teneatur facere stridam et uendere, ut supra narratum et declaratum et sententiatum est.

Item quod Joannes Zangrassus teneatur, ut supradictum est uendere sub poena cuique contrafacienti iperperi unius, diuidenda inter accusatorem et comunitatem; cum hoc, quod mercator possit dare iuramento unicuique ementi siculum aut partem olei et alterius rei, si uult pro usu suo et familiae suae.

Et sic sententiatum fuit ut supra.

XL. DECISIO COMITIS
de animalibus non tenendis prope casalia.

Laus Deo. Mcccclxxxv. Die xxiij. Junij.

Magnificus et generosus dominus Lodouicus Barbadico pro illustrissimo ducali dominio Venetiarum ciuitatis Curzulae comes dignissimus, sedens ad suum iuris banchum cum suis iudicibus, audito ser. Francisco de Franciscis et quam pluribus alijs nobilibus et ciuibus exponentibus multos pastores casalium pasculari eorum animalia in casalibus in graui damno quam plurimarum personarum tam in hortis, bladis, uineis et alijs nascentibus in casalibus fructibus, quam etiam in aquis potaturis ab hominibus casalis, contra formam legis in statuto nouo ad chartas xvij et ad chartas xxx; petentibus superinde terminari ac sententiari debere per sententiam definitiuam prohibitiuam cum poena aliqua non in futurum pasculent in casalibus.

Auditis pluribus pastoribus et ser. Nicolao Obradi tamquam aduocato ipsorum pastorum, contradicentibus et dicentibus posse pasculari, et hoc esse consuetum: visa dicta lege, per sententiam definitiuam terminando sententiauit, quod amodo in antea nullus pastor et conductor mandrae aliquo modo possit pasculare animalia minuta, neque tenta in casalibus, neque prope casale aliquod per medium milliare, sub poena iperperorum decem pro quolibet et qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat medietatem poenae.

Testes: ser. Andreas Voletich, ser. Antonius Bernarouich.

In libro primo sententiarum civilium.

XLI. DECISIO COMITIS,
qua statuitur, quod pistores, siue mares, siue feminae, debeant uendere panem ad mensuram, in taxa deputatam.

Die xvj. Augusti. Mcccclxxxv.

Magnificus et generosus dominus Aloysius Barbadico, pro illustrissimo ducali dominio Venetiarum ciuitatis Curzulae comes dignissimus sedens ad suum iuris banchum cum suis iudicibus, sententialiter

terminauit, quod de caetero quilibet, uendens panem, debeat facere et uendere ad mensuram, siue ad pensum in taxa superinde deputatam et scriptam, sub poena cuilibet contrafacienti pro quoquo et quaqua et qualibet uice iperperi unius et amittendi totum panem, qui non esset ad pensum; et qui, uel quae non habuerint unde soluere poenam praedictam iperperi unius, statim frustetur circumcirca ciuitatem una uice, et quilibet possit accusare.

Testes: ser. Gregorius Gabriellis; ser. Antonius Paridis, ser. Antonius quondam ser. Angeli.

XLII. DECISIO COMITIS
de pretio carnium.

Die x. Aprilis Mcccclxxxvj.

Cum pluries coram magnifico et generoso domino Aloysio Barbadico pro illustrissimo et excellentisimo ducali dominio Venetiarum dignissimo comite Curzulae lis et differentia uerteretur, quod per statuta Curzulae non sit declaratum circa pretium omnium carnium et nemo inueniretur, qui emeret animalia et illa ad Curzulae macellum, uel beccharium conduceret: id circo eius magnificentia prouidere decreuit sedens sub logia ad marinam cum ser. Jacobo Marini iudice suo ad preces multorum nobilium et ciuium declarauit pretium omnium carnium, ut mercatores causam habeant conducendi animalia ad beccharium nostram et omnes, qui uellent conducere et uendere carnes, in hunc modum; uidelicet libram unam paruulis duodecim carnis castroni castrati; item vitulos similiter, qui erunt a lacte et non alios, paruulis duodecim; item castroni, uel montoni non castrati paruulis decem et similiter carnes bouinas castratas et carues bechinae castratae similiter ad pretium paruulorum decem, pecudesque similiter; item capras et becchinas carnes non castratas et uaccas magras ad rationem paruulorum octo pro qualibet libra. Porcinae autem carnes sint in libertate magnifici domini comitis, non praeiudicando, si spectabile consilium Curzulae uellet facere aliquam prouisionem quem ad modum illi melius uidebitur; et sic declarando eius magnificentia per sententiam terminauit: si aliquis contrafaceret, cadat ad poenam iperperorum quinque pro quolibet et qualibet uice.

Testes: ser. Nicolaus Obradi; ser. Nicolaus de Forte; ser. Andreas Voletich; ser. Joannes Zoretich.

Antonius q. domini Paridis vicecancellarius mandato subscripsi.

XLIII. DECISIO COMITIS,
qua statuitur, quod iudices non possint aduocare, uel procurare, saluo et reseruato pro pastore suo.

Die Sabbathi primo Julij Mcccclxxxvj.

Magnificus et generosus dominus Aloysius Barbadico, dignissimus comes Curzulae, sedens ad suum iuris banchum sub imagine ante logiam terminando sententiauit, quod aliquis ex iudicibus maioribus amodo in antea non possit esse aduocatus, siue procurator alicuius personae in iudicio coram eius magnificentia, uel successoribus suis; et si procuraret, uel aduocaret, quod sit priuatus de offitio suo iudicatus et perdat salarium suum, quod uadat in commune; et hoc attento, quod multi sunt, qui sequuntur stylum: saluo et reseruato pro pastore suo. Intelligendo et iudices minores sint in eodem casu et conditione.

Lata, data et publicata fuit suprascripta sententia per antedictum magnificum dominum comitem et lecta per me Antonium quondam domini Paridis vicecancellarium sub die suprascripto, presentibus ser. Andrea Voletich; ser. Antonio Bernarouich et quam pluribus alijs.

XLIV. DECISIO CAPITANEI GENERALIS MARIS
de trireme armanda, cuius causa annullantur omnes exemptiones, excepta exemptione Jacobi Thomasij.

Mcccclxxxvij. Die xxv. Aprilis in triremi apud Curzulam.

Intellecta per magnificum et clarissimum dominum Franciscum de Priolis pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum capitaneum generalem maris difficultate, qua armabitur triremis Curzulana ob multas concessiones et terminationes factas per magnificos capitaneos generales, comites Curzulae et sindicos ciuibus et concittadinis Curzulae, quod immunes sint a texera hominum a remo triremium hic armandarum; authoritate capitaneatus sui reuocat, cassat et annullat omnes dictas concessiones et terminationes quorumcumque et per quoscumque factas, ita ut de cetero nullius sint efficaciae et roboris, ac si factae non fuissent. Mandans spectabili comiti Curzulae praesenti et eius successoribus hanc terminationem registrari et inuiolabiliter obseruari debere et executioni mitti; excepto tamen ab ea Jacobo Tomasij, qui ob eius optime gesta uigore litterarum ducalium ab huiusmodi regalijs, oneribus et grauedinibus realibus et personalibus fuit exemptus.

Gaspar a Vidua cancellarius mandato subscripsi.

XLV. DECISIO COMITIS
pro lapicidis laborantibus in scopulo de Inuernich ad euitanda damna, quae ipsis inferuntur a conductoribus ipsius scopuli.

Magnificus et generosus dominus Aloysius Barbadico, Curzulae comes dignisssimus.

Audito grauamine magistri Bartholi Carlich lapicidae se conquerentis nomine suo et aliorum lapicidarum, quod per conductores scopuli Inuernich inferuntur ipsis multa damna in hortis et domibus, pergulis, oleribus et alijs utilibus, dimittendo per suprascriptum animalia sine custodia, petens per suam magnificentiam super praemissis de oportuno remedio prouideri; praefatus dominus comes per sententiam terminauit et sententiauit, quod quandocumque contigerit aliquod damnum fieri dictis lapicidis in hortis, pergulis, clausuris, domibus, arboribus, oleribus et quibusuis alijs utilibus per animalia cuiusuis et quaeuis, tam magna, quam minuta, quod ille, qui conduxerit scopulum praedictum, teneatur statim soluere damna sic illata extimanda per bonos uiros, uel dare damnificatorem et sic sententiauit semper esse seruandum.

Actum in domo praefati domini comitis, praesentibus ser. Alexio quondam Antonij et Jacobo Giuglia, die xxiv. Martij Mcccclxxxviij.

Terminatio pro lapicidis quasi in fine libri dicti regiminis manu ser. Francisci de Franciscis tunc vicecancellarij.

XLVI. DECISIO COMITIS
de piscatoribus, pretio piscium et loco pisces uendendi.

Die tertio mensis Aprilis Mcccclxxxviij.

Magnificus et generosus dominus Aloysius Barbadico, Curzulae comes dignissimus, auditis querimonijs plurium nobilium et ciuium, se uehementer grauantium, quod per piscatores Curzulae et alios pisces uendentes uenduntur pisces chariori pretio quam statutum est per ordines; adeo quod uendunt libram gherarum quasi soldis quattuor; petentes per suam magnificentiam terminari, quod de cetero non possint uendi pisces chariori pretio, nisi secundum partem captam in Mcccclij. indictione vj. sub die xxvij. Februarij, tempore magnifici domini Nicolai Mauroceno, tunc comitis Curzulae dignissimi: qua parte et ordine diligenter examinatis et consideratis merito considerandis, per sententiam terminauit, quod amodo in antea nemo audeat, nec praesumat uendere pisces cariori pretio, nisi ut in parte praenominata continetur; uidelicet pisces unius librae cum

dimidio et ab inde supra paruulis sexdecim libra et pisces ponderis librae unius usque ad unam cum dimidio paruulis quattuordecim et pisces minores una libra, unam libram cum dimidio pro soldo; et de gherris libras duas pro soldo adminus et hoc sub poena iperperorum duorum cuilibet contrafacienti, diuidenda inter accusatorem et communitatem; declarando, quod nemo audeat alio portare pisces, nec alibi uendere, nisi ad piscariam sine licentia rectoris sub praedicta poena, quae poena exigatur a contrafacientibus uigore praesentis terminationis sine alia condemnatione; et sic ut praemissum est per sententiam terminauit et sententiauit semper in futurum esse seruandum: item schumbros quattuor pro soldo iuxta formam legis et hoc quattuor ad minus.

Testes: ser. Jacobus Marini; ser. Antonius Simonetti; ser. Jacobus Simeonis, ser. Antonius Bernarouich et alij quam plures.

XLVII. DECISIO COMITIS,
qua statuitur, quod patroni nauigiorum exonerare debeant saburnam in Purpurella.

Die v. Augusti Mccccxc.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, cum plures tam nobilles, quam populares comparuissent et ualde conquesti fuissent, quod nauigia, quae huc applicant, patroni dictorum nauigiorum exonerant saburnam in puncta Sancti Nicolai prope ciuitatem et presertim saburnam magnam, quae res in magnum detrimentum ciuitatis uertebatur; ideo petierunt, ut praefatus magnificus comes prouisionem faceret, ne de cetero praedicti nauigiorum patroni talia audeant facere; quam ob rem praefatus magnificus dominus comes talem petitionem iustam esse arbitratus sententiauit et determinauit, quod sub poena quinquaginta librarum nemo alicuius nauigij patronus cuiuscumque conditionis existat et tam ciuis Curzulae, quam forensis, audeat exonerare saburnam magnam in supradicto loco, sed exonerare eam debeat in Purpurella post muros ciuitatis, cum hac etiam conditione, quod ille, qui dictam saburnam exonerabit, nullo modo intra purpurellam exonerare possit sub eadem poena.

Testes: ser. Nicolaus Obradi; ser. Andreas Voletich et plures alij.

XLVIII. DECISIO COMITIS,
qua statuitur, quod nemo ascendat barcham piscatorum, arripiat pisces et ingrediatur cancellos, siue stangatas; quodque piscatores ipsi non uendant pisces cum alliga et herbis.

Mccccxc. Die xi. Octobris.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, existens sub logia marinae cum suo iudice ser. Peregrino, et comparuissent coram eo nonnulli tam nobiles, quam populares, conquerentes, quod piscatores tam indigenae, quam aduenae, quando ueniunt ad ciuitatem cum piscibus et applicunt ad littus, multi emere uolentes de dictis piscibus antequam piscator descendit de barcha, ascendunt ipsi prius dictam barcham et eripiunt pisces dicto piscatori, uelit, nolit; adeo, quod aliquando piscator propter multitudinem in eius barcham ascendentium amittit pisces, nesciens, quis abstulit pisces; et multi praeterea remanent sine piscibus, qui non possunt habere, nec emere suis pecunijs de dictis piscibus, quod est malefactum.

Quam ob rem audita praedictorum querela, et consideratis considerandis, determinauit ac sententiauit, quod nemo, cuiuscumque conditionis existens audeat, nec praesumat deinceps ire obuiam, nec ascendere barcham alicuius piscatoris pisces uendere uolentis, nec tangere dictos pisces sine expressa dicti piscatoris licentia, sed expectare, quod piscator, qui uendet dictos pisces, det in manibus ipsius emere uolentis, sub poena decem librarum exigenda quam primum; nec possit ullo modo aliqua fieri gratia de dicta poena.

Item quod nemo cuiuscumque conditionis existat, audeat ingredi cancellos, siue stangatas, quae sunt positae circa lapidem, ubi uenduntur pisces, sed maneat extra sub eadem poena; nec possit etiam ullo modo aliqua de dicta poena fieri gratia.

Praeterea, quod nullus piscator audeat, nec praesumat uendere pisces mixtos cum herbis, seu alliga, sed mundos sine aliqua huiusmodi immunditia sub eadem poena, ut supra.

Testes: ser. Nicolaus Obradi; ser. Andreas Voletich; ser. Antonius Angeli et multi alij astantes.

XLIX. DECISIO COMITIS,
qua statuitur, quod Ragusei patroni nauigiorum accipiant duo tertia marinariorum Curzulensium.

Die xv. Octobris Mccccxc.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Cur-

zulae dignissimus, sedens sub logia marinae cum suo iudice, ser. Peregrino Theodati, audita querimonia nonnulorum tam nobilium, quam popularium dicentium et conquerentium, quod patroni nauigiorum, qui manent in hac ciuitate cum tota eius familia et gaudent priuilegijs ciuitatis Curzulae, accipiunt marinarios aduenas et peregrinos in dictis eorum nauigijs, quod est malefactum, cum dicti patroni gaudent priuilegijs ciuitatis Curzulae, et accipiunt utilitatem ex hac re, ipsi nullam utilitatem praedictae ciuitati afferant, cum ex aliunde marinarios accipiant.

Itaque bonum est pro communi utilitate et bono ciuitatis in hac re posthac prouidere ut dicti nauigiorum patroni, habentes ex hac ciuitate commoditatem et utilitatem, afferant etiam praefatae ciuitati aliquid utilitatis, quod accipiant marinarios Curzulanos et non ditari aduenas et peregrinos: qua de re praefatus magnificus dominus comes considerans fore hoc iustum et honestum, quod dicti patroni nauigiorum unde accipiunt honorem et utilitatem, ibi etiam inferant aliquid utilitatis et commoditatis, determinauit et determinando sententiauit, quod omnes deinceps nauigrorum patroni, qui hanc ciuitatem Curzulae habitant et sunt facti per priuilegium ciues praedictae ciuitatis, accipere debeant in eorum nauigijs ad minus duo tertia marinariorum, qui sint ueri Curzulani et insulae Curzulae, sub poena priuationis ciuilitatis Curzulae, nec priuilegijs dictae ciuitatis gaudere, insuper centum perperos soluere debeant dictae communitati applicandos.

Testes: Ser. Nicolaus Obradi; ser. Franciscus Xilcouich; ser. Antonius Petrouich et plures alij ibi astantes,

L. DECISIO COMITIS,

qua statuitur, quod nullus piscator uendat suos pisces bazariotis, donec omnes ciues emerint pro usu suo.

Die xxiv. Octobris. Mccccxc.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, ad instantiam et requisitionem multorum tam nobilium quam popularium, conquerentium quod non possunt habere pisces suis pecunijs, eo, quod sunt nonnulli, qui statim emunt illos et salant causa reuendendi, determinauit, quatenus posthac nullus piscator cuiuscumque conditionis existat, audeat nec praesumat uendere aliquo modo pisces, nisi prius portauerit omnes in locum, ubi solitum est uendere dictos pisces, id est. super lapidem consuetum intra can-

cellos nouiter factos, sub poena librarum uigintiquinque; et quod non possit dictos pisces uendere in grossum bazariotis, donec omnes ciues pro usu suo emerint et hoc usque ad horam nonam sub eadem poena.

Item quod nullus piscator possit simul cum alijs piscatoribus facere societatem sub eadem poena.

Testes: Ser. Nicolaus Obradi; ser. Andreas Voletich; ser. Franciscus Xilcouich et alij complures.

LI. DECISIO COMITIS,

qua statuitur, quod nullus audeat augere pretia de ouis, pullis, haedis, agnis et pellibus et specialiter illi de Puncta.

Die xvj. Januarij Mccccxcj.

Coram magnificio et generoso domino Dominico Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comite Curzulae dignissimo sub logia ante cancellariam cum suis iudicibus existente, comparuerunt nonnulli nobiles, conquerentes, quod res omnes uenales, quae huc Curzulam pro usu omnium ciuium portantur et pro certo determinato pretio ab illis, qui dictas res portant, uenduntur, et specialiter ab illis della Ponta, ut sunt oua, pulli, haedi, agni et pelles antedictorum animalium. Sunt nonnulli, qui dictas res incantant, non sinunt, nec permittunt alios emere, uolentes pretio illo, quo uendi debent et a uenditoribus petitur, sed offerunt maius pretium, quae res uertitur in damnum ciuium, praesertim pauperum, petentes, ut sua magnificentia prouidere debeat pro bono ciuitatis, ne deinceps hoc fiat.

Quam ob rem praefata eius magnificentia honesta et iusta praedictorum nobilum petitione audita et consideratis in hac re considerandis, determinauit et sententiauit, quod nemo deinceps audeat, nec praesumat emere praedictas res, siue commercia, nec incantare et pretium augere sub poena librarum decem et totum id, quod emeret, perdere.

Praesentibus: Ser. Antonio Bernarouich; ser. Peregrino Theodati; ser. Antonio Paridis et pluribus alijs astantibus.

LII. DECISIO COMITIS,

qua statuitur, quod nemo in burgo domum possit fabricare cum calcina et in muro, sed in maceria et ad pedem planum.

Die iv. Decembris Mccccxcj.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Cur-

zulae dignissimus, sedens sub logia marinae cum suis iudicibus, audita petitione ser. Antonij Petrouich, tamquam aduocati communitatis dicentis et exponentis, quod cum sit, quod quaedam donna Petrussa, relicta qm. Francisci Surcho una cum eius sorore uellent fabricare unam domum extra ciuitatem prope hortum heredum qm. ser. Francisci Obradi, quae res, seu domus fabricatio uertebatur in damnum et periculum ciuitatis propter hostes (quod Deus auertat), qui aliquando uenirent causa dictae ciuitatis expugnandae, ut alias iam uenerunt, ne possent praedicti hostes illic se tueri et damnum ciuitati inferre, petijt, ut praedictus talem fabricam, seu domum facere prohiberet. Et audita responsione ser. Antonij Obradi, tamquam aduocati praedictarum sororum respondentis, non debere praedictas sorores prohiberi talem domum aedificare, seu fabricare, cum nullum nocumentum talis domus aedificatio ciuitati facere possit; et quod facile si de bello aliquo timeretur, praedicta domus destrui posset; et uiso loco, ubi praedictae sorores praedictam domum aedificare uellent, et uisis uidendis et consideratis considerandis, determinauit, ut nullo pacto praedicta Petrussa et eius soror talem domum in dicto loco aedificare, seu fabricare de muro possint, praeterquam de maceria si uoluerint. Et ita etiam determinauit ac sententiauit, quod nemo, cuiuscumque conditionis existeret, tam nobilis, quam popularis et tam ciuis, quam peregrinus possit, nec audeat extra ciuitatem in huiusmodi locis, ex quibus hostes possent se tueri et ciuitatem offendere, aedificare, seu fabricare domos de pariete, siue muro, praeterquam de maceria, si uelent et ad pedem planum et non aliter.

Testes: Dominus presbyter Marinus Xilcouich; ser. Gregorius de Gabriellis; ser. Andreas Voletich et plures circum astantes.

In libro sententiarum iij.

LIII. DECISIO COMITIS
de datio zappinorum, quod uadat ad communitatem.

Die vj. Januarij. Mccccxcij.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, sedens cum suis iudicibus sub logia cancellariae, cum deliberandum et incantandum esset datium zappinorum, sententiauit et determinauit, quod ille, cui deliberatum fuerit dictum datium, non possit accipere datium dictorum zappinorum ab aliquo aduena modo antea, sed uadat praedictum datium ad communita-

tem praeter ab illis ciuitatis, qui conducunt Ragusium seu alibi praedicta zappina; et ita de zappinis, quem ad modum de omni genere lignorum.

Testes: Ser. Gregorius Gabriellis, ser. Antonius Obradi, ser. Antonius Angeli et alij.

In libro iij. sententiarum.

LIV. DECISIO COMITIS,

qua statuitur, quod recedentes ab insula non possint alienare bona sua et qui emeret, perdat pecunias, nisi ignorantia excuset.

Die xxviij. Februarij. Mccccxcij.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excellentisimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, auditis querimonijs multorum ciuium conquerentium et dicentium, Nicolaum Malerbam emisse quaedam bona stabilia, uidelicet uineas et terrena, quae fuerunt et sunt cuiusdam Mariae, uxoris q. Stephani Michelouich, quae in praesens habitat Manfredoniam et hoc contra legem scriptam in nouo volumine de recedentibus de Curzula, qui non possint alienare bona sua et si quis emeret, perdat pecunias; petierunt igitur, ut instrumentum de tali uenditione cassum et annullatum sit et praedictus Nicolaus Malerba perdat pecunias uigore dictae legis et audito Nicolao Malerba dicente et se excusante, talem legem ignorasse, nam si hoc sciuisset, praedicta bona non emisset: qui magnificus dominus comes iussit praefatum Nicolaum Malerbam pecunias, quibus emit dicta bona, in cancellaria reponere, et uisa lege tales uenditiones fieri prohibente, determinauit et sententiauit talem emptionem et uenditionem fore nullam et nullius ualoris, ac si nunquam facta fuisset et instrumentum praedictae uenditionis et emptionis debere cassari et annullari, ac si nunquam factum seu scriptum fuisset. Nicolaum uero Malerbam emptorem, quoniam praedictam legem ignorauit, tamquam innocentem a poena per supradictam legem imposita liberauit et quod dictas pecunias, quibus praedicta bona emit, integras acipiat.

In libro iij sententiarum.

LV. DECISIO COMITIS

de vino non vendendo extra ciuitatem in burgo.

Die viij. Martij. Mccccxcij.

Coram magnifico et generoso domino Dominico Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum etc. co-

mite Curzulae dignissimo, complures nobiles comparuerunt dicentes, et conquerentes, quod nonnulli uendant vinum extra ciuitatem et cum Puncta locus Raguseorum sit ciuitati Curzulae uicina et fiat ibi multum vini, multi tam de ciuitate Curzulae, quam forenses uadunt et emunt vinum in Puncta et ita sub hac specie illi, qui uenderent vinum extra ciuitatem praesertim in burgo, irent nonnulli ad emendum vinum in Puncta de nocte et postea uenderent forensibus et alijs, quae res uerteretur in magnum damnum omnium ciuium, qui non uiuunt de alio reditu, quam de reditu vini: quare petierunt ut sua magnificentia prouideret, ne tale damnum praedictis ciuibus succederet, quod prohiberet amodo in antea, ut nullus cuiuscumque conditionis existeret, audeat uendere vinum in burgo.

Qua de re praefatus magnificus dominus comes tali audita petitione putans iustam esse et honestam, consideratis considerandis, determinauit et sententiauit, quatenus sub poena iperperorum sexaginta unicuique contrafacienti, quod nemo cuiuscumque conditionis existat, et tam masculus, quam femina audeat, nec praesumat, uendere vinum in burgo tam illi, qui habitant, seu habitarent in futurum in dicto burgo sub praedicta poena, diuidenda in tres partes, tertia magnifico domino comiti, alia communitati et alia accusatori et perdendi vinum.

In libro sententiarum iij.

LVI. DECISIO COMITIS

de piscatoribus forensibus, quod non possint piscari cum quovis instrumento piscatorio, nisi in locis in ipsa decisione designatis.

Die xxiv. Aprilis. Mccccxcij.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum etc. comes Curzulae dignissimus, auditis aduocatis communis una cum pluribus nobilibus et ciuibus exponentibus, quod per aduenas piscatores multa damna huic insulae inferantur, petentes ut sua magnificentia prouidere deberet.

Idcirco praefatus magnificus dominus comes sententiauit et terminauit, quod nullus piscator forensis amodo in antea audeat, nec praesumat piscari cum quouis instrumento piscatorio circa insulam, nisi dumtaxat incipiendo a ciuitate de intus usque ad vallem Racischiae et extra incipiendo a ciuitate usque ad vallem Persinae et in Persina, et ultra non sub poena perdendi retia, uel alia piscatoria instrumenta, cum quibus piscarentur et barcham; cum nassis

uero et parangale neque in supradictis locis piscari audeat sub eadem poena, quae poena diuidatur per tertio inter rectorem, qui eam exigeret, communitatem et accusatorem.

Testes: Ser. Andreas Obradi; ser. Andreas Voletich; ser. Andreas q. ser. Jacobi Marini et alij complures.

LVII. DECISIO COMITIS
de non appendendis, nec lauandis pellibus in locis descriptis, nisi in consuetis et determinatis pro tali re.

Coram magnifico et generoso domino Dominico Theupulo, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum etc. dignissimo comite Curzulae comparuerunt nonnulli nobiles conquerentes et dicentes, quod sunt nonnulli cerdones, siue pelliciarij, qui appendunt et distendunt pelles per murum ciuitatis, id est prope logiam et prope beccharium, nec non etiam prope arsinale et subtus cisternam et per molum et illas etiam lauant prope supradicta loca, seu in supradictis locis et etiam extra ciuitatem post portam Chanensi praedicti appendunt et siccant pelles. Praeterea sunt etiam nonnulli cerdones, qui aptant pelles intra ciuitatem etc. quae omnia supradicta sunt contra honestatem et contra bonos mores appendere et siccare pelles in supradictis locis publicis, ubi continue uersantur homines tam ciues, quam aduenae; et aptare etiam pelles intra ciuitatem.

Quare petierunt, ut eius magnificentia prouidere debeat, ut deinceps haec inhonesta et turpia non fiant.

Quam ob rem praefatus magnificus dominus comes iusta et honesta praedictorum nobilium petitione audita et considerans ipse quoque esse inhonestum et turpe, haec in locis tam publicis fieri et uideri: pronunciauit, determinauit et sententiauit, quod posthac nemo, cuiuscumque conditionis fuerit, siue cerdo, siue alius audeat, nec praesumat appendere pelles, nec distendere a turri Barbadica, quae est prope beccharium, usque ad cisternam, neque ad molum, neque etiam illas lauare a praedicta turri usque ad arsinale, neque pannos alicuius sortis, neque alias immunditias, siue spurcitias, sub poena iperperorum decem et perdere pelles; et accusator habeat medietatem; alteram medietatem cummunitas habere debeat. Et ita etiam nullus audeat extendere, seu appendere praedictas pelles post portam Chanensi ab una turri ad alteram, nec illas aptare in ciuitate, nisi forte intus domum eius, sed aptent ipsas pelles extra ciuitatem

in Judaica, ubi lauari eas semper solitum fuit sub eadem supradicta poena.

Lata, data et promulgata per praefatum magnificum dominum comitem et lecta et publicata per Dragonetum Marcum cancellarium currente anno domini Mccccxcij. die xxvij. Junij, indictione x. sub logia marinae, praesentibus ser. Gregorio Gabriellis, ser. Jacobo Xilcouich, ser. Antonio Petrouich, ser. Antonio Marsich, ser. Francisco de Franciscis et multis alijs circumstantibus.

LVIII. DECISIO COMITIS

de beccharijs, quod nemo ipsis per uim accipiat carnes, nec tangat animal, quando excoriatur, sed a manibus ipsorum uendentium.

Die xxx. Octobris. Mccccxcij.

Magnificus et generosus dominus Dominicus Theupulo, pro illustrissimo et excelentissimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, cum ser. Petro Stauilatio, ser. Petro Petrouich et ser. Antonio Angeli, iudicibus suis, audita quaerimonia multorum nobilium et popularium, conquaerentium et dolentium, quod non possunt pecunijs suis habere carnes; et hoc quia cum uenduntur carnes, multi eripiunt carnes e manibus beccharioruin et in taccho positas, adeo quod ipsi remanent sine carnibus et beccharij non possunt uendere carnes, ut moris est et consuetudinis locorum omnium recte et morate uiuentium; petentes ut eius magnificentia huic errori et malae consuetudini prouidere debeat.

Quare praefatus magnificus dominus comes, audita et intellecta supradictorum quaerela et esse iustam et honestam, sententiauit et determinauit per praesentem diffinitiuam sententiam, quod nemo, cuiuscumque conditionis existat, audeat, nec praesumat tollere carnes a taccho, neque e manibus beccharij eripere, nec eas tangere aliquo modo. uel ingenio, neque tangere aliquo pacto animal, quando excoriatur; sed sinant, quod beccharij illas tangant et uendant et accipiant dictas carnes e manibus proprijs beccharioruin sponte uendentium et dantium ipsas carnes in manibus emptoris, nec aliquo modo, aut ingenio uim aliquam beccharijs inferre et hoc sub poena soldorum decem paruorum pro quolibet et uice qualibet, et si quis accusator fuerit, medietatem dictae poenae habeat, alteram communitas Curzulae; et si accusator non reperietur, beccharius debeat illum contrafacientem accusare; et si non accusauerit, soluat ipse poenam supradictam pro ipso contrafaciente.

Testes: ser. Gregorius Gabriellis, ser. Andreas Voletich et multi alij.

LIX. LITTERA DUCALIS XXIV[a]
de pecunijs triginta et quadraginta pro centenario.

Augustinus Barbadico Dei gratia dux Venetiarum etc.

Dilecti nostri significamus uobis, quod hodie cum consilio nostro Decem deliberauimus et prouidimus, quod de cetero omnes pecuniae nostrae triginta et quadraginta pro centenario et tansarum tam intus, quam extra, suppositae sint praefato consilio nostro, quodque de ipsis pecunijs fieri debeat per offitium gubernatorum nostrorum introituum de tempore in tempus depositum, conseruandum de cetero intactum ad nomen et ordinamentum ipsius consilij nostri Decem cum additione.

Volumus idcirco et cum eodem consilio uobis efficacissime mandamus, ut in solutionibus, quas de cetero facietis salariorum tam rectorum uestrorum, quam offitialium suorum, non debeatis illis dare nisi netum salariorum suorum; denarium uero triginta et quadraginta pro centenario et tansarum retinendo et mittendo de tempore in tempus ad offitium praefatorum gubernatorum nostrorum introituum subito prout exigeritis, in magna uel parua quantitate, exprimendo semper in litteris, siue computis, quas et quae mittetis ad dictum offitium, nomina, quantitates et tempora ita particulariter et distincte, quod in libris dicti offitij possint poni ad computum et creditum illorum, de ratione quarum fuerint.

Hoc uero nostrum et dicti consilij nostri Decem mandatum inuiolabiliter obseruabitis sub poena indignationis eiusdem consilij, si quoquo modo contrafacere praesumpseritis praesenti intentioni et ordinamento nostro.

Demum cum eodem consilio uobis mandamus, ut omnes pecunias dicti nominis debiti ueteris ad hanc usque diem excutere et mittere procuretis de tempore in tempus ad manus gubernatorum nostrorum introituum. Et ut intelligatis bene efficaciam praesentis deliberationis nostrae, scitote, quod per formam huius noui ordinis statutum et prouisum est, quod illi camerarij istius et aliarum communitatum, ciuitatum et locorum nostrorum, qui acciperent, retinerent, uel dispensarent soldum dictarum triginta et quadraginta pro centenario et tansarum contra intentionem praesentis ordinamenti, cadant ipso facto ultra poenas iam dictas in inremissionabiles poenas furantium contra ipsos exequendas per capita consilij nostri Decem absque alio consilio.

Has autem nostras litteras registrari in libris illius communitatis facietis ad futurorum memoriam.

Datum in nostro ducali palatio die xxvj. Fèbruarij, indictione xij. Mcccccxciij.

A tergo:

Fideli communitati nostrae Curzulae.

Receptae die x. Aprilis Mccccxciv.

LX. DECISIO COMITIS
de theda non extrahenda.

Die xxix. Aprilis. Mccccxciij.

Magnificus et generosus dominus Simon Capello, pro illustrissimo et excellentissimo ducali dominio Venetiarum comes Curzulae dignissimus, sedens sub logia marinae cum suis iudicibus, audita petitione et querimonia ser. Antonij Angeli, tamquam unius de electis per spectabile consilium ciuitatis Curzulae ad defendendum et procurandum, ac inuestigandum omnia illa, quae facta contra leges et ordines praedictae ciuitatis Curzulae cum multis etiam alijs conquerentibus et dicentibus, quod theda, quae nascitur in hac insula, de qua fit pix, propter quam picem uiuunt et se sustentant omnes pene homines huius insulae et magnam offert utilitatem omnibus, praesertim illis, qui faciunt nauigia, propter quam etiam nauigiorum facturam multi uiuunt et se sustentant, extrahitur foras, uenditur aduenis et forensibus et conducitur ad terras alienas, etiam ipsi aduenae et forenses incidunt ipsam thedam et ipsam extra insulam exportant, quod est expresse prohibitum per illustrissimum ducale dominium nostrum Venetum et per leges et sententias; sed ne uideatur aliquando fieri prohibitionem, nostrimet ciues incidunt praedictam thedam et onerant eam in barchis et nauigijs forensium et hoc modo dicta theda extra insulam exportatur, quae quidem res uertitur in maximum damnum et detrimentum ciuitatis et totius insulae Curzulae; et eo magis, ut supra dictum est, quod uigore unius priuilegij nobis per illustrissimum ducale dominium concessi et per legem et sententiam magnifici et generosi domini Dominici Theupulo nuper factam tale aliquid fieri expresse prohibetur: ideo supplicarunt, ut praefata eius magnificentia propter bonum et utile ipsius ciuitatis et totius insulae huic rei obstare et prouidere debeat, ne deinceps tale aliquid fiat nec per aduenas et forenses, nec per ciues et huius insulae habitatores.

Unde praefata eius magnificentia tali querimonia et supplicatione audita, considerans ex omni parte esse iustam et honestam et con-

siderans praeterea hanc rem et thedae extractionem uertere in magnum damnum et detrimentum totius ciuitatis et insulae, et uiso et audito priuilegio per praefatum illustrissimum et ducale dominium huic ciuitati concesso et prohibitione huius rei in eo contenta et uisa lege, et sententia per eius praecessorem facta et habita etiam de hac re nonnullorum hominum tam nobilium, quam popularium informatione et auditis audiendis et intellectis intelligendis, ac consideratis considerandis, sententiauit et determinauit, quatenus nemo aduena et forensis, cuiuscumque loci et conditionis existat, posthac audeat incidere nec per se, neque per alium thedam, neque eam ex hac insula foras exportare et ad aliena loca eam conducere sub poena iperperorum uigintiquinque et perdendi barcham et omnia, quae in dicta barcha reperiuntur; et si ciuis aliquis Curzulanus reperiretur praedictis aduenis, seu forensibus consensisse, aut auxilium aliquod et fauorem dedisse, cadat statim ad poenam ducatorum quinquaginta, cuius poenae medietas sit communis et altera accusatoris. Ciues uero et terrigenae omnes praedictae insulae Curzulae dum praesens datium zappinorum durat, quod finit die x. Januarij proxime futuri de Mccccxciv. possint et ualeant dictam thedam extrahere secundum consuetudinem et secundum quod prius fieri solebat; sed finito postea dicto datio supradicti etiam ciues et terrigenae non possint, nec ualeant ipsi quoque thedam incidere, nec eam aduenis et forensibus uendere, aut in alienas terras et loca conducere sub poena supradicta et ut supra diuidenda.

Testes: dominus Petrus de Obradis vicarius, dominus presbyter Marinus Xilcouich, ser. Raphael de Gabriellis, ser. Antonius Paridis, ser. Franciscus de Franciscis et alij multi circum astantes.

LXI. DECISIO ADUOCATORUM COMMUNIS VENETIARUM,
quod Curzulenses tractentur pro Venetis et eorum nauigia soluant datium sicut soluunt Veneti ad offitium Leuantis.

Sub die xv. Nouembris. Mccccxciij.

testamenta tempore mortalitatis facta, releventur praeterita mortalitate cum illis testibus, qui sese reperuerint. p. 126.
testari possit quisque plus filiis quam filiabus, non tamen uno filio vel filiae plus quam alijs filiis vel filiabus. p. 81.
testium duorum fidei credatur usque ad yperperos decem. p. 79.

testis unus fide dignus credatur usque ad grossos duodecim. p. 79.
testificatio non suscipiatur ab yperperis decem supra, excepto casu rationum patronorum ac pastorum. p. 79.
testificatio contra mortuum quando sit valida. p. 96.
testium duorum probatio in qualibet causa civili et criminali plene sufficiat. p. 116.
testes, nisi vocati, non acceptentur. p. 96.
testes, qui esse non possint. p. 15. 35.
testes pro cognatis testimonium perhibere non possint. p. 15. 35.
testium ad judicium venire recusantium poena. p. 5.
testes in causa homicidii vocati, venire vel testimonium praebere recusantes, quomodo puniantur. p. 26.
testificantes contra commune quomodo puniantur. p. 46.
testium false testantium poena. p. 5.
testis falsum testimonium dicens, restituat damnum, perdat veritatem et credentiam et xv. yperpera. p. 10. 31. sq.
theda non extrahatur. p. 213.
theda non extrahatur per forenses, bene tamen per Curzulenses cum suis barchis. p. 237.
thedae extractio forensibus iterum vetatur sub poenis ipsam amittendi. p. 252. sq.
tortura quando curia uti possit. p. 63.
tramissum quisque, qui receperit, presentet et consignet iuxta commissionem sibi factam. p. 117.
trentesimi pecuniae conceduntur communitati. p. 178. sq.; 181. sq.; 195; 217 sq.; 234.
trentesimi absolutio non conceditur. p. 141.
trigesimum quilibet possit emere, colligere et tenere. p. 94.
triremes armandae ad normam partis captae in consilio Rogatorum. p. 163. sq.
triremis armanda ab insula, in qua nobiles sint supracomiti et reliqui officiales ex populo. p. 192.
turcimanus a comite eligatur unus de populo. p. 237.
tutores iuvenibus, insensatis ac feminis det regimen. p. 45.

U. V.

ad *usuram* nemo det neque recipiat denarios. p. 24. 43.
uxori occisi commune debeat providere. p. 5.
vascelamen cumuletur per regimen, nemoque vascelamina devastet. p. 90.
vassellamina barchizans tempore vindemiarum quantum recipere debeat. p. 119.
venditio possessionum per propinquos possit recuperari. p. 45.
venditiones mercium cum pondere civitatis fiant. p. 70.
Veneti tractentur Curzulae, sicut Curzulani Venetiis. p. 126.
verberans vel scapilans unus ex judicibus maioribus personam aliquam, quomodo puniatur. p. 29.
verberatus, non habens testes, quomodo probetur accusationem suam. p. 58.

vestimentum emens a personis de locis morbosis venientibus sit forbannitus. p. 54.
viae aptentur per insulam, nemoque audeat eas destruere. p. 87.
vicarius ut vadat extra Curzulam, nemo petat. p. 88.
vicini Curzulensium qui sint. p. 23. 24. 42.
de *victualibus* ordinamenta seruentur. p. 11. 32.
vidua si denuo maritare se noluerit possideat dotes suas et omnia bona viri sui. p. 16. 37.
vidua, si voluerit se maritare, extrahat tantum dotes suas. p. 16. 37.
viduatus maritus nihil bonorum uxoris alienare possit sine voluntate proximiorum uxoris defunctae. p. 37.
viduus pater liberis suis aequaliter distribuat bona materna si secum stare noluerint. p. 37.
viduus filiam teneatur maritare vel dare ei partem suam. p. 37.
viduus non habens heredem ex uxore mortua teneat bona eius dotalia, donec denuo uxorem ducat. p. 37.
villa quaevis pasculet animalia in suis confinibus. p. 52.
villa, in cuius districtu comburetur simiacum, emendet damnum. p. 78.
vindemiae non fiant ante tempus ordinatum. p. 76. sq.
vineas alienas devastans quomodo puniatur. p. 22. 42.
vineas alienas comburens vel devastans perdat manum dexteram. p. 49.
vineas qui non laboraverit, nihil de eis vindemiet. p. 97.
vineam nemo planctet ubi prius non fuere. p. 80.
vini ordinamentum observetur. p. 19.
vinum sine ordinamento comitis nemo vendat. p. 11.
vinum novum possit quisque in vineis suis vindemiare. p. 99.
vinum ad tabernam vendi non possit, nisi soluto prius datio. p. 69.
vinum ad spinam vendentes solvant pro datio unum de septemdecim. p. 248.
vini venditor non deneget vendere dictum vinum hora licita. p. 54.
vinum non vendatur extra civitatem in burgo. p. 208. sq.
vinum qui voluerit portare extra insulam, possit vindemiare. p. 102.
vinum Venetias ductum a Curzulensibus solvit datium sicut solvunt Sibinicenses et Spalatini, id est medium datium. p. 141.
vinum Venetias ductum solvit ducatum unum cum dimidio pro amphora de datio, si tale vinum est suorum reddituum, non vero emptum, quia tunc solvit integrum datium. p. 157. 160.
vinum nisi Curzulanum nemo Curzulanus emat nec vendat. p. 93.
vinum forense nemo ad insulam conducat. p. 53. 90.
vinum forense Curzulani non barchizent. p. 61.
vinum forense non conducatur ad civitatem vel insulam nisi in casu generalis necessitatis et defectus vini, quae necessitas solum cognoscatur per commune. p. 177.
vinum de Puncta et aliunde ducatur directe Venetias et non alibi per Curzulenses sub poena contrabandi; nec per consilium, vel per rectores potest prohiberi talis extractio et si prohiberent, non sunt obediendi. p. 160.
violans nobilis nobilem virginem, quomodo puniatur. p. 60.
violans nobilis nobilem maritatam quomodo puniatur. p. 60.
violans nobilis rusticam maritatam, quomodo puniatur. p. 60. sq.

Z.

zapinos prope mare nemo incidat. p. 90.
zapinos nemo comburat. p. 90.
Zernovini, Smoquizani et Blattenses gravati a rectore solvendi pro terrenis non seminatis frumentum pro avena, vel hordeo, compareant coram sindicis et probato gravamine, referent, quod fuerit justitiae et rationi consentiens. p. 223. sq.
Zernovini sicut et Blattenses, Smoquizani et omnes villici possunt renunciare terrena comitatus tempore determinato in statuto. p 224.
Zernovini et alii villici pices suas ducant ad civitatem et ibi expectato uno die, si aliquis civium vellet emere, possint, quod remanet, vendere in statu Veneto et non alibi, sub poena ducatorum c. et amittendi picem. p 224. sq.
Zernovini et alii villici emendent damna facta in domibus peculiarium personarum in suis casalibus existentibus ad normam statuti et ad regulam inventarii, quod quisquc tenetur presentare in manibus judicis vel plazarii. p. 225.
Zernovini et alii villici in collectis non graventur insciis eorum procuratoribus, ut ab ipsis habita informatione veridica subire quisque cogatur onus, quod fuerit justum. p. 225. sq

GLOSSARIUM.

A lliga (aligo) — linum, quo pisces colligabantur.

ambasciata (mittere -m) = ambassiata *(ambassade)* — legatio.

ambasciator = ambassiator, ambaxiator — legatus, internuntius oppidi districtualis, Curzulam ad pertractandas causas publicas missus.

anchoragium — tributum, solvendum pro facultate figendi ancoram in portu.

angariae — operae publicae, quae popularibus civitatis et insulae Curzulae imponebantur.

arengum (*arengare* = concionari) — conventus publicus, forum publicum. Curzulae *arengum* nihil aliud nisi plenum et generale consilium civitatis et insulae significat.

arra — terra culta, exarata; haud dubie et sulcus.

azafare — arripere („si aliquis arriperet, id est *azafaret*... carnes" — p. 217.).

bailia — auctoritas, potestas („regimen habeat libertatem et *bailiam* faciendi accordationem" p. 80.).

ballota — pilula seu glans ferrea vel plumbea (ad ferrendum suffragium). ballotare — ballotis seu calculis ferre suffragium. (cf. cap. CXXXVII. Stat.)

barchiçare = barchizare — barca (barcha) sua adducere insulam (nemo audeat... „*barchiçare* uinum forense, nec mercari cum alio uino, nisi Curçulano" — p. 61.).

bastasius (βαστάζω — porto, bajulo) — bajulus — humeris onera portans („conducentibus bladum commune teneatur dare magaçinum et *bastasios*" — p. 44. e. a.)

bastasia — naviculae apud Dalmatas species sed et quodvis aliud vehiculum („si non erunt custodes ad bladum portandum.. reperiantur *bastasia*" — „dentur *bastasia* et magazeni" — p. 127.).

bazariota — mercator, qui rem emit, revendendi eam causa majori pretio. („emunt pisces et salant causa reuendendi" — p. 205.).
Cf. v. *bazzar*, *bazzaro* ap. T.: „I Turchi, e quindi gli Slavi sudditi ai Turchi e altri Slavi ancora, usano *pazar*, voce persiana, nel doppio senso di Mercato, cioè del prezzare le cose per comprarle e venderle, e del luogo ove concorresi a comprare e vendere di molte cose."

berlina — poenae infamantis species („meretrix.... poni debeat *ad berlinam* et stare per vnum diem" p. 76.). — Ferro rotondo nel quale si mette il collo de malfattor.

bernestra — linteamen v. alia vestis lintea („balneando linum seu *bernestram*". p. 93.).

bladum — triticum cujusvis generis; interdum quodvis granorum genus, frumentum, siligo, hordeum, avena etc. („in campis segetes uel fru-

menta, uel *bladum*, uel legumina." p. 8. — „ad factum possendi extrahere *blada*..... nolumus ut... extrahant *ipsa frumenta uel blada*. p. 164. e. a.).

Biada (it.) — „Nome generico di tutte le semente delle piante frumentacee, come grano, orzo, vena e sim. E delle piante stesse ancora in erba."

bombarda — tormentum bellicum.

bullare — ferro candenti reum inurere („bulletur vna impressione" — p. 7.).

bussulus — cista, pyxis, qua colliguntur suffragia („consiliarius teneatur ponere ambas manus *in bussulis* et.. ponere ballotam" p. 62.).

calcinaria — fabrica sutoris.

caligarius — sutor.

cerdo — sutor („nullus *cerdo* possit tenere calcinariam in ciuitate". p. 85.).

canepa — cella vinaria („vinum de *canepa*" p. 115.).

capisoldum = capisolidum — capitalis solidus, qui ex pretio rei venditae domino exsolvitur; idem quod *laudimium*.

capitale — aestimatio rei furatae aut ablatae („ille, cui furtum factum fuerit, habeat suum *capitale* et alia diuidantur per medium" p. 22.).

caristia — annonae caritas vel penuria. („si in ciuitate et insula esset *caristia* et non esset de uino insule" — p. 53.).

celnich = celnicus — unus ex minoribus officialibus civitatis, super pastores animalium constitutus („nullus *celnich*..... nec alter officialis... supra brauarios, uel pastores" p. 47.)

chacia — via, per quam aguntur animalia ad pascua; terra culta, quae non includitur per murum.

clibanaria — pistrix, furnaria.

copa — navicula — parvulum navigium.

cossarum — cella, ubi siliqua vel aliae fruges conservantur; idem ac *caveria* — cella vinaria, taberna.

cursarius — praedo maris, pirata.

duana = doana — 1) aedes, in quibus fiscales reditus, vectigalia, portoria et caetera id genus tributa pro mercibus, et mercium transvectione inferuntur.

2) pensitatio s. tributum (= *datium*), soluendum ab illis, qui victualia diversi generis ad civitatem conducunt, ibique vendere vel ipsi consumere volunt. (cf. p. 122.).

datium — v. s. v. duana, 2).

exenium = xenium — donum, munus, oblatio, facta officialibus, corrumpendi eos causa.

follus — desipiens, fatuus, stultus.

frustare — flagellare, flagris caedere.

fusta (biremis) — celox, navis praedatoria, myopăro („*fusta* vel biremis" — p. 176)

gades — sepes, limes, terminus, meta („fiant *gades* et confinia more antiquo" p. 77.).

gai (= *haie*; gadir enim Poenorum lingua sepes est) v. *gades*. Cf. p. 91. cap. XC.

gastaldio = gastaldus — praefectus loci, praedii. vel villae, villicus;

custos, cujus erat prosequi fures, atque reperire furta, per insulam facta („instent *gastaldionibus* ad furta reperienda — p. 75.).

gniua — terra culta, ager novalis, arvum.

graniza — limes, meta („ponantur confinia... et *granize* incidantur" — p. 89; *granize* videntur hic lapides, vel arbores esse, ad distiguendos fines signo aliquo signati, vel incisi.)

grassina = grassia = grassa — annona quaevis („quicumque emit *grassinam* et blada cuiuscunque sortis" — p. 198. „super facto frumenti, bladi ac omnis *grassae*" — p. 232.)

incantare — auctionari, sub hasta vendere (vel locare), — vincere aliquem pretio suo, supra s. plus adjicere („quicunque *incantabit* aliquam personam in emendo" — p. 87.).

incantum = incantus — auctio, — res, quae sub hasta publica venditur („possit emere aliquem *incantum*" p. 78.).

insensatus — sensus privatus, sensu carens.

lania = laniena (κρεωπώλιον) macellum, officina, in qua laniantur ac venduntur carnes, — beccharia („nemo audeat ingredi... intus *laniam* siue beccharia m" p. 216.).

lanius — κρεωπώλης, κρεουργός, qui carnes in carnario vendit populo: a laniandis pecudibus, quod eas concidat lanietque; — beccharius („nullus *lanius* siue beccharius.... uendere possit carnes alibi, quam in beccharia" — p. 216.

las — (λᾶς — vicus) — laneus, mansus, ager noviter seminatus („vbicumque fierit *las* et seminabitur" — p. 82.).

ligonizare — ligone fodere, versare glaebas ligonibus, („qui *ligonizaret* terram vel vineam" — p. 118.).

loqua — lavatorium — πλυσμόν („in aliqua *loqua* non audeat aliqua persona lauare" — p. 89.).

manaria — batillum, falcula, (gal. faucille, serpette, it. manarino, quod ad manum facilis sic dicta.)

mandra = mandria (it.) — septum pecudum, stabulum. („si quis... combuserit alienam domum, *mandram*, copam, uel metam bladi" — p. 49.)

met a (bladi) — acervus segetum, frugum.

maza — clava („maza de ferro; alia preter quam de ferro" — p. 6.).

mustum (vinum) — vinum novum, nondum purgatum — (τὸ γλεῦκος — ὁ οἶνος ὁσίρκιος).

naulum — portorium (tributum in portu solvendum) pro trajectione variarum mercium.

ograda (sl.) — sepes, limes, meta. V. *gades*, *granize*.

passica (sl.) — silva caedua („nemo possit incidere nemus, faciendo *passicam*" p. 87.

pelliciarius — opifex, qui conficit vestimenta pellicia; puto etiam sutor; („sunt nonnulli cerdones, siue *pelliciarii*" — p. 210.).

pergula — 1) vitis species;

2) προβολή — pars domus exporrecta et propendens, seu locus apertus, extra parietem porrectus et modo tectus, modo sub dio positus.

pistaldus = prestaldus = pristaldus — officialis, cujus erat indagare animalia furtim ablata; executor judicum nobilium — (p. 24.).

planca (πλάξ) — tabula plana; maceries; assis (roborea). („nemo accipiat lapidem, vel *plancas* de aliquo casamento" — p. 83).
plegius — fidejussor — („datiarii in termino dierum octo dent *plegios*". — p. 243.).
plezaria = plaeçaria = piezzaria (*plejarìa* = mallevadoria) — cautio, vadimonium („det *plezariam* soluere iudicatum" — p. 14.).
postichus = polsticus = polschich — unus ex officialibus minoribus super pastores constitutus (p. 47; — „neminem ex pastoribus insulae.... eligi posse in *postichum*" — p. 247.). — posticorum erat etiam custodire hortos etc. ne quis damna ibi faciat pascendo ibidem animalia, facere aestimationem damni illati atque accusare damnificatores (p. 77. 121.).
proposta = proposita — quod proponitur, ut de eo statuatur. („comes... ponat *propostam* et conclusa *proposta* debent partiri ballote" — p. 62.).
pudarius — minor officialis („habens custodire campos seu uineas" p. 60.).
rescatare (it. riscattare) — redimere.
rivata — ni fallor — rivulus s. canalis ad lavandas pelles („nullus cerdo possit facere calcinariam nec *riuatam*" — p. 85.).
robare = derobare — furari, expilare, *robam* i. e. vestem eripere. („quicunque *robauerit* stratam in terra, nel in mari" — p. 30.).
robator = roberator — latro, fur;
saburna = saburra — sabulum, et quidquid in sentinam navis certa mensura congeritur, ne instabilis sit et ventorum vi evertatur. („nemo nauigij patronus audeat exonerare *saburnam* in puncta S. Nicolai" — p. 203.).
scaltirimentum (it. scaltrimento = scalterimento — astuzia, accortezza) — versutia, astutia.
scapilare — verberare, scapis seu fustibus caedere.
scorticare — scortiare — excoriare, pellem detrahere.
sforzare (it. sforzo — vis) — vim inferre (mulieri), violare, per vim stuprare („si aliquis *sforzauerit* mulierem" — p. 9.).
simiacum — pascuum, pastio pecuaria („las prope... *simiaci* claudat [patronus] aliter damnum sit super patrono ipsius las si pascularetur" — p. 78. — vbi fieret las.... prope *simiacum*, nullum damnum emendetur, si... fiet per animalia" — p. 82.).
sinocossa (sl.) campus feni — χορτοκόπιον.
somerius — jumentum onerarium, s. sarcinarium.
spata = spatha (σπάθα, τὸ ξίφος) major gladius, ensis (quod sit spatiosa, ampla et lata.)
spina — manubrium epistomii. („ad *spinam* vinum vendere" — p. 242.).
squassus — (it. squasso — scossa impetuosa) — succussio.
sritua — hoc nomine Dalmatae genus quoddam milii appellant („unusquisque teneatur destruere *srituam* in vineis... videlicet secando ante semen et zapando deinde a fundamento" — p. 87.).
starium = stara — sextarius.
statera (σταθμός, ζυγός) — instrumentum, quo res sine lancibus ponderantur; trutina, quae scapo constat punctis distincto, quae pondera discriminant.

stictium (rad. *steg*, sicuti in verbo *praestigiae-arum*) ni fallor-laterna caeca s. surda. (si quis inuentus fuerit in nocte.... sine lumine uel *stictio* igneo ardente" — p. 11).

strida (it. strido) — clamor („fiat *strida* per civitatem, qui uellet emere" — p. 198. — „in *stridis* et proclamationibus" — p. 68.).

stridare — per praeconem summonere.

tansare (= it. tassare) — aestimare.

tinatium = tinum = tinale — vas grande ligneum tam lavationibus quam condendis vinis paratum.

trigesimarius = trentesimarius — officialis, cujus erat datium *trigesimi* colligere (Cf. *cap.* CLXIII. et CLXIII *Reform.* de hoc datio.)

triturare — excutere frumenti grana terendo („non veleat laborator bladum *triturare* vel battere" — p. 118.).

vascellamen = vassellamen = vassellum — vas, vasum, dolium, vasculum. („pro quolibet *vasselo*, pleno capacitatis modiorum nouem" — p. 119.).

veges = vegeticulus — vas vinarium, dolium.

vlischia — domus apium — apiarium.

zapare = zappare — terram *zappa* seu ligone fodere (a fundamento *zapando* — p. 87.).

zapinus — (it. zampino) — pinus (silvestris). („incidere *zapinos* ad faciendum pegulam — p. 90.).

zeliga — (it. la sega) — serra. („forensibus lignamina incidentibus quisque insulanus possit *zeligam* accipere — p. 92.).

zopula — navicula.

OMISSA ET CORRIGENDA.

Pag. 5. versu 6. loco: perceperit, lege: preceperit.
„ 8. „ 28. „ Cap. XI. „ Cap. IX.
„ 19. omissa est ad v. *partes* (v. 4.) ponenda *adnotatio:* „Quoad emendationem corruptae huius lectionis cf. pag. 40. adn. 1."
„ 20. versu 28. loco: iudicatum, lege: iudicatus.
„ 44. „ penult. loco: antem, lege: autem.
„ 79. „ 29. loco: Cap. XXVII., lege: Cap. XXVIII.
„ 91. „ 25. „ plactandum, lege: planctandum.
„ 95. „ 8. „ Cap. LVII., lege: Cap. CVII.
„ 100. „ 13. „ posst, lege: post.
„ 113. omissa est ad v. *Statuti* (v. 4.) ponenda *adnotatio:* „Cf. *cap. LXXI. Statuti.*"
„ 123. versu 26. loco: ipsivs, lege: ipsius.
„ 172. „ 17. „ cacellarij, lege: cancellarij.
„ 200. „ 27. „ carues, lege: carnes.
„ 225. „ 13. „ casse, lege: case.
„ 243. „ 35. „ indexdi ebus, lege: index diebus.
„ 245. „ 28. „ audet, lege: audeat.
„ 272. „ 38. „ strituae, lege: srituae.

U knjižarnici Lavoslava Hartmána u Zagrebu mogu se dobiti knjige, koje izdaje jugoslavenska akademija znanostî i umjetnostî, koje izlaze njezinom pomoću i koje su prešle u njezinu svojinu:

Rad jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti. Knjiga I. do XIX. U Zagrebu 1867—1872. Ciena svakoj knjizi 1 for. 25 novč. a. v.

Rad jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti. Knjiga XX. do XXXVII. U Zagrebu 1872—1876. Ciena svakoj knjizi 1 for. 50 novč. a. v.

Monumenta spectantia historiam Slavorum meridionalium. Vol. I. II. III. IV. V. **Listine o odnošajih izmedju južnoga slavenstva i mletačke republike.** Skupio S. Ljubić. Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. Knjiga I. II. III. IV. V. U Zagrebu 1868. 1870. 1872. 1874. 1875. Ciena prvim trim knjigam po 3 for. a. v., četvrtoj 4 for. a. v. a petoj 2 for. 50 novč. a. vr.

Monumenta historico-juridica Slavorum meridionalium. P. I, v. I. **Statuta et leges Curzulae.** Zagrabiae 1877. Ciena 3 for.

Stari pisci hrvatski. I. **Pjesme Marka Marulića.** Skupio I. Kukuljević Sakcinski. Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1869. Ciena 2 for. a. v.

Stari pisci hrvatski. II. **Pjesme Šiška Menčetića Vlahovića i Gjore Držića.** Skupio V. Jagić. Na sviet izdala jugosl. akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1870. Ciena 2 for. a. v.

Stari pisci hrvatski. III. **Pjesme Mavra Vetranića Čavčića.** Dio I. Skupili dr. V. Jagić, dr. I. A. Kaznačić. Na sviet izdala jugoslav. akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1871. Ciena 2 for. a. v.

Stari pisci hrvatski. IV **Pjesme Mavra Vetranića Čavčića.** Dio II. Skupili dr. V. Jagić, dr. I. A. Kaznačić i dr. Gj. Daničić. Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1872. Ciena 2 for. 50 novč. a. v.

Stari pisci hrvatski. V. **Pjesme Nikole Dimitrovića i Nikole Nalješkovića.** Skupili dr. V. Jagić i dr. Gj. Daničić. Na sviet izdala jugosl. akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1873. Ciena 2 for. a. v.

Stari pisci hrvatski. VI. **Pjesme Petra Hektorovića i Hanibala Lucića.** Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1874. Ciena 2 for. a. vr.

Stari pisci hrvatski. VII. **Djela Marina Držića.** Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1875. Ciena 3 for. austr. vried.

ari pisci hrvatski. VIII. **Pjesme Nikole Nalješkovića, Andrije ubranovića, Miše Pelegrinovića i Saba Mišetića Bobaljevića Jegjupka neznana pjesnika.** Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1876. Ciena 1 for. 70 novč.a. vr.

arine. Izdaje jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. Knjiga I. II II. IV. V. VI. VII. VIII. U Zagrebu 1869. 1870. 1871. 1872. 1873. 1874. 875. 1876. Ciena I. knjizi 1 for. 25 novč. a v., VII. 2 for. a. v., a ostalim o 1 for. 50 novč. a. v.

Izprave o uroti bana Petra Zrinskoga i kneza Fr. Frankopana. Skupio dr. Fr. Rački. U Zagrebu 1873. Ciena 3 for.

Vetera monumenta Slavorum meridionalium historiam illustrantia. Edidit A. Theiner. Tomus I. Romae 1863. Ciena 8 for. a. v. Tomus II. Zagrabiae 1875. Ciena 10 for. a. v.

Pisani zakoni na slovenskom jugu. Bibliografski nacrt dr. V. Bogišića. Na sviet izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1872. Ciena 1 for. 25 nov. a. v.

Zbornik sadašnjih pravnih običaja u južnih Slovena. Knjiga I. **Gragja u odgovorima iz različnih krajeva slovenskoga juga.** Osnovao, skupio, uredio V. Bogišić. Na sviet izdala jugoslavenska akadedemija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1874. Ciena 6 for. a. v.

Rěčnik lěčničkoga nazivlja. Sastavio dr. Ivan Dežman. Troškom jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1868. Ciena 1 for. 50 nov. a. v.

Flora croatica. Auctoribus Dr. Jos. Schlosser et Lud. Farkaš-Vukotinović. Sumptibus et auspiciis Academiae scientiarum et artium Slavorum meridionalium. Zagrabiae 1869. Ciena 6 fl. a. v.

Dvie službe rimskoga obreda za svetkovinu sv. Ćirila i Metoda izdao Ivan Berčić. Troškom jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1870. Ciena 1 for. a. v.

Historija dubrovačke drame. Napisao prof. Armin Pavić. Izdala jugoslavenska akademija znanosti i umjetnosti. U Zagrebu 1871. Ciena 1 for. 25 nov. a. v.

Historija književnosti naroda hrvatskoga i srbskoga. Napisao V. Jagić. Pomoću jugoslavenske akademije znanosti i umjetnosti. Knjiga I. Staro doba. U Zagrebu 1867. Ciena 1 for. 20 nov. a. v

Povjestni spomenici južnih Slavenah. Izdaje Ivan Kukuljević Sakcinski. Knjiga I. U Zagrebu 1863. Ciena 3 for. a. v.

Rječnik iz književnih starina srpskih. Napisao Gj. Daničić. U 3 knjige. Ciena cielomu 6 for. a. v.

Nikolsko jevangjelje. Na svijet izdao Gj. Daničić. Ciena 1 for. 30 nov. a. v.

Život sv. Save i Simeuna. Od Domentijana. Na sviet izdao Gj. Daničić. Ciena 1 for. 30 nov. a. v.

Životi kraljeva i arhiepiskopa srpskih. Od Danila. Na svijet izdao Gj. Daničić. Ciena 1 for. 30 nov. a. v.

Poslovice. Na svijet izdao Gj. Daničić. U Zagrebu 1871. Ciena 1 for.

MONUMENTA HISTORICO-JURIDICA

SLAVORUM MERIDIONALIUM.

PARS I. VOL. II.

STATUTA

ET

LEGES

CIVITATIS SPALATI.

EDI FECIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAV. MER.

CURA

PROF. D^RIS J. J. HANEL.

ZAGRABIAE 1878.

TYPIS OFFICINAE SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE

APUD LEOP. HARTMAN.

Cod. acad. A.



Spalati.
Cōitatis
dita & cō
n. dnm p
rabili Ci
onico & ci-
is Spalati
ssimo du-
simi pris
lem & re-
mariq sep
martiris
& sancto & defe-
sione. ioris omnis
sdōr maiestas mi-
hicōrum ciui
tatis pm unicui-
q; trib. cet. p quā
mūdu criptum
ē. M. p ut pfata
Ciuitas uari=
nalea mundi
tenum ficiente
aut in ium

TCHT. ZAGREB.

MONUMENTA

HISTORICO-JURIDICA

SLAVORUM MERIDIONALIUM.

EDIT

ACADEMIA SCIENTIARUM ET ARTIUM SLAVORUM MERIDIONALIUM.

PARS I.

STATUTA ET LEGES.

VOL. II.

ZAGRABIAE 1878.

APUD LEOP. HARTMAN.

STATUTA

ET

LEGES

CIVITATIS SPALATI.

OPERA

PROF. D^RIS J. J. HANEL.

ZAGRABIAE 1878.

OFFICINA SOCIETATIS TYPOGRAPHICAE.

HARVARD COLLEGE LIBRARY
MINOT FUND
Apr. 27, 1926

PRAEFATIO.

In altero hoc, quod nunc prelum subit, volumine monumentorum historico-juridicorum, quae apud Slavos meridionales exstant, corpus statutorum et legum civitatis Spalatensis juris historiae investigatoribus offertur.

Cujus corporis partes hoc modo disponendas esse censeo:

I. *Statutum vetus.*

II. *Statuta nova.*

III. *Reformationes.*

IV. *Additamenta.*

Paucis saltem ante omnia excutiatur quaestio de origine mutuaque partium, quae modo sunt prolatae, ratione.

(ad I.) Prooemio jam statutum vetus in ea, quam nunc cognovimus, forma atque specie opus unius esse hominis, Percevali nempe Johannis, „in jure canonico et civili periti", declaratur, qui statuta et legum praescripta, quae antiquitus in civitate Spalatensi vigebant, in unum corpus redigit. Quamquam autem eodem loco statuta a Percevalo „facta, edita et condita" esse asseveratur, pro certo tamen habebimus, eum nihil aliud nisi redactionem, quam proxime indicavimus, perfecisse; Spalati enim leges scriptas jam ante saec. XIV. exstitisse, e rebus compluribus colligi potest. Verisimile, ne dicam plane perspicuum id facit gravitas illa atque auctoritas, qua civitas Spalatensis, originem ab imperatoria constitutione trahens, semper inter Dalmatiae civitates fruebatur; nam non modo jam a. 827. libertate adepta sui juris facta est atque suo judicio stetit, verum etiam a priscis jam temporibus sedes erat metropolitana, cujus metropolita a. 932. primas totius Dalmatiae et Croatiae factus est. Rerum autem naturae consentaneum est, autonomiam talem concinandis scribendisque decretis causam occasionemque haud raro praebuisse. Neque postea, cum ob turbulentas, quae non minus in hac republica ipsa, quam in ceteris Dalmatiae civitatibus saepius

oriebantur, tempestates Spalatum nunc in clientelam imperii Byzantini, nunc in dicionem reipublicae Venetae, in potestatem imperiumque modo croaticum, modo bosniense et hungaricum redacta esset, haec autonomia periit.

Insuper autem expressa literarum testimonia ejus rei habemus, complura legum praescripta, quae in corpore Percevali legimus, multo ante jam statuta exstitisse, imo vero pristinas leges Spalati viguisse.

Anno 1143. jam rex Geisa, Spalatensium jura atque privilegia confirmans, diserte: „et lege" inquit, „antiquitus constituta cum vestro judice uti permittam vos" (cf. Kukuljević — Codex dipl. II. n. 49.), quam confirmationem a. 1199. Andreas, Dalmatiae et Croatiae dux iisdem fere verbis repetit (ibid. II. n. 290). Eadem etiam verba in literis de a. 1207. legimus, quibus Andreas II. Hungariae rex Spalatensium atque totius regni Croatiae jura confirmat (cf. Kukuljević — Jura r. Cr. I. n. 36).

Specialium statutorum, jam ante Percevalum conditorum mentio fit in epistola quadam papae Alexandri III. archiepiscopo Jadrensi Lampridio a. 1160 (?) missa, in qua papa declarat, propositum sibi fuisse ex parte Absalonis, archiepiscopi Spalatensis, „quod cives Spalatenses statuerunt, ut nulli de civitate ipsorum liceat, aliquas possessiones, vel bona immobilia ecclesiae alicui donare, vendere, seu legare, se ad observationem statuti hujusmodi juramenti vinculo obstringentes". Quapropter papa mandat archiepiscopo, ut, si ita est, potestati, consilio et communi Spalatensium denunciet, extemplo pontificia auctoritate anathema eis inflictum et civitatem interdicto suppositum iri, nisi legem hanc revocent atque rescindant (cf. Farlati — Illyr. sacr. III. p. 181.).

Paulo post, anno nempe 1174. Spalatenses statuere, „quod ab hoc tempore in antea ulla femina in testificatione nullatenus recipiatur, imo penitus sit abicienda. De viris autem sic statuimus, quod duo vel tres testimonium verum reddant; veruntamen quicumque vir palam periurus inuentus fuerit comprobatus, vel in futuro repertus extiterit iam amplius nec pro se, nec pro aliis in sacramento, seu in testimonio recipietur; et insuper hoc adiungimus et unicuique homini pro aliquo furto sacramentum iudicatum fuerit, sicut est consuetudo, ille, qui sacramentum dederit, talem habeat potestatem et medietatem de sacramentarijs ad suum velle de quibuscunque voluerit eligere possit". (Cf. Lucius — Memorie ist. di Tragurio. p. 190 sq)

Statuta haec maxima ex parte cap. XXV. statuti novi et cap. VIII. libri III. statuti veteris denuo inserta legimus.

Anno 1223. comes, vicecomes, judices, consules quoque Spalatenses cum toto populo, de communi omnium voluntate firmavere, „quod amodo nullus civis, vel extraneus vinum Spaletum nec per mare, neque per terram apportet: si extraneus apportaverit, teneatur dare in commune de uno centenario decem ppr. Civis teneatur dare bannum duodecim romanat. In uindemijs nullus partem sui socij emat, suam partem afferat et partem socij derelinquat. Similiter, qui frumentum attulerit, hic vendat et extra non portet; qui aliter fecerit, soluat bannum duodecim romanatos". (Cf. Lucius — l. c.)

Hoc quoque legis praescriptum nonnullis locis statuti veteris invenimus. (Cf. lib. IV. c. 112; lib. V. cap. 20.)

Ca. a. 1240. denique Spalati jam legum et consuetudinum collectionem confectam fuisse, Thoma Archidiacono fulti affirmare possumus. In opere enim, quod „Historia Salonitanorum pontificum atque Spalatensium" inscriptnm est, auctor ille cap. XXXV. sequentia de eo profert: „Garganus (potestas civitatis) fecit quoddam volumen fieri, quod capitularium appellavit, in eo jussit conscribi omnes consuetudines bonas, quas civitas habuerat ab antiquo, superaddens multa alia jura, quae videbantur necessaria in actibus publicis et privatis .u. in causis expediendis, in maleficijs puniendis et pro justitia aequo libramine omnibus exhibenda. Quem libellum curia semper habebat prae manibus, nec absque eo judices, vel advocati ad discutienda causarum merita procedebant". (Cf. Lucius — De r. Dalm. — Amstelaed. 1666. p. 347.)

Omnino proinde sententiae assentiri possumus, quam Farlatius de Percevalo explanavit his verbis: „Dum Petrus praesidebat ecclesiae, rectorem sive potestatem Spalatenses ex Italia pro more illorum temporum sibi adsciverant, nomine Percevalem, quem et Percevalum appellatum invenio, patria Firmanum, illustri genere natum, singulari eruditione ac doctrina praeditum, prasertim vero juris utriusque egregie peritum. Hic anno 1312. jura et statuta praeclarissima, partim ex antiquis Spalatensium institutis et legibus collecta, partim ab se inventa descripsit; quibus omnia distribute atque ordine complexus, quae ad rem sacram et ecclesiasticam, civilem, militarem, forensem, annonariam pertinent, nihil omnino praetermisit, quod in omni bene morata et bene constituta civitate ad commune privatumque commodum desiderari possit. Has leges in sex libros dispertiit". (Illyr. sacr. III. p. 304.)

Idem fere asserit et Lucius dicens: „Lo statuto di Spalato, c' hoggi s' adopera" (opus Lucii a. 1674. est editum) „è stato riformato da Prencevalle di Giouani da Fermo del 1312". (l. c. p. 196.)

Licet quidem modo praedicto statueremus, redactionem statuti veteris a Percevalo saepe commemorato esse perfectam, dicere tamen nolumus, formam quoque omniumque hujus statuti capitum disponendorum rationem hodiernam, qua editioni nostrae insertum est, a redactione illa deducendam esse. Nonnulla enim, quod in aliis etiam statutis dalmatinis occurrit, legum praescripta recentiori tempore lata, locis opportunis statuti a Percevalo ordinati inserebantur. Talia autem praecepta postmodum interposita fuisse e temporis ascriptione cognoscas; ceterum pauca sunt (lib. I. c. 21; lib. IV. in f. Correctiones).

(ad II.) Statutum vetus quamquam copiosa ordinamenta atque ubertatem sententiarum complurium quae in Italiae municipiis vigebant statutorum adaequabat, tamen amplificari debuit, cum multae fuissent juris conditiones, quas Percevalus non respexit, vel quae ut novae nova etiam ordinatione egebant. In consilio proinde generali civitatis Spalatensis pertractata, nonnulla praescripta atque decreta, observato temporis quo sint edita ordine, statuto veteri adjungebantur. Eodem ordine nos quoque additamenta haec in editione nostra collocavimus, communi omnibus, ut discernerentur a statuto veteri, inscriptione statutorum novorum ea notantes, qua quidem inscriptione in omnibus codicibus, praeter codices illos manu scriptos, quos academicos vocamus, statutum a Percevalo in unum corpus redactum a recentioribus decretis, quae non sunt in reformationum volumine collecta, disjungitur.

Si vero annos, qui singulis novorum statutorum decretis sunt appositi, inspexerimus, sententiam, decreta haec observato temporis ordine statuto veteri esse adjuncta, impugnandam censebimus: facile autem nobis persvadebimus, singulos decretorum annos perperam esse appositos. Cum autem annorum haec appositio in omnibus, quos contulimus codicibus manuscriptis una sit eademque, in editione hac eam mutare non sumus ausi; nonnulla tamen, quo res certius pateat, dicemus.

Cap. I.—V. novorum statutorum tempore comitis Jacobi Gradenico de Venetiis sunt facta, annus proinde 1333. juste eis appositus apparet. Annum quoque 1305. quo cap. VI. atque VII. conceptum esse declaratur, falso appositum esse pro certo habebimus, respicientes, Pantaleonem illum Justinianum de Venetiis, ad quem

statuta haec spectant, anno 1334. comitem Spalatensem esse factum (cf. Reform. cap. XI. et Ljubić — Monum. spect. hist. Sl. m. I. p. 436), atque anno, quem modo nominavimus seqentibusque civitati praefuisse (cf. Reform. cap. XIII. CIII. Ljubić — l. c. I. p. 443). Statuta haec itaque post annum 1334. edita esse, sine dubio affirmari licet. Re vera indictio quarta, quae utroque statuto apponitur, annum 1336. indicat, eodemque anno ambo statuta edita esse, satis dilucide apparet.

Cap. VIII.—XXV. statuti novi observato temporis ordine digesta sunt annosque, quibus edita esse dicuntur, recte appositos esse censemus.

Cap. XXVI. statuti novi annum 1350., qui ibi citatur, itidem ut illum, qui cap. VI. et VII. appositus est, secus appositum censemus. Inscriptio enim ipsa capitis XXVI. indicat, correctionem statuti factam esse „regnante Ludovico, Ungariae rege, tempore Hugolini, archiepiscopi Spalatensis". Quamquam constat, Hugolinum de Branca anno jam 1349. archiepiscopum Spalatensem electum esse (Farlati — l. c. III. 326.), nemo etiam est, qui ignoret, civitatem Spalatensem sicut et totius fere Dalmatiae municipia anno 1357. demum sub jus ditionemque regis Ludovici I. redactam esse (cf. Fessler — Gesch. d. Ung. III. p. 354 sq.); Ludovicus igitur una cum Hugolino summam saecularem atque spiritualem potestatem Spalati prius obtinere non poterat, quam sub finem anni 1357. Cum autem indictio undecima, quam cap. XXVI. insertam invenimus, ad annum 1358. spectet, non ambiguum est, ut nostra quidem opinio fert, statutum quoque modo laudatum anno 1358. compositum esse.

Annorum appositio in cap. XXVII—XXXI. absque dubio rite facta est.

Statuta itaque omnia, quae in novorum statutorum volumine redacta sunt, annorum spatium triginta et quatuor, ab anno nempe 1333. usque ad a. 1367. complectuntur.

(ad III.) Rationem causamque, ex qua sit erectus liber reformationum, illa itaque collectio, in quam referebantur generalis consilii civitatis decreta, quibus vel pristina statuta reformarentur, supplerentur, vel novae conditiones ordinarentur, breve illud prooemium, quod tabulam reformationum recompilandarum sequitur, indicat. Partes enim „per longaeua tempora captae" atque in diversis libris scriptae, „de ipsis libris electae et extractae" in hoc libro redigantur, „quia magis uidentur in se habere necessitatem

obseruandi, ut si consilio uidebitur, addantur in statuto communis Spalati" (pag. 260. h. ed.).

Quo autem anno hic liber reformationum confectus sit, neque ex prooemio illo, neque e libro ipso satis dilucide apparet; nomina vero nobilium, qui ad reformationes compillandas deputati fuere, adminicula nobis afferunt, quibus fulti, annum hunc constituere possumus. Inferiori enim loco reformationum mentio fit, duos ex nobilibus, prooemio illo nominatis, Bilsciam nempe Cypriani et Thomam Dobroli electos esse in consilio generali civitatis Spalati ut „habeant arbitrium intrandi cameram communis, ubi sunt scripturae et invenire omnes reformationes, quae tangunt publicam utilitatem in omnibus occurrentibus negotijs, quae reducantur in scriptis per eosdem deinde ad consilium generale" (cap. XCVI. reform.). Mandatum hocce ad reformationum collectionem conficiendam spectat, imo eam ipsam, ut opinor, a nobilibus modo nominatis, quibus tertius nobilis quidam, Jancus Duymi socium comitemque se adjunxit, confectam provocavit.

Mandatum reformationum recolligendarum acceperunt deputati illi „ad reformationes compillandas" anno 1382. duorumque annorum intervallo mandatum hoc ab iis exactum esse hoc praesertim indicium declarat, quod recentior collectioni illi inserta reformatio (cap. XXX.) ad diem 27. Novembris a 1384. pertinet. Quam ob rem anno 1385. ineunte collectionem perfectam et generali consilio civitatis approbationis causa propositam esse censeo.

Compilatores libri reformationum neque temporis ordinem, quo singula decreta edita sunt, observarunt, neque ratione quadam bene instituta ea disposuerunt, imo vero decreta ex veterioribus generalis consilii civitatis edictorum collectionibus, ut sibi quaeque gravioris majorisque momenti apparuerunt, in novum reformationum corpus retulisse videntur.

Inter ceteras, quae in nova collectione relatae sunt, reformationes, singulari quodam modo una reformatio occurrit, anno 1300., ante tempus igitur, quo statutum vetus in unum corpus redactum est, edita (cap. XXVII.). Nisi forte anni hanc inscriptionem mendo librarii appositam credas, quod facile cogitare poteris, si in mentem tibi revocaveris ea, quae supra de falsa annorum appositione attulimus: rem eam pro novo argumento opinionis nostrae, jam ante tempus Percevali scriptam legum collectionem Spalati exstitisse, procul dubio habere possumus. Sententia haec adhuc magis firmatur

libri veteris reformationum mentione illa, quae cap. CXII. reform. nobis obversatur.

— Confectione libri reformationum operae codificatoriae Spalati finitae esse videntur, quamquam et postea novae conditiones saepius novis etiam ordinationibus statuendis occasionem praebere poterant. Satis autem turbulentae et variae civitatis tempestates, quae Spalatum praesertim post annum 1385. usque ad annum 1420., quo anno civitas sub jus dicionemque Venetorum pervenit, invasere, minus fovebant laboribus atque studiis, quibus novae leges conderentur.

(ad IV.) In nonnullis codicibus manuscriptis singula documenta reperiuntur, quae partim de subjectione civitatis Spalati sub dicionem Venetorum et de confirmatione statutorum Spalatensium ea occasione facta agunt, partim juris quasdam conditiones denuo ordinant. Quoniam antem censeo, documenta illa haud parvi esse momenti ad historiam juris cognoscendam, ea in additamentis hujus statutorum ac legum Spalatensium editionis edere non dubito.

— Codices manuscripti, quibus statuta atque leges civitatis Spalati continentur, hi sunt, quos commemorem:

1.) Codex manuscriptus, qui servatur in tabulario litterarum artiumque academiae Slavorum meridionalium, quemque cod. acad. A. in hac editione denoto.

Codex hic, optime conservatus, conscriptus est in membrana in folio comprehenditque 80 folia, quae — ultimo excepto — numeris sunt signata atque dena in unum colligata. Prima aliquot folia bibliopegi cuiusdam, qui codicem nuper simplici modo compegit, incuria perverse sunt ligata.

Textus statutorum incipit prima pagina codicis explicitque verbo „Finis“ prima pagina 79. folii. Folium ultimum codicis vacuum est. Omnes paginae distinctae sunt lineis, inter quas textus statutorum una eademque manu clare et composite parvis literis ita scriptus est, ut 40 versibus singulae paginae foliorum compleantur. Atramentum, quo codex noster est scriptus, multis jam locis vetustate expalluit. Inscriptiones singulorum capitum rubro colore sunt pictae, nullis autem numeris a scriptore ipsius textus numeratae. Manus demum recens numeros minus accurate apposuit. Literae capitum initiales mox rubro, mox caeruleo colore sunt pictae, interdum etiam, initio praesertim cujusque statutorum libri modo venustissimo, quem renaissance vocant, exornatae.

Scriptus est cod. acad. A, uti primo obtutu, ne afferam inter alia illa etiam literarum initialium florida ornamenta, perspici licet,

saec. XV. In margine codicis nonnullae, ut videntur XVII. saec. adscriptae sunt glossae, quas, quantum agnosci possunt, in adnotationibus hujus editionis posui. Quo accuratius denique proprietas cod. acad. A proponeretur, imaginem, quam facsimile dicunt, primae paginae partis addidi.

Quod ad materiam, quae cod. acad. A continetur attinet, textus quidem statuti et veteris et novi inest, ita tamen, ut nullo modo inter se discernatur, imo vero verba: „quod dedit expleri, laudentur inte fideli" (pag. 232. ed. n.), quibus statutum vetus explicit, ita verbis: „hoc est quoddam statutum" etc. (pag. 233), quibus novum incipit statutum, superscripta sunt, quasi inscriptionem unius cujusdam capitis exponerent. Accedit etiam post „tabulam reformationum recompillandarum" textus libri reformationum usque ad verba, quibus cap. CVIII. hujus nostrae editionis (pag. 297.) explicit: „fiat pro singulis personis".

2.) Codex manuscriptus ejusdem academiae, quem in hac nostra editione cod. acad. B vocamus.

Voluminosus hic codex membraneus formae quartanariae integumentum habet scorteum, rude confectum, quod hinc inde a tineis exesum est. Membranae splendore carent et impolitae sunt, neque singula eorum folia numeris signata sunt; superiori autem eorum margini ascriptus est numerus libri, ad quem capita, quae singulis paginis sunt scripta, spectant.

Textum binis columnis literis magnis et satis nitidis scriptum, multis autem locis jam dilutum atque manu recenti restauratum invenies. Columna quaeque 20 versus continet. Inscriptiones capitum rubro colore sunt pictae, interdum quoque, prima potissimum parte totius codicis, eleganter nigro colore delineatae variisque figuris animalium exornatae.

Initio saec. XV. codicem, cujns specimina editioni huic etiam addidi, scriptum esse censeo.

Ut cod. acad A, ita hic etiam codex manuscriptus textum utriusque statuti continet atque libri reformationum reformationesque eodem etiam loco, ut in cod. acad. A finiuntur. Praeter haec invenies ibidem et illa literarum monumenta, quae in additamentis hujus operis edidimus.

Complures autem, quod magnopere doleo, desunt membranae codicis. Possessor quidam ejus foliis chartaceis eas supplevit ibidemque loca desiderata ex alio codice manuscripto retulit. Loca haec sunt, quae tali modo recenter in codicem sunt relata:

a) primo libro statuti veteris cap. XVIII. a verbis: „laborerium faciendum. Et qui contrafecerit“ etc. (pag. 15. ed.) usque ad verba cap. XXI.: „ammittendi id, quod venditum esset“ (pag. 16.).

b) cap. I. libri secundi statuti veteris verba: (inue)niri. In cuius electione“ etc. (pag. 19.), usque ad verba: „(ipsi) fratres publice et palam coram consilio“ etc (pag. 20.).

c) libro quarto statuti veteris a verbis cap. XVI.: (statuti) non obstante, si non fuerit etc. (pag. 143) usque ad verba cap. XLV.: „(praesumatur) et uim ui repellere“ etc. (pag. 155 i. f.).

d) in libro reformationum verba cap. XXVI.: „(poena) xl soldorum et etiam teneantur“ etc. (pag. 271) usque ad finem.

Nec minus et documenta in additamentis posita recentiori illa manu sunt scripta, quae et alteras codicis hujus lacunas explere studuit.

3.) Codex manuscriptus chartaceus in 4°, quem nunc tempore d. Giacomo Chiudina Spalatensis possidet mihique, d. Sim. Ljubićio benigne intercedente, inspiciendum Zagrabiam misit.

Inscriptio statuti veteris, qui a novis statutis diserte distinguitur, pagina prima sexti folii in hunc modum scripta est: „Statuta Spalatinae urbis per excell. d. Percevallum nobilem de Fermo in utroq. jure peritum et ejusdem civitatis potestatem edita anno Mcccxij. tune sedente sanm̃o in terris Clemente V. pontifice maximo, nunc vero praesidente universali matri ecclesiae Clemente X. imperante serm̃o. Venetiarum duce Dominico Contareno, sub auspicijs illm̃i et reñdimi d. d. co. Bonifacij Albani, archiep̃i Spalatensis, totius Dalmatiae et Croatiae primatis a Petro Luposignoli Spalatensi J. U. D. Hungariae universique Illirij nob. et in eadem metropolitana Spalaten. canonico ac auditore generali, in paragraphos distincta, indice et repertorio locupletata, nec non decisionibus tam ducalibus quam generalitijs varie emanatis aucta. Tomus primus. Anno salutis Mdclxxj.“

In pagina proxima literae dedicationis his verbis sunt inscriptae:

„Illm̃o et revm̃o d. d. Bonifacio Albano archiepiscopo Spalaten. alias Salonitan. Dalmatię et Croatię primati.

Auctor hujus voluminis Spalatinę civitatis, municipales nempe leges continentis, divina humanaque pręcepta complexurus pro rata justitiam pręfixit, eo sacrę paginę exorsus argumento: „per me reges regnant“ et secutus Justinianum in prooemio de justitia et jure in hujus populi animis conatus est imprimere, honeste vivere, alterum non lędere, jus suum unicuique tribuere, nullo pacto conservari melius civitates, quam justitię adminiculo, Romanorum exemplo

(ipso testante) persuasus, qui tamdiu monarchiam tenuere, quamdiu justitiam vigere studuerunt. Verum quia ex libero hominum arbitrio, adeo effrenatam cupiditatem, pacis ęmulam cognovit auctor, ut in dies discordias et graviora facinora posset patrare, cujus nisi conatus reprimeret justitia, haud Spalatum recto ordine posse gubernari, hinc vatis monitu: „oderunt peccare mali formidine pęnę", nonnullas tulit leges, ut mali homines a malitijs abstinerent et boni valerent pacifice et quiete vivere. Hi enim adstipulante poëta: „oderunt peccáre boni virtutis amore."

Quem igitur populum tempore sanctissimi patris Clementis V. primus auctor pręceptis justitię imbuendum desudavit, hunc modo ipsis auctis et meliori, quam olim ordine dispositis sub X. ejusdem nominis summo pontifice, tuo paterno affectui et pastorali zelo commendat, Teque Clementem undecimum auspicatur

Illmę et rdmę. d. suę
humiliss. servus
Petrus Luposignoli J. U. D.

Spalati 20. Septemb. 1671.

Sequitur dissertatio: „De origine Spalati", quae verbis: „Pręfatus autem dominus Perceualus" (pag. 3. ed. n.) incipit atque versu: „Non eget exterius, qui moribus intus habundat" (pag. 4. i. f.) explicit. Recentiori deinde manu inscripta est explanatio nominis Percevali (pag. 6. versus 5. et 6.). „Indicem capitulorum in statutorum libris contentorum alphabetico ordine collocatum", qui ad quatuor tantum libros statuti veteris pertinet, sequitur textus ejusdem statuti, divisi, ut inscriptio ejus jam indicat, non solum in singula librorum capita, sed etiam in paragraphos. Statutum vetus explicit verbis: „post recessum ejusdem domini Percevali potestatis civitatis Spalati saepius nominati. — Finis tomi primi."

Inscriptio statutorum novorum atque reformationum collectionis haec est: „Statuta nova Spalatinae urbis cum libro reformationum in paragraphos distincta, indice et repertorio locupletata nec non privilegijs et decisionibus, tam ducalibus, quam generalitijs varie emanatis aucta. — Tomus secundus."

„Index capitulorum in statutorum novorum nec non reformationum libris contentorum alphabetico ordine collocatus" et hic reperitur singulaque capita constanter in §§. sunt divisa.

Reformationum collectio praeter illa, quae in codicibus modo descriptis legimus, quatuor capita continet, quae in hac editione numeris CIX—CXII. signata sunt.

In appendice, inscriptione: „Privilegia Spalatensia“ inscripto, illud Thomae Moecenigi privilegium a. 1420. Spalatensibus datum invenies, quod in additamentis hujus operis sub no. I. affero.

Codicem hunc in adnotationibus, quantum ad lectiones emendandas profuit, cod. Chiud. appellavi.

4.) Exemplar statutorum Spalatensium, quod custos musei nationalis Zagrabiensis atque academiae nostrae socius dom. Sim. Ljubićius sua manu partim ex codice manuscripto, quem modo sub no. 3. descripsi, partim ex codice collectionis Cicognae, de quo postea sub no. 6. uberius dicam, transcripserat mihique benigne utendum permisit.

Exemplar hoc, ex autographis summa cum diligentia exscriptum, textum imprimis statuti veteris, dein novorum statutorum atque ex libro reformationum viginti et sex capita (pag. 271. ed. n.) continet.

6.) In bibliotheca fr. o. s. Francisci Ragusaei servatur[1] codex manuscriptus, qui italicam statutorum atque reformationum Spalatensium conversionem continet.

Codex hic chartaceus formae quartanariae qui XVIII. saec. scriptus est, comprehendit 111 folia, de quibus prima 105 numeris signata sunt. Foliis signatis utrumque statutum, ultimis sex deinde liber reformationum scriptus est.

Statutum vetus incipit verbis: In nome de Dio. Amen. — Questi sono li statuti, ordinamenti del commune et homeni della città di Spalato, fatti, ordinati et composti per lo probile e sauio huomo messer Princiualle de Joanni della nobile et honoreuole città de Fermo.., Mcccxij indictione x. al tempo de sanctiss. ptfce. mmo. Clemente papa V.“

Conversio haec plane congruit cum statutorum ac reformationum collectione, quam in cod. Chiud. reperimus, hoc tantum discrimine, quod 22 tantum capita reformationum continet.

— His igitur codicibus ad editionem stututorum ac legum Spalatensium conficiendam usus sum. Praeter hos alii quoque nonnulli codices exstant, quos quamvis summopere editioni huic supponere studuerim, tamen mihi non contigit ut obtinerem; sed sine magno hujus opusculi detrimento, nam auctoribus certissimis atque fidissimis de natura et toto charactere, qui dicitur, edoctus eos prorsus nihil continere mihi persuasum habeo, quo editio perfectior evadat. Sunt autem hi:

[1] In catalogo bibl. fra. In. Ciulich n. 325.

6.) Codex manuscriptus, de quo jam superius mentionem feci, qui servatur in collectione Cicognae (museo cıvico) Venetiis sub no 1189. Scriptus est in charta, folio parvo, saec. XVII. continetque textum veteris et novi statuti atque libri reformationum. Singulae hae partes expresse distinguuntur. Verba, quibus statutum vetus incipit, haec sunt: „Incipit prohemium statutorum Spalati. Haec sunt statuta et ordinamenta communitatis et hominum ciuitatis Spalati“ etc. In fine libri reformationum, folio 138. cod. legimus clausulam ad fidem faciendam adscriptam: „Andreas Gaudentius v. cancell. civilis Spalati ex alio autentico aliena sibi fida manu descriptum collationavit, subscripsit et sigillavit“. Sed contra hanc confirmationem scriptorem codicis minimam curam operi suo adhibuisse, primo aspectu nobis persvadebimus; Ljubićius quoque in adnotatione quadam descriptionis suae plane dicit de hoc codice: „il quale è zeppo di spropositi“.

7.) Codex chartaceus in 4° ex eadem Cicognae collectione (num. 3116.) XVIII. saec. „Statuto municipale di Spalato“ inscriptus, qui sex libros veteris statuti continet.

Codex hic incipit verbis: „In nome di Dio. Amen. Questi sono li statuti et ordinazioni del commune et uomini delle città di Spalato,“ explicitque: . . . „e per comun de Spalato in perpetuo si debba gouernare.“

8.) In tabulario s. Marci Venetiis[1] exstat codex chartaceus XVIII. saec. ubi singulae statutorum partes distinguuntur. Ceteroquin codex hic cum cod. Chiud. omnino congruere videtur.

9.) Magistratus denique civitatis Spalatensis manuscriptum possidet codicem membraneum in folio, qui sex libros statuti veteris atque statuta nova lingua italica conscripta continet.

Etsi autem codex hic, quem mihi animo promptissimo d. prof. M. Glavinićius, musei Spalatensis custos descripserat, eodem saltem tempore scriptus est, quo scriptus est cod. acad. B, tamen pro certo habeo statutum Spalatense latine primo conceptum esse, codicem proinde illum italicam versionem continere. In ipsa enim Italia eodem tempore, quo statutum Spalatense confectum est, leges municipales latine scribebantur: illa modo legum Spalatensium fragmenta, quae supra commemoravi, latine conscripta esse moneo; eodem modo etiam Venetorum respublica, cum statuta Spalatensia confirmaret, lingua latina utebatur. Quam ob rem a vero haud multum aber-

[1] Cf. Bibliotheca manuscripta ad S. Marci Venetiarum. Codices Mss latini. T. III. Ven. 1870. p. 145. sq.

rare puto, si verba Lucii in libro supra commemorato de statutis dalmatinis generatim facta,[1] ad linguam, qua statuta Spalatensia sint conscripta, refero.

Ceterum quanti Spalatenses ipsi statuta sua aestimaverint, non minus inde eluet, quod ea iterum atque saepius describenda et in populi sermonem transferenda curaverunt, quam quod summa consectatione studuerunt, ut statuta ipsa quam optime atque perfectissime conformarentur. Praeclarum hujus rei exemplum praebet concinna quaedam Antonii Proculiani, cancellarii civitatis Spalatensis oratio, in qua profert, se conari: „le vostre leggi, che statuto municipale chiamate, con bellissimo ordine, stile da una banda latino, dall' altra commune horamai al mondo, italiano, conformatione colla philosophia divina, naturale, morale, ragion canonica, civile, reformato, ornato, migliorato presentarvi tale, che con più belli di questa et d' altre provincie possa comparere".[2]

Spalatenses itaque operam etiam dedisse, ut statutum typis exprimeretur, haud mirum videbitur. Hanc rem jam paratam fuisse, ex literarum monumento apparet, quod in tabulario officialium, qui „Reformatori dello studio di Padova" vocabantur, servabatur, nunc autem mihi a d. Sim. Ljubićio utendum benigne est permissum. Tenor praecipuae partis documenti illius, in quo temporis ascriptio non reperitur, sequens est: „Informatione. — L' arciuescouo di Spalato desidera hauere nel suo seminario una stamparia di caratteri. Li motiui sono; il commodo di imprimere i libri in lingua Illirica ... il decoro, che risultarà al seminario stesso ...

La prima opera, che sarà in pronto stamparsi, si è lo statuto di questa città, che già uoleua spedirlo altroue per la impressione; onde si manda alla dominante per la solita indispensabile approuatione e licenza delli ecc. reformatori dello studio di Padua, il che si farà per tutti gl' altri libri: e quanto alli fogli volanti, saranno questi riueduti dall' arciuescouo, che è assieme inquisitore et approuati dal publico rappresentante col consueto imprimatur".

Lo stampatore sarà" . . . .

Neque tamen statutum Spalatense ad nostram usque aetatem literarum formis exscriptum est.

---

[1] „Questi statuti si come sono scritti in lingua romana, o latina antica, cosi vi sono inserte alcune parole di lingua latina corrotta, ò volgare, et altre di lingua slaua, ò croata". Cf. l. c. pag. 192.

[2] Cf. Orazione detta da Antonio Proculiano cancelliere della magnifica communità di Spalato. Venezia 1567. — in 4°.

— Prima proinde haec statutorum et legum civitatis Spalatensis editio codici acad. A innititur, ita ut ejus se scripturae accuratissime applicet. Quo melius singulae statutorum partes internoscantur, inscriptionem utroque statuto atque reformationum libro apposui, distinctionem vero capitum in paragraphos, quae in cod. Chiud. reperitur, omittendam esse putavi. Lectiones codicis acad. A cum codicibus ceteris comparavi lectionumque varietates quae quidem, quod per transennam moneo, leves sunt, in adnotationibus explanavi.

Indicem capitulorum alphabeticum ex ipso Chiud. codice recipere non sum ausus, quia ad res ipsas, quae in statutis continentur, explicandas nihil omnino prodest; ejus tamen loco editioni huic praeter capitum indicem duos indices alphabeticos, rerum nempe, quae gravioris sunt momenti atque personarum et locorum adieci.

Glossario denique verba difficiliora, quae obversantur, interpretari conatus sum.

Ceterum opusculum hoc in publicum emittens, facere non possum, quin viros doctos Sim. Ljubićium et M. Glavinićium gratias meas easque sincerissimas ut animo benevolo recipiant, quam humanissime rogem.

Zagrabiae Idibus Maii MDCCCLXXVIII.

J. J. H.

CORRIGENDA.

Pag.	35.	versu	20.	loco:	donando, de,	lege:	donando. de.
„	43.	„	11.	„	qnod,	„	quod.
„	45.	„	10.	„	communi,	„	communis.
„	51.	„	27.	„	Cap. LVII,	„	Cap LVIII.
„	59.	„	ult.	„	Cxoj,	„	Cxvj.
„	78.	„	4.	„	comissalibus,	„	commissalibus.
„	81.	„	17.	„	defnncti,	„	defuncti.
„	86.	„	22.	„	statutnm,	„	statutum.
„	91.	„	penult.	„	excalumpniaticne,	„	excalumpniatione.
„	117.	„	1.	„	medietatnm,	„	medietatem.
„	—	„	5.	„	malnm,	„	malum.
„	121.	„	15.	„	restutione,	„	restitutione.
„	126.	„	7.	„	commuue,	„	commune.
„	—	„	29.	„	ptincipalis,	„	principalis.
„	—	„	30.	„	eam,	„	eum.
„	130.	„	8.	„	incediarijs,	„	incendiarijs.
„	—	„	35.	„	lviiijj,	„	lviiij.
„	131.	„	35.	„	furnarrijs,	„	furnarijs.
„	132.	„	11.	„	dicipiat,	„	decipiat.
„	144.	„	32.	„	ailquem,	„	aliquem.
„	145.	„	27.	„	maleficinm,	„	maleficium.
„	—	„	33.	„	et ante quod,	„	et ante, quod.
„	147.	„	18.	„	Cap. XXVI.	„	Cap. XXVII.
„	153.	„	24.	„	Cap. LXI.	„	Cap. XLI.
„	154.	„	27.	„	descedunt,	„	descendunt.
„	151.	„	6.	„	iudicium,	„	iudicum.
„	162.	„	21.	„	usto,	„	iusto.
„	163.	„	13.	„	alias,	„	alios.
„	175.	„	5.	„	uidemiata,	„	uindemiata.
„	—	„	—	„	uiademiata.	„	uindemiata.
„	180.	„	15.	„	Cvp.,	„	Cap.
„	181.	„	28.	„	Gap.,	„	Cap.
„	187.	„	19.	„	iu,	„	in.
„	222.	„	19.	„	rt,	„	et.
„	240.	„	18.	„	Johannis, Raboldi,	„	Johannis Raboldi.
„	278.	„	10.	„	dnnuntiare,	„	denuntiare.

I.

STATUTUM VETUS.

INCIPIT PROHEMIUM STATUTORUM SPALATI.

Hęc sunt statuta et ordinamenta communitatis et hominum ciuitatis Spalati, facta, edita[1] et condita[2] per nobilem et sapientem uirum, dominum Perceualum Johannis, de nobili et honorabili ciuitate Firmana, peritum in iure canonico et ciuili, honorabilem potestatem ciuitatis Spalati sub anno domini Millesimo trecentesimo duodecimo, indictione decima; tempore sanctissimi principis domini[3] Clementis papę quinti, ad laudem et reuerentiam omnipotentis Dei et beatę Marię semper uirginis[4], specialiter beati Domnij[5] martiris et sancti Anastasij, patronorum dictę ciuitatis; quorum pręsidio et defensione Spalatina ciuitas in pacifico statu[6] gubernatur, et aliorum omnium sanctorum et sanctarum Dei, quorum intercessionibus diuina maiestas misericorditer inclinetur ad illuminandum mentes et animos hominum ciuitatis prędictę, ut honeste uiuant, alterum non ledant et ius suum unicuique tribuant cum effectu et ut debita iusticia ęqualiter obseruetur, per quam mundus uniuersaliter secundum rectum ordinem gubernatur.

Scriptum est enim: „per me reges regnant et potentes scribunt iusticiam".

Et ad hoc ut prefata ciuitas Spalatina diuino semper auxilio suffragante perpetuo conseruari ualeat in statu pacifico et tranquillo: nam Roma tam diu mundi tenuit monarchiam, quam diu uiguit iusticia in Romanis; deficiente autem in eis iusticia, defecit dominium Romanorum.

---

[1] Cod. acad. B: „hedita". [2] ibid.: „composita". [3] ibid.: „sanctissimi patris". [4] ibid.: „et". [5] ibid.: „Dompnij". [6] ibid.: „statu pacifico".

EXORDIUM[1].

Diuina sapientia cuncta prospiciens ab ęterno, humanam condidit creaturam, sibi omnia subiciens mundana ratione ac etiam intellectu eam feliciter decorando. Concessit etiam eidem liberum arbitrium, ut ipso uteretur in bonum ac propter dona sibi celitus attributa, uicia fugeret et praue agere formidaret et non solum a uicijs abstineret, sed puris et sinceris affectibus cum reuerentia creatoris exercere uirtutes et benefacere solicite procuraret. Verum ex arbitrio libero ipsorum hominum cupiditas effrenata, pacis emula, diuina beneficia nullatenus recognoscens, lites, contentiones et discordias cotidie generat inter gentes, ut, nisi iusticia conatus eius reprimeret, non posset mundus secundum rectum ordinem gubernari. Ideoque leges sunt proditae, ut mali homines ab eorum malicijs et erroribus conpescantur[2] et boni iustique homines uiuere ualeant pacifice et quiete. Scriptum est enim: „Ante Dei uultum nihil pertransit inultum". Lex enim non fuit necessaria propter bonos, quum sibi est lex quilibet probus homo et si a nemine puniretur, tum ex sua industria natali propter Deum male agere propensius euitaret. Scriptum est enim: „Oderunt[3] peccare boni uirtutis amore. Oderunt[4] peccare mali formidine pęnę". Cum igitur quod quisque populus sibi legem constituit, sapienter hoc pro lege debeat obseruare, ac[5] nobilis ciuitas Spalatina, quę a famosa ciuitate Salona traxit originem, cupiens feliciter uiuere ordinate, quantum ad Deum, quantum ad se et quantum ad proximos iuxta sanctissimam euangelicam ueritatem: infrascriptas leges municipales edere procurauit, secundum formam inferius declaratam, et ipsas leges municipales, statuta et ordinamenta sub congruis titulis collocare, nec non in sex libros ea uniuersaliter et singulariter collocando.

In primo quidem libro[6] tractatur de sacrosanctis ecclesijs et omnibus, quę ad diuinum cultum pertinere noscuntur: ad religiones, uenerationes[7] sanctorum et etiam pija loca.

In secundo libro tractatur de electione potestatis ciuitatis Spalati et de suo offitio et de omnibus offitialibus ciuitatis prę-

[1] Deest in cod. acad. B. [2] Cod. acad. A: „compescant". [3] Cod. acad. B: „hoderunt". [4] ibid.: „hoderunt". [5] ibid.: „hac". [6] Cod. acad. B. praeter has inscriptiones etiam rubricas, rubro colore pictas habet et quidem: „Libro primo" — „Libro secundo" etc. [7] id. hic et ubique antiquiorem scribendi modum: „veneraciones, eleccione", etc. praebet.

dictę et de eorum salarijs et de omnibus, quę ad eorum offitium pertinent et expectant.

In tertio libro tractatur de causis ciuilibus et de ordine ipsarum causarum ciuilium et de omnibus, quę ad causas ciuiles possint quomodolibet pertinere.

In quarto libro tractatur de maleficijs et causis criminalibus et earum ordine obseruando et de omnibus et singulis, quę ad causas criminales et ad maleficia possunt plenarie pertinere.

In quinto libro tractatur de uijs, fontibus, pontibus et de edificijs[1] faciendis et de suprastantibus ad ipsa edificia[2] facienda. Et de ordinamentis super custodia bladi et super facto salis communis Spalati.

In sexto libro tractatur de omnibus et singulis extraordinarijs, quę non possunt commode singulariter sub proprijs titulis collocari.

Pręfatus autem Perceualus potestas dictę ciuitatis Spalati ad memoriam sempiternam studuit per scripturas antiquas iuris canonici et ciuilis et per morales philosophos et poëtas inuestigare ac rationabiliter conprobare nobilitatem ciuitatis Spalati, ut ciues Spalatini de antiqua nobilitate ipsorum habeant noticiam manifestam.

Sciendum est igitur, quod ciuitas Spalatina traxit originem a famosa et nobili ciuitate Salona. Nam Spalatum secundum ueram ethimologiam et interpretationem nominis ipsius ciuitatis dicitur proprie Spalatum, id est Salonę palatium lętum uel Salonę palatium latum a Diocliciano imperatore mirabiliter fabricatum. Et ideo dictus dominus Perceualus fecit uersum in sigillo ciuitatis Spalati[3]: „Palatium lętum, Spalatum Salonę quietum“. Post destructionem autem Salonę principes, comites, barones, milites et alij nobiles dictę ciuitatis Salonę in insulis fugientes accesserunt prudenter ad palatium Spalatinum et ibi postmodum habitauerunt. Ex quibus Salonitanis ciuibus nati sunt Deo auctore successiuis temporibus nobiles Spalatini. Et ideo uero sunt nobiles et uera fama nobilitatis eorum, quum ortum a nobilibus habuerunt, sicut Veneti, Paduani et alij quam plures[4] nobiles habuerunt eorum antiquam originem a Troyanis et alijs nobilibus huius orbis.

De nobili autem ciuitate Salona fit mentio in iure canonico in multis decretis inuestigatis per ipsum dominum Perceualum, ut in decretis Lxxiiij^{a} distinctione in capitulo honoratus et Lxiij^{a}

---

[1] Cod. acad. B: „hedificijs“. [2] ibid. m. c. [3] ibid.: „qui est talis:“ [4] ibid.: „multi“.

distinctione, capitulo Salonitanę et Lxxxxiij^a distinctione[1] miratus ualde. Et xj^a, quęstione iij^a[2], rogo; et xj^a, quęstione ultima[3], cum aliquis ad finem; et ij^a, quęstione v^a[4], quarto et capitulo sequenti; et xxiij^a[5], de illicita.

Et Spalatini etiam debent esse naturaliter sapientes et iusti, quum Salon primus leges Atheniensibus tradidit, ut probatur in decretis, prima, distinctione vij^a[6], Moyses. Et fit etiam mentio de Salona et legibus eius instituta de iure natali gentium et ciuili §°: sed ius quidem ciuile. Valerius autem recitat de Salone philosopho, quum in senectute sua et ętate decrepita scienciam discere nou cessabat et in ultimo die suae uitę euntibus amicis ad Salonem philosophum et conferentibus coram eo de quadam quęstione, quę creditur fuisse de conseruatione rei publicę ciuitatis Salonę, per quem modum ciuitas Salonę posset melius et salubrius in statu pacifico gubernari: Salon in continenti caput errexit; interrogatus autem ab amicis astantibus, quare hoc fecisset, respondit, ut cum istud, quod disceptatis, audiero perfecte determinari cum gaudio pro statu rei publicę, in pace moriar et quiescam.

Similiter de dicta ciuitate Salona fit mentio per Lucanum:

„Qua maris Adriaci longas ferit unda Salonas"
„Et trepidum in mole Zephyros excurit Yader".

Quia igitur Spalatini sunt nobiles, ideo sunt naturaliter uirtuosi.

„Parcite natales timidi numerare dierum"
„Cęsaribus uirtus contigit ante diem"
„Judicium, mores nobilitatis habent"
„Moribus ingenuis apparet nobilis ortus"
„Moribus et uita nobilitatur homo".
„Si pater noster Adam si mater et Eua",
„Cur non sumus omnes[7] nobilitate pares?„
„Degenerant uitijs homines fiuntque peiores[8]"
„Exaltat uirtus nobilitando genus"
„Nobilitas animi sola est, quę moribus ornat";
„Non eget exterius, qui moribus intus habundat";[9]

---

[1] Cod. acad. B: „distinccione, capitulo". [2] ibid.: „capitulo". [3] ibid.: „capitulo". [4] ibid.: „capitulo". [5] ibid: „capitulo". [6] ibid.: „in capitulo". [7] Cod. Chiud: „Cur sumus haud omnes". [8] ibid.: „priores". [9] In cod. Chiud. quae nunc sequuntur, omnia desunt usque ad versus, interpretationem nominis Percevallus continentes.

„Virtus nobilitat animum virtute remota“:
„Migrat in exilium nobilitatis honor“
„Nobilitas, hominis uirtus, deitatis ymago“,
„Nobilitas hominis uirtutum clara propago“.
„Nobilitas animi sola est atque unica uirtus“.
„Credis, opes solas te posse carine beare?“
„Virtus est sola, quę te[1] beare potest“.
„Quem uirtus extollit, habet, quod pręferat auro“.

Debent esse Spalatini perspicaciter sapientes, Salonę casum et periculum intuendo et aliarum ciuitatum propinquarum et etiam remotarum.

„Felix, quem faciunt aliena pericula cautum“;
„Nam tua res agitur, paries cum proximus ardet“,
„Ignibus afflari proxima quęque solent“,
„Omnia cum quodam ueniunt incomoda fructu,
„Non possunt, licet ipse uelis, cessare sagittę“;
„Feruida uicino flamma nocere solet“;
„Dulcia non meminit, nisi qui gustauit amara“;
„Qui petit excelsa, debet uitare ruinam“.

Diligunt itaque iusticiam Spalatini, ut cum ordine iusticię perpetuo ualeant honorabiliter gubernari: cum iusticia sit famę perpetuę stabile[2] fundamentum.

„Si lis inciderit te iudice, dirige libram“
„Justicię, nec flectat amor, nec munera palpent“;
„Munus enim a norma recti distorquet acumen“
„Judicis et tetra inuoluit caligine mentem“;
„Curritur in facinus; nec leges curia curat“.

Propter quę Spalatini statuta eorum ordinari et componi uoluerunt secundum formam inferius declaratam, ab omnipotente Deo ac venerabilibus ecclesijs initium assumendo. Scriptum est enim: „Primum quęrite regnum Dei et iusticiam eius et hęc omnia adicientur uobis“.

„Si timeas dominum, te cuncta creata timebunt“,
„Obsequium regni regis amicus habet“;
„Non reuerens dominum, reuereberis omne creatum“;
„Regi suspectus, fronde[3] cadente tremet“;

---

[1] Cod. acad. B: „Virtus est, quae te sola etc.“. [2] Cod. acad. A: „stabilis“. [3] ibid.: „fronte“.

„Proficit absque Deo nullus in orbe labor“,
„Omnia prętereunt pręter amare Deum“;
„Non nisi dante Deo sapiencia discitur ulla“
„Et sine quo nullus rite peritus erit“. —
„Perfectus amor ciuium cunctos mille cibauit“
„Valde mitis ualde uera semper amauit“. —

Isti duo uersus designant interpretationem huius nominis, quod est Perceualus.

Caueant igitur inuidi detractores, ut in renouationibus statutorum nullo tempore dictum prohemium debeant immutare[1], sed semper pro exordio et prohemio statutorum ciuitatis Spalati debeat inuiolabiliter permanere ad memoriam sempiternam.

CAP. I. DE PRIUILEGIJS ET IMMUNITATIBUS ECCLESIE SANCTI DOMNIJ.

Statuimus et ordinamus et perpetuo edicto censemus inuiolabiliter obseruari, quod sacrosancta ecclesia Spalatensis sit et esse debeat ab omnibus angarijs et perangarijs et alijs quibuslibet seruitijs secularibus perpetuo libera et excepta.

Item, quod dies festuitatis sancti Domnij[2] debeat per unumquemque uenerabiliter obseruari et[3] custodiri.

Item, quod licitum sit unicuique uolenti uenire ad dictum festum ad ciuitatem Spalati per tres dies ante et in[4] ipso die festi et per tres dies post dictum festum[5] accedere libere et secure[6] et stare et morari in ipsa ciuitate sine pęna aliqua seu banno[7]; dum tamen non sit exbannitus[8] uel condemnatus[9] ciuitatis Spalati occasione sanguinis, furti, robarię[10], adulterij, uel falsitatis; quibus malefactoribus licentiam ueniendi ad dictam ciuitatem totaliter denegamus, quum propter eorum maleficia scelerata non sunt digni spiritualiter uel temporaliter gratiam obtinere; quod si ad dictam ciuitatem uenire pręsumpserint, potestas et rector ciuitatis Spalati possit procedere realiter et personaliter contra eos, prout exigerit qualitas delictorum, consuetudine uel capitulo aliquo non obstante.

---

[1] Cod. acad. B: „mutare“. [2] ibid.: „Dompnij“. [3] Ap. Ljub.: „observari et“ deest. [4] Deest ibid. [5] ibid.: „post festum ipsum“. [6] Deest ibid. [7] Cod. acad. B: „bando“. [8] ibid.: „exbanditus“. [9] ibid: „condempnatus“. [10] ibid. et Ljub.: „tradimenti“.

CAP. II. DE CEREIS OFFERENDIS ECCLESIE SANCTI DOMNIJ[1].

Item statutum et ordinatum est, quod in vigilia sancti Domnij[2] quilibet fumans de ciuitate Spalati teneatur facere unum cereum, uel saltem candelam et cum cereo communis ire debeat solemniter[3] ad dictam ecclesiam sancti Domnij[4]. Et camerarij[5] communis teneantur facere unum cereum honorabiliter pro communi ad offerendum ad ecclesiam supradictam; ita tamen, quod nullus possit facere cereum ultra unam libram cerae; de minori autem quantitate faciat uelle suum.

CAP. III. DE MALEFICIJS COMMISSIS IN FESTIUITATE SANCTI DOMNIJ.

Item statutum et ordinatum est, quod in maleficijs, quae committerentur in festiuitate sancti Domnij[6] et uno die ante et uno die post[7], pęnę contentę in pręsenti uolumine statutorum debeant duplicari, et quod[8] in omnibus et singulis percussionibus cum armis, quę committerentur in ciuitate Spalati prędictis tribus diebus[9], scilicet in die dictę festiuitatis et uno die ante et uno die post, potestas[10] habeat arbitrium inquirendi; dum tamen in[11] condemnando prędictas pęnas dupli excedere non ualeat ullo modo: non obstante statuto, quod loquitur de arbitrio potestatis, in quo statuto in certis casibus ipsi potestati et suę curię inquisitio est concessa. Satis enim consonum est rationi, quod in dicta festiuitate pęnę contra delinquentes debeant augumentari, et quod[12] in his[13] potestas et rector dictę ciuitatis, qui pro tempore fuerint, habeant arbitrium[14] condemnandi, nisi in duplicatione pęnę, prout superius est expressum ad hoc ut dicta festiuitas in pace et tranquilitate possit honorabiliter celebrari.

CAP. IV. DE HERETICIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus hereticus, gazarus, patarenus, quocunque[15] nomine censeatur, audeat uel pręsumat in

---

[1] Ap. Ljub.: „De cereis offerendis". [2] Cod. acad. B: „Dompnij". [3] ibid.: „solempniter". [4] ibid.: „Dompnij". [5] Ap. Ljub.: „dictę ciuitatis et dicti". [6] Cod. acad. B: „Dompnij". [7] Ap. Ljub. desunt verba: „et uno die post". [8] ibid.: „quia". [9] ibid. desunt verba: „quę" usque ad „diebus". [10] Deest ibid. [11] Deest ibid. [12] ibid.: „quia". [13] Cod. acad. B: „hijs". [14] Ap. Ljub.: „inquirendi, sed non habeant arbitrium". [15] ibid.: „quoque".

ciuitate Spalati aliquatenus[1] permanere, sed quam cito repertus fuerit in ciuitate prędicta, ab eadem penitus[2] expellatur; et nullus de dicta ciuitate tales hereticos in domo propria, uel conducta, uel etiam gratis data debeat receptare. Et quicumque eos receptauerit, uel eis prestauerit[3] in eorum heretica prauitate auxilium uel consilium, uel fauorem: in libris centum sine remissione aliqua condemnetur, saluis alijs[4] pęnis editis[5] per ius canonicum et ciuile et per sacras constitutiones sumorum pontificum contra hereticos, receptatores et fautores eorum, quę nihilominus in sua maneant[6] firmitate.

CAP. V. DE FESTIUITATIBUS CELEBRANDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod infrascriptę festiuitates debeant solemniter[7] celebrari et ab omni labore[8] et operatione manuali[9] quilibet debeat abstinere et ab omnibus seruilibus operibus: videlicet: dominicales[10]; festiuitates[11] beatę Marię uirginis; festiuitates duodecim apostolorum; festiuitates sanctorum Domnij[12] et Anastasij; sanctissima dies[13] natiuitatis domini nostri Jesu Christi et usque ad octauam dictę festiuitatis; et a die Jouis sancto usque ad octauam Pascę resurectionis domini nostri Jesu Christi; sancti Francisci, sancti Dominici; sancti Augustini, sancti Lucę et sancti Johannis baptistę; festiuitas sanctę Lucię; festiuitas sancti Martini; festiuitas sanctę Margaritę et omnes alię festiuitates, quas venerabilis pater dominus archiepiscopus Spalatensis una cum clero dictę ciuitatis duxerit solemniter celebrandas.

In quibus etiam festiuitatibus iubemus, quod causę ciuiles nullatenus audiantur; curia non teneatur, neque placita audiantur; solum permittimus in dictis causis ciuilibus, quod citatio termini[14] possit fieri in dictis diebus feriatis pro die non feriata. Causę uero criminales fieri et tractari possunt et etiam per sententiam[15] terminari tam in dictis[16] festiuitatibus, quam in alijs quibuscumque[17],

---

[1] Ap. Ljub.: „aliquantum". [2] ibid.: „eadem ciuitate protinus". [3] ibid.: „prestiterit". [4] ibid.: „reliquis". [5] Cod. acad. B: „heditis". [6] Ap. Ljub.: „remaneant". [7] Cod. acad. B: „solempniter". [8] Ap. Ljub.: „laborerio". [9] ibid.: „manuum". [10] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „omnes dies dominicales". [11] Ap. Ljub.: „quatuor festiuitates". [12] Cod. acad. B: „Dompnij". [13] Cod. acad. A: „sanctissimam diem". [14] Deest ap. Ljub. [15] Ap. Ljub.: „sententia". [16] ibid.: „dominicis". [17] ibid.: „festiuitatibus".

ita quod tam diebus feriatis, quam non feriatis et in quibuscumque ferijs examinari ualeant et finiri. In dictis uero causis ciuilibus quicquid diebus[1] feriatis, introductis in honorem Dei actum fuerit, factum uel gestum in iuditio, uel pręceptum uel sententiatum, prętер dictam solam citationem, ipso iure non ualeat, nec executioni mandari debet.

Si quis autem in dictis festiuitatibus introductis ad honorem Dei aliquod opus seruile uel laborerium siue in ciuitate Spalati, siue in campo, uel uinea, uel alio modo opus seruile, uel laborerium[2] fecerit, soluat bannum[3] communi pro qualibet uice decem soldos Venetorum paruorum, exceptis casibus infrascriptis, in quibus infrascripta negotia impune fieri possint in[4] diebus et festiuitatibus supradictis[5]; uidelicet, quod[6] omnia fieri possint[7], quę ad pastum uel potum hominum[8] sunt necessaria[9]; item, quod quilibet possit ire et redire a molendinis; item si timor hostilitatis incumbat, quod Deus auertat, in quo casu non liceat etiam laborare in campo sine licentia curię[10]; item si esset res, quae ex huiusmodi mora perire posset[11]; item et[12] quęstiones forensium[13] mercatorum possint etiam[14] quocumque tempore agitari, tam in dictis festiuitatibus et diebus feriatis quam et non feriatis ad hoc, ut mercatores forenses[15], qui ueniunt ad ciuitatem Spalati de ipsorum mercationibus possint sine mora et dilatione aliqua celeriter expediri; item quęstiones etiam pauperum et miserabilium personarum ac[16] peregrinorum seu quorumlibet uiatorum, maxime de uictualibus et de alijs, quę ad uiatores pertinent uel etiam[17] peregrinos ob Dei reuerentiam et ut Deus manuteneat ciuitatem Spalati in bono et pacifico statu, uolumus et mandamus, quod omni tempore feriato et non feriato possint et debeant diffiniri[18]. Item uolumus et mandamus, quod tempore messium quęcumque quęstiones pertinentes ad messes, uel occasione messium[19] et tempore uindemiarum quęcumque quęstiones pertinentes ad uindemias uel occasione[20] uindemiarum et de uege-

---

[1] Ap. Ljub.: „dictis d.“. [2] Verba: „siue in ciuitate“ usque ad: „laborerium“ desunt ap. Ljub. [3] Cod. acad. B: „bandum“. [4] Deest ap. Ljub. [5] Ap. Ljub.: „prędictis“. [6] ibid.: „quia“. [7] ibid.: „possunt“. [8] ibid.: „et animalium“. [9] ibid.: „necessaria sunt“. [10] Verba: „item, quod quilibet“ usque ad: „curię“ desunt ap. Ljub. [11] Ap. Ljub.: „possit“. [12] Deest ibid. [13] Deest ibid. [14] Verba: „possint etiam“ desunt ap. Ljub. [15] Ap. Ljub.: „forestes“. [16] ibid.: „et“. [17] Deest ibid. [18] ibid.: „definiri“. [19] Verba: „quaecumque“ usque ad: „messium“ desunt ap. Ljub. [20] ibid.: „causa“.

tibus et de omnibus ac singulis, quę ad messes et uindemias possunt quomodolibet pertinere[1], possint et debeant examinari et tractari et diffiniri[2] in prędictis[3] festiuitatibus et omnibus ac singulis diebus tam festiuis[4], quam non festiuis[5], ne, quod cęlesti prouisione[6] concessum est, per momentum temporis[7] ualeat deperire.

CAP. VI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quęcumque possint fieri in prędictis diebus feriatis solemnibus[8], fieri possint summarie sine[9] libello et litis contestatione, de plano, sine strepitu et figura iuditij; et ualeant et teneant[10], ac si ordo iuris et iuditiarius[11] esset solemniter[12] obseruatus iure cuiuslibet semper saluo super negotio principali.

CAP. VII. DE THESAURO[13] ET RELIQUIJS ECCLESIARUM CUSTODIENDIS.

Item statutum et ordinatum est[14], quod thesaurus et sacratissimę reliquię ecclesię sancti Domnij[15] et sancti Stephani et omnium monasteriorum ciuitatis per notarium domini potestatis ciuitatis Spalati fideliter scribantur in pręsentia rectoris et curię dictę ciuitatis[16] et in pręsentia archidiaconi[17], primicerij et sacristę ecclesię prędictę. Quę reliquię et thesaurus describantur et reducantur[18] in publicas scripturas, de quibus una scriptura sit apud sacristam dictę ecclesię, secunda sit in camera[19] communis Spalati, tertia sit[20] apud unum nobilem et legalem uirum dictę ciuitatis, qui eligi debeat per consilium generale dictę ciuitatis. Quę quidem reliquię et thesaurus custodiantur in scrineo posito in sacristia, habendo tres claues, quę claues retineantur per homines supradictos.

---

[1] Cod. acad. A: „perueuire pertinere". [2] Ap. Ljub.: „definiri". [3] ibid.: „etiam". [4] ibid.: „diebus festis". [5] Verba: „quam non festiuis" desunt ap. Ljub. [6] Ap. Ljub.: „permissione". [7] Deest ibid. [8] Cod. acad. B: „solempnibus". [9] Ap. Ljub.: „et sine". [10] Cod. acad. A et B: „ualeat et teneat". [11] Cod. acad. B: „et iudicatus". [12] ibid.: „solempniter". [13] Ap. Ljub.: „thesauris". [14] ibid.: „Item statuimus et ordinamus". [15] Cod. acad. B: „Dompnij". [16] Deest ap. Ljub. [17] Ap. Ljub.: „archiepiscopi". [18] ibid.: „describant et reducant". [19] ibid.: „sit camerę". [20] Deest ibid.

CAP. VIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est[1], quod omnes reliquię et thesaurus monasteriorum dictę[2] ciuitatis custodiantur et custodiri debeant in sacristia cuiuslibet monasterij et in uno scrineo habente[3] tres claues; quarum teneat unam sacrista, secundam clauem teneat abbas uel abbatissa monasterij, tertiam clauem teneat[4] unus nobilis de ciuitate Spalati, qui eligatur per consilium generale[5] dictę ciuitatis.

CAP. IX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est[6], quod potestas seu rector, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate Spalati, teneatur infra primum mensem sui regiminis cum aliquibus sapientibus de ciuitate prędicta, qui sibi per generale consilium fuerint deputati, diligenter uidere et examinare, si reliquię[7], thesauri et omnia ornamenta dictarum ecclesiarum seu monasteriorum sunt diligenter reposita et salutata ad hoc, ut alienari, perdi seu[8] baratari non possint; et ad hoc ut secundum consuetudinem ciuitatis Spalati possint ostendi et mostrari[9] publice et palam coram populo ciuitatis prędictę in omnibus festiuitatibus consuetis.

CAP. X. DE PROCURATORIBUS ORDINANDIS IN MONASTERIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector ciuitatis Spalati uinculo sacramenti teneatur cum consilio et consensu domini archiepiscopi Spalatensis ponere et ordinare procuratores in monasterio sancti Stephani et in alijs monasterijs dictę ciuitatis, ne bona, fructus et[10] redditus[11] dictorum monasteriorum ualeant dissipari.

CAP. XI. DE UACATIONE ECCLESIE SPALATENSIS[12].

Item statutum et ordinatum est[13], quod quocumque tempore uacante ecclesia Spalatina archiepiscopo et pastore, potestas et

---

[1] Ap. Ljub.: „Item statuimus et ordinamus". [2] Deest ibid. [3] ibid.: „qui habet". [4] Cod. acad. A et B: „quarum teneat unam abbas monasterij, secundam clauem unus nobilis" etc. [5] Deest ap. Ljub. [6] ibid.: „Item statuimus et ordinamus". [7] ibid.: „palia". [8] Deest ibid. [9] ibid.: „demonstrari". [10] Deest ibid. [11] ibid.: „et prouentus". [12] Deest ibid. [13] ibid.: „Item statuimus et ordinamus".

rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate prędicta, teneatur congregare consilium generale ciuitatis Spalati et cum ipsis consiliarijs, uel cum alijs nobilibus qui uidebuntur dicto consilio conuenire, debeant[1] accedere ad canonicos et capitulum ecclesiae Spalatensis[2] et rogare eos omni affectione qua possunt ex parte omnipotentis Dei et pro bono et pacifico statu ciuitatis prędictę, quod ipsi dignentur et debeant eligere in archiepiscopum et pastorem ecclesię Spalatensis[3] unum bonum, ydoneum et honestum uirum et canonicum[4], amicum communis Spalati et hominum dictę ciuitatis et per quem iura ecclesię Spalatensis[5] possint et debeant[6] gubernari, recuperari, protegi et defendi, et per quem ciuitas Spalatina possit et debeat in statu pacifico gubernari et qui non[7] homo partiarius, sed sit homo honestus, sanctus et bonus, qui in communitate, tranquillitate et pace possit cum communi et hominibus ciuitatis[8] Spalati, quantum ad Deum et mundum, laudabiliter conuersari.

CAP. XII. DE SUPPLICATIONE PRO BENEFICIJS ECCLESIASTICIS DANDIS CIUIBUS SPALATI[9].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, teneatur uinculo sacramenti infra primum mensem sui regiminis cum quibusdam sapientibus et nobilibus hominibus de ciuitate Spalati, qui a generali consilio eligentur, loqui cum domino archiepiscopo Spalatino et cum canonicis, capitulo et cum conuentu maioris ecclesiae Spalatensis[10] et cum abbatibus, archidiaconis, archipręsbyteris, prępositis et alijs omnibus et singulis capellanis et rectoribus ecclesiarum Spalati[11] et sui territorij et districtus, quod in beneficijs ecclesiasticis conferendis rogent eos omni affectione, qua possint[12], quod ecclesiasticas prębendas, dignitates et beneficia ecclesiastica, quę sunt conferenda in ciuitate Spalati et suo territorio et districtu et etiam extra districtum, dignentur amore communis Spalati de gratia speciali[13] conferre et dare illis clericis, qui sunt ciues et habitatores perpetui et oriundi de dicta ciuitate Spalati et de prędictis

---

[1] Ap. Ljub.: „consilio, uenire debeat et". [2] ibid.: „Spalati". [3] ibid.: „Spalati". [4] Deest ibid. [5] ibid.: „Spalati". [6] „et debeant" deest ap. Ljub. [7] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „quod non sit". [8] Ap. Ljub.: „et honestis". [9] „Spalati" deest in cod. acad. B. et ap. Ljub. [10] Ap. Ljub.: „Spalati". [11] ibid.: „ciuitatis Spalati". [12] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „possunt". [13] Deest ap. Ljub.

ostendant eis uoluptatem[1] communis et hominum ciuitatis Spalati, quantum cum Deo et iusticia dictę pręces fieri possunt; et ipsa beneficia non dent forensibus maxime quia[2] de ciuitate[3] Spalati sunt clerici sufficientes et ydonei ad dicta beneficia obtinenda: quia conuenientius et iustius est, quod beneficia ecclesiastica ciuitatis Spalati et sui territorij et districtus habere debeant ciues et habitatores ciuitatis Spalati, quam forenses. Ita tamen, quod dicta rogamina contra forenses clericos, qui habuerunt et habent beneficia ecclesiastica, nullatenus extendantur, sed pro futuris beneficijs ecclesiasticis uacantibus in futurum pręsens statutum uendicet sibi locum.

CAP. XIII. QUOD ECCLESIE CONTRIBUANT IN ULJS, FONTIBUS ET PONTIBUS.

Item statutum et ordinatum est[4], quod licet uenerabilis ecclesię ad nulla sordida munera teneantur, tamen ad constructionem[5] itinerum, fontium et pontium publicorum diuinę domus ac[6] uenerabiles ecclesię teneantur. Et si contingeret[7], quod pro[8] commune ciuitatis Spalati fierent aliquę uię, fontes, uel pontes ad communem et[9] publicum usum deputatum: rogetur dominus archiepiscopus ciuitatis prędictę, quod ad eorum opera et constructiones compellat clericos, ut in eis contribuant pro ea parte, quę fuerit conueniens atque iusta, quia tale munus non est inter sordida munera numeratum, sed potius pertinet ad offitium caritatis et perpetuę pietatis.

CAP. XIV. QUOD LAYCI NON EMANT ORNAMENTA ECCLESIASTICA.

Item statutum et ordinatum est[10], quod nulli layco liceat emere cruces ecclesiarum, libros ecclesiasticos, thuribula et paramenta seu sacra uestimenta sacerdotum et diuinis cultibus deputata sine speciali licentia et consensu domini archiepiscopi Spalati, uel sui uicarij; nec etiam titulo donationis, permutationis, pignoris, uel alterius cuiuscumque contractus in se conferre pręsumat sine pręfati domini archiepiscopi uel sui uicarij speciali licentia, uel[11] consensu; et si contrafactum fuerit, contractus non teneat et laycus,

---

[1] Ap. Ljub.: „uoluntatem“. [2] Cod. acad. B: „quod“. [3] ibid.: „ciuitatis“. [4] Ap. Ljub.: „Item statuimus et ordinamus“. [5] ibid.: „instructionem“. [6] ibid.: „et“. [7] ibid.: „contigerit“. [8] ibid.: „per“. [9] ibid.: „uel“. [10] ibid.: „nullus laicus“. [11] ibid.: „et“.

qui ea acceperit, ad restituendum dictas res ecclesiasticas per potestatem et rectorem et officiales[1] ciuitatis Spalati realiter et personaliter compellatur omnibus remedijs opportunis. Et rector dictę ciuitatis dictum statutum bis in anno bandiri faciat[2] per ciuitatem Spalati ad hoc, ut possit in omnium noticiam peruenire; quum[3] ea, quę diuini iuris sunt, non debent[4] humanis nexibus alligari.

CAP. XV. QUOD CLERICI NON UADANT DE NOCTE, NEC PORTENT ARMA[5].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, teneatur pręcise uinculo sacramenti cum illis nobilibus et sapientibus, qui sibi uidebuntur, infra primum mensem sui regiminis ire ad pręfatum[6] dominum archiepiscopum et ipsum rogare ex parte communis Spalati, quod dignetur paternitas sua ueneranda cohercere clericos dictę ciuitatis, quod de nocte non uadant per ciuitatem Spalati, nisi causa dandi corpus Christi infirmis, uel causa dandi pęnitentiam, si fuerit opportunum, uel ex alia iusta causa; et quod moneat et compellat ipsos clericos, quod contra laycos aliqua maleficia non committant, nec arma offensoria[7] uel defensoria[8] deferant per ciuitatem Spalati de die uel de nocte sine speciali licentia uel mandato ipsius domini archiepiscopi, uel sui uicarij; et si ipsi clerici inuenti fuerint cum armis per officiales uel[9] familiares domini potestatis, quod ipsi possint ipsis clericis arma auferre et eos denuntiare ipsi domino archiepiscopo et suę curię ut tam de armis inuentis ipsorum clericorum[10], quam de alijs maleficijs per eos commissis possint ipsi clerici per dictum dominum archiepiscopum et suam curiam pęna[11] castigari[12].

CAP. XVI. DE UACATIONE ECCLESIE SPALATENSIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si contingat[13] ecclesiam Spalatinam archiepiscopo et pastore uacare, quod teneatur potestas et rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati cum illis sapientibus, qui sibi per generale consilium deputati fuerint, effica-

---

[1] Ap. Ljub.: „officialem". [2] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „publice". [3] Ap. Ljub.: „quoniam". [4] „non debent" deest ibid. [5] Verba: „nec portent arma" desunt ibid. [6] Ap. Ljub.: „ipsum"; cod. acad. B: „pręphatum". [7] Ap. Ljub.: „offensiua". [8] ibid.: „defensiua". [9] ibid.: „et per". [10] ibid.: „ipsis clericis". [11] ibid.: „debita". [12] Cod. acad.: B: „chastigari". [13] Ap. Ljub.: „contigerit".

citer tractare et ordinare cum capitulo et conuentu et canonicis maioris ecclesię Spalatensis ut[1] de omnibus rebus mobilibus et se mouentibus et introitibus, qui et quę pertinent ad maiorem ecclesiam Spalatinam[2], quod debeant inuentarium facere diligenter et ipsas res et bona per fideles personas ecclesiasticas uel sęculares facere custodiri, ne pereant, sed nouo pastori seu archiepiscopo per inuentarium debeant fideliter et integraliter assignari; quod quidem inuentarium solemniter[3] cum duobus notarijs conscribatur.

CAP. XVII. QUOD NULLUS MITTAT ASINOS UEL PALEAM IN ECCLESIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat in aliqua ecclesia, tam intra ciuitatem, quam extra ciuitatem Spalati in suo territorio et districtu tempore pluuię, uel alio modo mittere asinos, equos, boues, porcos, pecudes, paleam, uel fęnum, uel aliam putredinem, uel turpitudinem facere in ipsis ecclesijs. Et qui contrafecerit, in xx^ti soldis qualibat uice puniatur. Et cuilibet sit licitum accusare uel denuntiare et habeat medietatem bandi.

CAP. XVIII. QUOD NULLUS AUFERAT LAPIDES ECCLESIE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat accipere lapides alicuius ecclesiae, aptos ad murandum, uel ad laborerium faciendum. Et qui contrafecerit, in xl. soldis qualibet uice puniatur et damnum ecclesiae emendet in duplum; et similiter cuilibet sit licitum denuntiare uel accusare et habeat medietatem bandi.

CAP. XIX. QUOD NULLUM STATUTUM FIAT[4] IN PREIUDICIUM ECCLESIASTICE LIBERTATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullum statutum fiat in pręiudicium ecclesiasticę libertatis; et si aliquod statutum uel reformatio uel reordinamentum contineatur in pręsenti uolumine statutorum, uel fieret in futurum per commune Spalati, quod esset in pręiudicium libertatis ecclesiasticę, aut[5] ex quo rectores, officiales et consiliarij[6] incurrerent[7], uel incurrere possint excomunicationem, uel excomunicationis sententiam et dicta ciuitas subice-

---

[1] Ap. Ljub.: „et". [2] ibid: „Spalatensem". [3] Cod. acad. B: „solempniter". [4] Ap. Ljub.: „ualeat". [5] Deest ibid. [6] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „dictę ciuitatis". [7] Ap. Ljub.: „incurrent".

retur uel subici posset ecclesiastico interdicto; ex nunc prout ex tunc dictum statutum et[1] ordinamentum et reformatio quelibet quocumque modo uel[2] nomine censeatur, habeatur et haberi debeat pro uano, casso, irrito et cancellato et penitus nullius ualoris sit, sed pro non scripto penitus habeatur.

CAP. XX. DE MALEFICIJS, QUAE COMMITTUNTUR IN ECCLESIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis committeret[3] aliquod[4] maleficium in aliqua ecclesia, quod pena contra eum debeat duplicari de his, que continentur in presenti uolumine statutorum, si dictum maleficium alibi commisisset[5] in aliquo loco priuato, quoniam sacre[6] domus debent in pace et quiete sine malicijs[7] permanere.

CAP. XXI. QUOD NULLE POSSESIONES UENDI POSSENT[8] ALICUI FORENSI ABSQUE LICENTIA MAIORIS PARTIS CONSILIJ.

Ad honorem et reuerentiam omnipotentis Dei[9], beate Marie uirginis et beatorum corporum sanctorum Domnij et Anastasij et bono statu et pacifico[10] ciuitatis Spalati et eius districtus statuimus et ordinamus et inuiolabiliter uolumus obseruari, quod nullus ciuis ciuitatis Spalati, uel habitator, uel forensis ullo modo uel ingenio uel quoquo modo dici possit sit ausus uel presumat uendere[11], donare, obligare, cambiare, uel ullo modo alienare, uel in alium transferre, per se, uel interpositam personam aliquam possessionem, uidelicet terram, campum, uineam, domum, pratum, molendinum, uel aliquam aliam possessionem, quam haberet in ciuitate Spalati, uel eius districtu alicui forensi absque licentia maioris partis consilij, sub pena ammittendi id, quod uenditum esset, siue emptum per ipsos. Et nihilominus, quod uenditum esset[12] uel emptum, sit cassum, irritum[13] et nullius ualoris; et quod pena supradicta perueniat in commune Spalati: ad quod potestas, qui nunc est, uel qui pro tempore fuerit, uinculo sacramenti teneatur de predictis

---

[1] Deest in cod. acad. B. [2] „modo uel“ deest ap. Ljub. [3] Cod. acad. B: „commiserit“. [4] Deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. B: „commisit“. [6] Ap. Ljub.: „sacrosancte“. [7] Cod. acad. B „malis“; ap. Ljub.: „maleficijs“. [8] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „possint“. [9] Cod. acad. B: „et“. [10] Ap. Ljub.: „bono et pac. statu“. [11] Ap. Ljub.: „uel“. [12] Verba: „siue“ usque ad: „esset“ desunt ibid. [13] ibid.: „irritum, nullum“.

inquirere et summarie procedere, non obstante aliquo alio statuto; saluo quod licitum sit ciuibus Spalatinis oriundis natione in ciuitate Spalati et quod inter se possint de suis bonis uendere et emere, sicut hic retro facere consueuerunt. Et si quod[1] statutum uel reformatio maioris consilij[2] esset in contrarium huic statuto, sit cassa et uana et nullius ualoris; et ualeat hoc statutum a die publicationis in antea.

Prędictum statutum fuit lectum et affirmatum per me notarium infrascriptum in consilio generali ciuitatis Spalati, tempore magnifici et potentis uiri, domini Johannis Georgij de Venetijs, honorabilis potestatis et capitanei ciuitatis Spalati sub annis[3] Domini M° cccxxv°, di xxvj° Junij, indictione viij^a^. Ego Clementius Zunte[4], imperiali auctoritate notarius et iudex ordinarius et nunc notarius supradicti domini potestatis et de mandato consilij generalis subscripsi[5] et publicaui pręsentibus domino Domaldo Doymi, Grubulo Theodosij et Parue[6] Francisci iudicibus dictę ciuitatis.

LIBER SECUNDUS.

INCIPIUNT CAPITULA SECUNDI LIBRI[7].

De electione potestatis Spalati . . . . . j.
De eodem . . . . . ij.
De eodem . . . . . iij.
De eodem . . . . . iiij.
De eodem . . . . . v.
De eodem . . . . . vj.
De eodem . . . . . vij.
De eodem . . . . . viij.
De salario potestatis . . . . . ix.
De syndicis potestatis . . . . . x.
De eodem . . . . . xj.
De eodem . . . . . xij.
De eodem . . . . . xiij.
De eodem . . . . . xiiij.
Quod potestas debeat facere copiam sui . . . . . xv.
De iuramento potestatis . . . . . xvj.

[1] Ap. Ljub.: „aliquod". [2] Deest ibid. [3] ibid.: „anno". [4] ibid.: „Iricite". [5] ibid.: „scripsi". [6] ibid.: „Peucę". [7] Index hic capitulorum deest ibid.

De pace seruanda per rectorem . . . . . xvij.
Quod potestas Spalati non sit de Dalmatia . . . . . xviij.
Quod potestas Spalati exerceat offitium potestarię per se . xix.
Quod rector Spalati non sit partiarius . . . . . xx.
De iuramento consiliariorum . . . . . xxj.
De propositis et partitis consiliariorum . . . . . xxij.
De eodem . . . . . xxiij.
De eodem . . . . . xxiiij.
De eodem . . . . . xxv.
De eodem . . . . . xxvj.
De eodem . . . . . xxvij.
De eodem . . . . . xxviij.
De consilio credentię . . . . . xxix.
De his, qui debent contraire potestati . . . . . xxx.
De rumore consiliariorum . . . . . xxxj.
De partitis et dictis arengatorum . . . . . xxxij.
De noua querra, quod absit . . . . . xxxiij.
De arengantibus pro honore ciuitatis Spalati . . . . . xxxiiij.
Quod consiliarij non possint esse becharij . . . . . xxxv.
De mutatione curię . . . . . xxxvj.
De eodem . . . . . xxxvij.
Quod iudices non possint se absentare . . . . . xxxviij.
De eodem . . . . . xxxix.
De eodem . . . . . xl.
De ambasciatoribus communis Spalati . . . . . xlj.
De eodem . . . . . xlij.
De eodem . . . . . xliij.
De eodem . . . . . xliiij.
De eodem . . . . . xlv.
De eodem . . . . . xlvj.
De camerarijs communis Spalati . . . . . xlvij.
De custodia carcerum communis Spalati . . . . . xlviij.
Quod fures et falsarij non habeant offitium . . . . . xlix.
De custodia ciuitatis . . . . . l.
De furtis commissis de nocte . . . . . lj.
De eodem . . . . . lij.
De custodibus super bladum . . . . . liij.
De riuarijs et plaçarijs siue pręconibus . . . . . liiij.
De bucarijs . . . . . lv.
De suprastantibus beccariorum et piscatorum . . . . . lvj.

De electione notarij[1] . . . . . lvij.
De notarijs . . . . . lviij.
De notarijs uocatis ad faciendum contractum . . . . . lix.
De inuentarijs librorum communis Spalati . . . . . lx.
Quod potestas ciuitatis Spalati ante finem sui regiminis non possit habere licentiam recedendi . . . . . lxj.

CAP. I. DE ELECTIONE POTESTATIS SPALATI.

Statuimus et ordinamus Deo propitio feliciter, quod electio[2] potestatis ciuitatis Spalati fiat et fieri debeat annuatim secundum ordinem infrascriptum, uidelicet, quod semper electio dicti potestatis fiat tribus mensibus ante complectionem regiminis[3] in ciuitate Spalati existentis, ad hoc, ut notificatio possit fieri potestati nouiter electo satis ante tempus, ut possit esse offitialibus et familiaribus et alijs rebus opportunis ad suum aduentum se prępparare et ad hoc, ut ęstiuo[4] tempore, quando mare consueuit esse tranquillum, ad ciuitatem Spalati ualeat commode peruenire, quo tempore nauigia possunt melius et facilius inueniri.

In cuius electione talis ordo seruetur, uidelicet, quod tertia die ante electionem ipsius potestatis per pręcones siue riuarios[5] dictę ciuitatis per ipsam ciuitatem publice bandiatur, et in bandimento dicatur, quod omnes consiliarij ueniant ad consilium, quoniam tali die debet esse[6] electio potestatis et ipsa dies nominetur in bandimento per ipsum pręconem seu riuarium; et sequenti die fiat[7] aliud bandimentum publice per dictam ciuitatem et per loca consueta et dicatur in ipso secundo bandimento per pręcones seu riuarios[8], quod omnes consiliarij de[9] ciuitate cras debeant uenire ad consilium ad eligendum nouum potestatem in nomine Domini et bonę fortunę. Adueniente autem die electionis faciendę de dicto nouo potestate pulsetur consilium generale, in quo consilio generali adminus esse debeat maior pars dictorum centum consiliariorum; et semper dicta electio, facta per maiorem partem[10] sit firma, ualeat et teneat et rata permaneat. Et quod dicta electio semper scribatur per notarium ciuilium causarum ciuitatis Spalati et omnia

[1] Cod. acad. B.: „ciuilium causarum". [2] Ap. Ljub.: „St. et ord. quod adeo faciliter propitia electio" etc. [3] ibid.: „potestatis". [4] Cod. acad. B: „haestivo". [5] Ap. Ljub.: „riparios". [6] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „fieri". [7] Deest in cod. acad. B. [8] Ap. Ljub.: „pręconem, seu riuarium". [9] ibid. et in cod. acad. B: „dictę". [10] Cod. acad. B. et ap Ljub.: „ipsorum".

*

necessaria ad dictam[1] electionem celebrandam; et ipse notarius ciuilium intelligatur notarius reformationum ad prędicta tantum. Et bandiatur de sero ante[2]: quicumque non fuerit ad dictum consilium pro electione potestatis, soluat et soluere debeat communi quinque soldos. Et ipsi consilio intersint duo fratres minores, uel duo fratres prędicatores ad dandum et recolligendum ballotas, ut nulla fraus fieri possit; uel etiam riuarij, ut consilio placuerit. Et in ipso consilio primo proponatur, de qua prouintia esse debeat nouus potestas, seu nouus rector dictę ciuitatis Spalati: et prouintijs nominatis, si plures prouintię nominarentur, habeantur tot bussula[3], quot fuerint prouintię nominatę. Postea uero fiat partitum per iudices dictę ciuitatis absente potestate et sua familia ad bussula[4] et ballotas et dicant sic: quod quicumque uult, quod de tali prouintia sit et esse debeat nouus potestas dictę ciuitatis, mittat suam ballotam in tali bussulo; qui uult, quod sit de tali prouintia, mittat suam ballotam in alio bussulo[5] et sic de alijs. Postea recollectis ballotis per dictos fratres, uel riuarios[6] in dictis bussulis, ipsi fratres publice et palam coram consilio numerent singulariter ballotas de quolibet bussulo. Et de illa prouincia firmiter sit et esse debeat nouus potestas dictę ciuitatis, in[7] cuius prouintię bussulo plures ballotę fuerint adinuentę, et diligenter numerentur omnes consiliarij, qui erunt pręsentes in ipso consilio, et numerentur omnes ballotę recollectę in bussulis et[8] non sint plures ballotę, quam consiliarij, ad hoc, ut nulla fraus possit fieri per consiliarios et nullus consiliarius plus quam unam ballotam possit mittere in bussulo. Facta autem electione prouincię[9] publicata et firmata, de qua debet esse nouus potestas, tunc simili modo et secundum formam prędictam fiat electio illius terrę, de qua debeat esse futurus potestas et facta electione terrę et ea[10] firmata[11], tunc consiliarij de illa terra nominata nominent[12] pro potestate futuro ciuitatis prędictę, quoscumque uoluerint nominare, usque ad numerum xij hominum, ita quod nullus consiliarius possit nominare nisi unum tantum; et ultra dictorum[13] xij hominum non no-

---

[1] Cod. acad, B. et ap. Ljub.: „ipsam". [2] Ap. Ljub.: „quia". [3] Cod. acad. B: „bussulę"; ap. Ljub.: „bussulis". [4] Ap. Ljub.: „bussulos". [5] Verba: „qui uult, quod" usque ad: „bussulo" desunt ibid. [6] ibid.: „riuarium". [7] Verba: „prouincia firmiter", usque ad „in" desunt in cod. acad A et B. [8] Ap. Ljub.: „ut". [9] Deest in cod. acad. A et B. [10] Deest ap. Ljub. [11] ibid.: „affirmata". [12] Cod. acad. A: „nominet". [13] Ap. Ljub.: „dictum numerum".

minentur. Si autem pauciores numerentur[1], nihilominus electio ualeat et scribantur[2] seriatim nomina omnia et singula illorum, qui nominati fuerint pro potestate dictę ciuitatis. Et postea, quanticumque[3] fuerint nominati, tot habeantur bussula[4] et in quolibet bussulo et extra ipsum[5] bussulum in una cedula de bambace scribatur unum[6] nomen de prędictis nominatis in potestatem dictę ciuitatis, ita quod inter omnia bussula[7] sint scripta omnia nomina dictorum electorum; quę bussula[8] seriatim ponantur in bancho, ubi sedet dominus potestas; et quilibet consiliaris uadat ad dicta bussula[9] et mittat suam ballotam in quocumque[10] uult de dictis bussulis, quo facto, dicta bussula[11] accipiantur publice et palam per dictos fratres uel riuarios in dicto consilio et dicti fratres[12] uel riuarij extrahant ballotas de uno bussulo, et numerent dictas ballotas et notarius reformationum scribat in quaterno, quod in tali bussulo[13], in quo erat scriptum nomen talis, qui est electus uel nominatus pro nouo potestate, sunt repertę tot ballotę: et scribatur per ipsum notarium nomen ipsius electi et numerus ballotarum repertarum in suo bussulo; quo facto uideatur de quolibet alio[14] bussulo numerus ballotarum et coram consiliarijs fideliter numerentur. Et ille in cuius bussulo plures ballotę inuentę[15] fuerint, sit et habeatur pro primo potestate ciuitatis Spalati. Et post primum electum, ille, qui inuentus fuerit in alio bussulo habere plures ballotas, habeatur pro secundo potestate et sic de alijs ordinate usque ad complementum dictorum bussulorum[16]. Et prędictum statutum sit prącisum et trunchum: ita quod non possit tolli, uel suspendi per aliquod consilium, arengum[17], uel etiam[18] parlamentum.

Et potestas, qui pro tempore fuerit, uinculo sacramenti et bando[19] quingentarum librarum dicto[20] communi integraliter persoluendarum[21] debeat[22] dictum statutum et quamlibet sui partem[23] integraliter obseruare et facere obseruari.

---

[1] Ap. Ljub.: „nominarentur". [2] ibid.: „scribentur". [3] ibid.: „quicumque". [4] ibid.: „bussuli". [5] Deest ibid. [6] ibid.: „unius". [7] ibid.: „bussulos". [8] ibid.: „qui bussuli". [9] ibid.: „dictos bussulos". [10] Cod. acad. A.: „quacumque". [11] Ap. Ljub.: „dicti bussuli". [12] Verba: „uel riuarios" usque ad: „fratres" desunt ap. Ljub. [13] Verba: „et numerent" usque ad „bussulo" desunt in cod. acad. A. et B. [14] Deest ap. Ljub. [15] ibid.: „repertę". [16] Cod. acad. A: „dictarum bussularum". [17] Ap. Ljub.: „arenga". [18] Deest ibid. [19] ibid.: „et pęna et banno". [20] Deest ibid. [21] ibid.: „persoluendo". [22] ibid.: „debet". [23] ibid.: „in qualibet parte sui".

CAP. II. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est[1], quod quando fiet electio potestatis dictę ciuitatis, non debeat esse pręsens potestas dictę ciuitatis, qui esset pro tempore in regimine[2] dictę ciuitatis, nec aliquis de sua familia, ad hoc, ut electio potestarię dictę ciuitatis possit libere celebrari. Et tunc loco potestatis sint in consilio tres iudices, qui debeant esse ad faciendum proposita[3] in dictis[4] consilijs: et per ipsos[5] uel unum eorum fiant proposita in dicto consilio; et etiam fiat, quidquid ad electionem potestatis pertinet; et syndici, nuntij, uel ambasciatores, qui ituri sunt pro potestate[6].

CAP. III. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est[7] ad hoc, ut electio potestarię[8] dictę ciuitatis possit fieri in pace et tranquillitate et sine turbatione dictę ciuitatis; quod quando fit[9] consilium pro electione dicti potestatis, quod[10] nullus debeat facere rumorem, nec tumultum in dicto consilio, nec aliquas iniurias, aut maleficia consiliarij debeant inter se dicere uel facere[11] in palatio communis Spalati[12]. Et quicumque contrafecerit, puniatur in duplo pęnarum et bandorum, quę continentur in pręsentibus statutis et ordinamentis contra committentes. Et nihilominus potestas seu rector dictę ciuitatis habeat super his arbitrium inquirendi omni solemnitate[13] cessante, dum tamen non excedat in condemnando duplum pęnarum, contentarum[14] in uolumine pręsentium statutorum.

CAP. IV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod dictus nuntius[15], syndicus uel[16] ambasciator mittendus pro potestatibus prędictis[17] promittat et iuret ad sancta Dei euangelia, offitium sibi commissum facere et exercere[18] bona fide; et portet secum in scriptis nomina electorum dictorum et unicuique dictorum electorum portet suas litteras

---

[1] Ap. Ljub.: „Item statuimus et ordinamus". [2] ibid.: „potestarię". [3] ibid.: „propositum". [4] Deest ibid. [5] ibid.: „dictos". [6] ibid.: „prędicto". [7] ibid.: „quod". [8] ibid.: „potestatis". [9] Deest in cod. acad. A. [10] Deest ap. Ljub. [11] ibid.: „cons. deb. int. se committere". [12] ibid.: „dicti communis". [13] Cod. acad. B: „solempnitate". [14] Deest ap. Ljub.: [15] ibid.: „uel". [16] ibid.: „etiam". [17] ibid.: „supradictis". [18] „et exercere" deest ibid.

speciales; et portet secum litteras sigillatas sigillo communis Spalati, in quibus contineatur[1], quis primus electus, quis secundus, quis tercius et sic de alijs, et illi, qui est primo electus, primo litteras pręsentet de regimine potestarię prędictę[2]. Et si[3] ille, qui primo est[4] electus uel nominatus, infra terminum, contentum in suis litteris renuntiaret regimini[5] potestarię prędictę; tunc pręsentet secundas litteras secundo electo et[6] per ordinem de alijs, donec perueniat[7] ad illum, qui acceptauerit regimen supradictum.

CAP. V. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis fuerit nominatus uel electus in potestatem dictę ciuitatis Spalati et ipsum regimen non acceptauerit in terminum sibi assignatum per litteras dicti communis; uel si[8] acceptaret[9] et non ueniret cum effectu cum iudice seu socio, notario et familiaribus alijs, contentis in pręsenti uolumine statutorum et qui sibi declarabuntur per speciales litteras dicti communis, ad dictam ciuitatem Spalati ad exercendum regimen ipsius potestarię Spalati;[10] ex[11] tali uocatione, electione uel acceptatione regiminis supradicti nullum jus[12] sibi acquiratur uel[13] acquiri debeat ullo modo, sed proinde[14] habeatur, ac si nominatio, electio, uel acceptatio nullatenus facta esset.

CAP. VI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, qui pro tempore fuerit ad regimen dictę ciuitatis electus, ueniat et uenire debeat ad regimen dictę ciuitatis[15] omnibus suis sumptibus et expensis in ueniendo, stando et redeundo[16] et contentus sit suo salario infrascripto; et etiam ad omne suum risicum et periculum et fortunam maris et terrę, exceptis a cursarijs de Almisio, Sclauo[17], Chrayna; de quibus ad risicum periculumque communis Spalati uenire debeat.

---

[1] Ap. Ljub.: „continentur". [2] Deest in cod. acad. A. et B. [3] Deest ibid. [4] Verba: „et illi" usque ad: „prędictę" desunt ibid. [5] Ap. Ljub.: „regimen". [6] ibid.: „sic". [7] ibid.: „peruenerit". [8] Verba: „non acceptauerit" usque ad: „uel si" desunt ibid. [9] ibid.: „acceptauerit". [10] Deest ibid. [11] Cod. acad. A: „et". [12] Sic Ljub. In cod. acad. A. et B. deest. [13] Ap. Ljub.: „nec". [14] Cod acad. B. et ap. Ljub.: „perinde". [15] Sic ap. Ljub. — Verba: „electus — ciuitatis" desunt in cod. acad. A. et B. [16] Cod. acad. A. et B: „redeundo ueniat". [17] Ljub.: „Scacco".

CAP. VII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod regimen ciuitatis[1] Spalati sit et esse debeat pro uno anno incipiendo a die, quo ipse potestas cum officialibus et familiaribus suis uenerit[2] ad ciuitatem Spalati et iurauerit exercere regimen supradictum in palatio uel arengo uel in consilio ciuitatis eiusdem.

CAP. VIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, qui pro tempore fuerit electus ad regimen dictę ciuitatis Spalati, teneatur secum ducere ad dictum regimen[3] unum militem socium seu iudicem in iure peritum, unum notarium et decem familiares armigeros.

CAP. IX. DE SALARIO POTESTATIS SPALATI[4].

Item statutum et ordinatum est, quod dictus dominus[5] potestas pro se et suis officialibus et familiaribus[6] teneatur habere pro[7] salario sui[8] regiminis potestarię prędictę a commune Spalati pro uno anno mille libras Venetorum paruorum in terminis infrascriptis; uidelicet, terciam partem dicti sui salarij in primis quattuor mensibus et aliam terciam partem in ultimis quattuor mensibus; ita tamen, quod in ultima solutione ultimorum quattuor mensium camerarij communis Spalati teneantur pęnes[9] se retinere[10] centum libras Venetorum paruorum usque ad complementum syndicatus ipsius potestatis et suorum officialium, ita quod si ipse potestas uel sui offitiales tempore eorum syndicatus inuenirentur accepisse aliquid a[11] communi uel speciali persona[12] dictę ciuitatis contra formam pręsentium statutorum, aut dolum uel fraudem in eorum offitio commisisse, quod de dicta quantitate centum librarum[13] satisfieri ualeat damnum passo; alias ipsa quantitas centum restitui, solui et satisfieri debeat ipsi domino potestati integraliter cum effectu et quod[14] idem potestas pęna ducentarum librarum de salario suo solutiones contentas in dicto statuto non possit, nec aliquam earum[15] debeat recipere a communi in terminis in dicto

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Cod. acad. B: „ueniet". [3] Ap. Ljub.: „exercendum". [4] „Spalati" deest ibid. [5] Deest ibid. [6] ibid.: „suis". [7] ibid.: „suo". [8] Deest ibid. [9] ibid.: „apud". [10] ibid.: „de dicto suo salario". [11] Deest ibid. [12] ibid.: „personę". [13] ibid.: „libras". [14] ibid.: „quia". [15] ibid.: „ipsarum".

statuto contentis absque pręsentia[1] trium iudicum et unius camerarij, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati: saluo et reseruato communi Spalati constituere[2] maius et minus salarium, ut consilio prędicto uidebitur conuenire.

CAP. X. DE SYNDICIS POTESTATIS SPALATI[3].

Item statutum et ordinatum est, quod prima die[4] post exitum regiminis potestatis in generali consilio dictę ciuitatis eligi debeant tres syndici, qui syndici teneantur[5] infra octo dies fideliter et bona fide secundum formam statutorum dictę ciuitatis et secundum bonam consuetudinem ciuitatis Spalati[6] syndicare et requirere rationem a potestate et ab omnibus suis officialibus[7]. Et si inuenerint dictum potestatem et suos officiales uel familiares aliquid habuisse, accepisse et extorsisse[8] a commune Spalati uel[9] specialibus personis dictę ciuitatis contra ius et formam pręsentium statutorum, aut si dolum uel fraudem in eorum offitio commiserint, quod eos debeant punire et condemnare ad restitutionem eorum, quę iniuste acceperint et contra[10] formam statutorum dictę ciuitatis. Et dictum syndicatum compleant infra dictos octo dies. Qui syndici teneantur inquirere diligenter contra potestatem, officiales et familiares suos, si quid fecerint contra prędicta. Et si inuenerint ipsum potestatem et suos officiales fraudem aliquam commisisse, quod puniant eos in duplo quantitatis, quam inuentus fuerit accepisse. Et si ciuitas Spalati esset sine rectore forensi et eligerentur rectores per consilium et commune Spalati ad regimen dictę ciuitatis, eodem modo debeant syndicari.

CAP. XI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati sit et esse debeat contentus salario supradicto, nec proponat, nec proponere[11] faciat in aliquo consilio generali uel speciali uel etiam in arengo, quod dictum salarium potestarię aliqualiter[12] augeatur, nec sub specie salarij, nec sub specie

---

[1] Ap. Ljub.: „licentia". [2] ibid.: „constituente". [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Cod. acad. B: „dies". [5] Sic ap. Ljub. Deest in cod. acad. A. et B. [6] Ap. Ljub.: „prędictę ciuitatis". [7] Cod. acad. A. et B: „debeant". [8] Ap. Ljub.: „extraxisse". [9] Deest ibid. [10] ibid.: „secundum". [11] ibid.: „proponi". [12] Deest ibid.

doni uel alio quocumque quęsito colore, directe uel indirecte. Et si contra factum fuerit, non ualeat ipso iure; et si aliquis contra prędictum statutum arengauerit, in libris quinquaginta irremissionabiliter condemnetur.

CAP. XII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est quod si coram dictis rationatoribus et syndicis eligendis ad requirendam rationem a dicto potestate et suis officialibus uel familiaribus non fuerit data aliqua petitio contra dictum potestatem et[1] suos officiales et familiares infra quattuor dies postquam dicti officiales inceperint dictum eorum offitium exercere, aut si aliqua petitio data fuerit et fuerit cassata per dictos officiales siue syndicos, uel fuerit renuntiata ab illo, qui dictam petitionem dederit, uel alias ipsa petitio fuerit[2] satisfacta, quod dicti syndici et officiales possint et debeant ipsum potestatem et suos officiales et familiares in[3] quinto die sui syndicatus absoluere. Et[4] ad hoc quod recedat cum honore, cum[5] amore, cum[6] pace et concordia communis et hominum ciuitatis Spalati.

CAP. XIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, cui fuerit pręsentatum regimen dictę potestarię, teneatur in tertia die[7], quo dictum regimen sibi fuerit pręsentatum per ambasciatorem, nuntium, uel syndicum[8] dicti communis pręcise sine aliquo pacto uel conditione acceptare uel renuntiare regimen supradictum et de ipsa acceptatione uel renuntiatione ipse syndicus, ambasciator uel nuntius fieri faciat publicum instrumentum, quod instrumentum in forma publica dictus syndicus, ambasciator uel nuntius debeat[9] reportare et ipsum resignare[10] dicto consilio et communi ciuitatis Spalati. Et si infra dictum terminum trium dierum non acceptauerit uel renuntiauerit[11] pręcise regimen supradictum, proinde habeatur et haberi debeat ac si[12] ipsum regimen pręcise renuntiasset infra terminum supradictum et ex dicta electione, nominatione uel pręsentatione nullum ius penitus acquirat[13] et quod dictus[14]

---

[1] Ap. Ljub.: „in“. [2] Deest in cod. acad. B. [3] Deest ap. Ljub. [4] Deest ibid. [5] Deest ibid. [6] Deest ibid. [7] Ap. Ljub.: „infra tertium diem a die“. [8] Deest ibid. [9] ibid.: „debeant“. [10] ibid.: „reassignare“. [11] Deest ibid. [12] Deest in cod. acad. A. [13] Ap. Ljub.: „acquiratur“. [14] Deest ibid.

syndicus, ambasciator uel nuntius possit et debeat statuere terminum unius mensis potestati uenturo ad ueniendum ad regimen dictę ciuitatis; qui syndicus[1], ambasciator uel nuntius nullam litteram[2] possit nouo potestati portare ab aliquo Spalatino[3] speciali de ciuitate Spalati banno vigintiquinque librarum.

CAP. XIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si dictus syndicus, ambasciator uel nuntius in dicta sua ambasciata seu in dicto suo officio aliquam fraudem uel dolum committeret, quod debeat condemnari communi Spalati in quinquaginta libris Venetorum paruorum et perpetuo sit infamis, ita quod nullum officium de cetero ualeat habere in ciuitate Spalati.

CAP. XV. QUOD POTESTAS DEBEAT FACERE COPIAM SUI.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas dictę ciuitatis et sui officiales teneantur uinculo sacramenti singulis diebus bona fide sine fraude facere copiam sui ad hoc, ut plena iusticia seruetur in ciuitate prędicta et ad hoc, ut ciues et forenses possint coram eis eorum facta et negotia uelociter expedire; et stare debeant ad ius reddendum publice et palam in palatio dicti communis, uel in logya, uel in scalis infra portas dictę ciuitatis omnibus diebus competentibus et temporibus opportunis.

CAP. XVI. DE IURAMENTO POTESTATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod iuramentum poteştatis Spalati[4] et suorum officialium fieri debeat isto modo; uidelicet, quod prima die introitus[5] ipsius potestatis et suorum officialium ad terram Spalati ipse potestas et sui officiales, uidelicet miles siue socius et notarius ipsius in publico arengo uel palatio[6], seu consilio dictę ciuitatis iurabunt corporaliter ad sancta Dei euangelia tactis scripturis, quod per unum annum completum in dicto regimine potestarię eorum officium fideliter et legaliter exercebunt; et quod omnes et singulas causas ciuiles et criminales, quę fient et[7] tractabuntur coram ipsis et in omnibus alijs occurrentibus ne-

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid.: „licentiam". [3] Deest ibid. [4] ibid.: „ciuitatis Spalati". [5] ibid.: „primo introitu". [6] ibid.: „parlamento". [7] Deest ibid.

gotijs tam in cognoscendo et examinando, quam[1] in sententiando et determinando, obseruabunt[2] primo et principaliter capitula et statuta dictę ciuitatis Spalati; et quod si dicta statuta non apparerent[3], obseruabunt bonas antiquas et approbatas[4] consuetudines dictę ciuitatis, quę consuetudines debeant probari per sex bonos, ydoneos et legales homines,[5] iuratos super sacrosanctis euangelijs dicere ueritatem de dicta consuetudine[6]; et quod non sint omnes de una domo, uel de una progenie, sed de diuersis et quod non attineant partibus secundum statutum[7] sententiarum; uel debeat probari ipsa consuetudo per duas sententias[8] latas in simili negotio per potestatem, iudices, seu officiales dictę ciuitatis; et quod si dicta statuta et consuetudines non apparerent[9], obseruabunt[10] bonam ęquitatem et iura ad gubernandum et manutenendum commune et homines[11] Spalati in bona pace et tranquillitate et magis ad alleuiandum[12], quam ad grauandum[13] quomodocumque[14] fieri poterit cum honore ciuitatis prędictę omni subtilitate malitię ommissa[15] et[16] remota. Item iurabunt ipse potestas et sui officiales omnibus et singulis habentibus facere coram ipsis, facere et obseruare ęqualiter iusticiam et specialiter ecclesijs, pauperibus, orphanis, uiduis et miserabilibus personis, quę sunt humano auxilio destitutę, quum[17] effectus uerę iusticię est, ut plurimum operetur in his quę minima[18] possunt. Item iurabunt non procurare per se, uel per interpositas personas, quod sibi salarium prędictum augeatur[19]. Item iurabunt tenere secreto omnes credentias dicti communis, nec reuellare eas, aut manifestare alicui personę in damnum[20] et obprobrium dicti communis; sed eas in secreto tenebunt, donec fuerint reuellandę, quum[21] scriptum est: „qui archana pandit et secreta reuellat ipsum[22] in proximo multa infortunia sequentur“[23]. Item iurabunt, quod nullum donum uel exenium recipient à communi uel a speciali persona ciuitatis prędictę[24], nisi id[25],

---

[1] Ap. Ljub.: „etiam“. [2] Cod. acad. A. et B: „obseruando“. [3] Ap. Ljub.: „apparebunt“. [4] Deest ibid. [5] ibid.: „testes et“. [6] Glossa marg: „Qualiter probatur consuetudo“. [7] Deest in cod. acad. B. [8] Ap. Ljub.: „ad minus“. [9] ibid.: „apparebunt“. [10] Deest ibid. [11] ibid.: „in ciuitate“. [12] ibid.: „homines“. [13] ibid.: „eos aggrauandos“. [14] ibid.: „quantumcnnque“. [15] Cod. acad. B: „obmissa“; ap. Ljub. deest. [16] Deest ap. Ljub. [17] ibid.: „quoniam“. [18] ibid.: „quam minimum“. [19] ibid.: „quod dictum salarium non acquiratur“. [20] Cod. acad. B.: „dampnum“. [21] Ap. Ljub.: „quoniam“. [22] Deest ibid.: [23] ibid.: „sequuntur“. [24] ibid.: „Spalati“. [25] Deest ibid.

quod eis promittitur per statutum. Item iurabunt, quod in ciuitate Spalati non comedent uel bibent cum aliqua speciali persona dictę ciuitatis, nisi forte in aduentu domini bani, uel domini comitis, uel cum domino archiepiscopo, nec cum aliquo forense habente quęstionem coram eo. Item iurabunt boina fide sine fraude requirere omnia bona et iura communis Spalati quęcumque essent occupata uel detenta iniuste et ea ad commune Spalati facere deuenire. Item iurabunt gubernare toto suo posse, quod pecunia et id quod habet dictum commune[1] non expendatur malo modo, nisi tantum in necessitatibus[2] dicti communis. Item iurabunt, quod non procurabunt publice uel priuate, quod pro sequenti anno debeat confirmari uel eligi in potestatem dictę ciuitatis, nec aliquis de sua familia. Item iurabunt[3] manutenere, gubernare et augere suo posse honores, dignitates[4], iurisdictiones, franchisiam et libertatem ciuitatis Spalati[5] et facere et curare quęcumque poterint[6] ad honorem et bonum statum dictę ciuitatis et[7] ualeant peruenire; et tollere suo posse omnia et singula, per quę status dictę ciuitatis turbaretur, uel[8] turbari possit, uel etiam in aliquo lederetur. Et prędicta omnia et singula iurabunt corporaliter tactis scripturis ad sancta Dei euangelia fideliter et legaliter attendere et obseruare bona fide, sine fraude, remotis hodio, amore, pręcio, pręcibus uel timore aut speciali lucro, uel damno, quod eis posset aliqualiter peruenire.

CAP. XVII. DE PACE SERUANDA PER RECTOREM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas ciuitatis Spalati et eius officiales teneantur pręcise uinculo sacramenti tenere et obseruare pacem cum omnibus et singulis hominibus et personis, ciuitatibus et communitatibus, cum[9] quibus ciuitas Spalati pacem habet; et si inuenerit, quod ciuitas Spalati haberet discordiam cum aliquibus, teneatur pro posse pacificare commune[10] cum eis et commune et[11] homines[12] ciuitatis Spalati; cum honore tamen dictę ciuitatis[13] et cum consilio nobilium ciuitatis prędictę et cum consilio generali ipsius ciuitatis.

---

[1] Ap. Ljub.: „quod pecunia et onera dicti communis dictę ciuitatis“ etc. [2] ibid.: „et utilitatibus“. [3] ibid: „fideliter“. [4] ibid.: „dictę ciuitatis Spalati“. [5] „et“ — „Spalati“ deest ibid. [6] Deest ibid. [7] Deest ibid. [8] ibid.: „et“. [9] ibid.: „personis communitatis et ciuitatis, in“. [10] Deest ibid. [11] Sic ibid. — Deest in cod. acad. A. et B. [12] ibid.: „dictę“. [13] ibid.: „Spalati“.

CAP. XVIII. QUOD POTESTAS SPALATI NON SIT DE DALMATIA.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector forensis, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati[1] et eius officiales et familiares nullo modo possint esse de partibus Sclauonię[2], nec de prouincia Dalmatię. Et contra pręsens statutum nulla proposita possit fieri uel arenga[3], et si fierit[4], non ualeat ipso iure. Et si potestas contra pręsens statutum aliquam propositam in consilio uel parlamento, uel arengo fecerit, uel facere[5] promiserit per se, uel aliquem suum officialem, puniatur in quingentis[6] libris de suo salario. Et quicumque ex consiliarijs contra pręsens statutum consulerit uel arengauerit, in quingentis libris puniatur et sit perpetuo exul de ciuitate prędicta. Et quicumque fuerit[7] potestas dictę ciuitatis, uel de sua familia aliquis, non possit eligi usque ad quinque annos sequentes post exitum sui regiminis in potestatem dictę ciuitatis.

CAP. XIX. QUOD POTESTAS SPALATI EXERCEAT REGIMEN POTESTARIE SUE[8] PER SE.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas ciuitatis Spalati teneatur regimen potestarię in ciuitate[9] Spalati per se personaliter et non per substitutum aut uicarium exercere, nisi ipse potestas infirmitate corporis grauaretur, aut nisi ipse se absentaret in seruitio communis pro aliqua ambasciata de uoluntate consilij generalis dictę ciuitatis. Et hoc capitulum intelligatur et intelligi debeat, quod potestas non possit se absentare a ciuitate et districtu Spalati cum[10] propria uoluntate sua et facere per substitutum uel uicarium ipsum[11] potestarię officium et regimen[12] exercere; sed dum est in ciuitate Spalati, possit per se et per[13] uicarium, socium et iudicem facere et ordinare ad ipsum regimen exercendum. Et[14] quidquid per talem uicarium factum fuerit, ualeat et teneat, ac si fieret a potestate prędicto.

---

[1] „in civ. Sp.“ deest ap. Ljub. [2] ibid.: „de Sclauonia“. [3] ibid.: „in consilio, uel arengo“ [4] ibid.: „quod“. [5] ibid.: „fieri“. [6] ibid.: „quinquaginta“. [7] Deest ibid. [8] ibid.: „potentię“; „suę“ deest in cod. acad. B. [9] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „in dicta ciuitate“. [10] Deest ap. Ljub. [11] Deest ibid. [12] „et regimen“ deest ibid. [13] ibid.: „et possit etiam per suum“. [14] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „quod“.

CAP. XX. QUOD RECTOR SPALATI NON SIT PARTIARIUS[1].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et[2] rector[3] et quicumque fuerit officialis dictę ciuitatis non debeat esse partiarius[4] nec dare se ad partem in ciuitate Spalati, nec plus fauere uni parti quam alteri, sed debeat esse legalis et iustus[5] et in iusticia, communitate et ęqualitate regere debeat[6] dictam ciuitatem. Et si quis eorum contrafecerit, ipso facto sit priuatus officio et regimine suo et perdat totum salarium, quod eis, uel alicui eorum constitutum uel promissum[7] esset; et remaneat ipsum salarium communi Spalatensi et in ipsum commune debeat peruenire[8].

CAP. XXI. DE CONSILIARIJS CIUITATIS[9] SPALATI[10].

Item statutum et ordinatum est, quod consilium generale ciuitatis Spalati sit et esse debeat de centum consiliarijs de melioribus dictę ciuitatis et non ultra; et quidquid factum fuerit per ipsos[11] centum, uel per maiorem partem ipsorum, semper ualeat et teneat et firmum sit et ratum. Et quilibet ipsorum consiliariorum sit maior uiginti annis; et hoc consilium debeat perpetuo durare et si contigerit, aliquem ad dictum consilium esse non posse morte, uel aliqua[12] iusta causa, quod loco illius alter[13] idoneus et sufficiens consiliarius debeat subrogari.

Et quilibet potestas infra primum mensem sui regiminis debeat examinare, si omnes consiliarij scripti in libro consiliariorum sunt uiui[14], nec ne; et si reperierit, aliquos eorum esse mortuos, uel ex alia causa taliter impeditos, quod ad consilium uenire non possint, tunc in generali consilio dictę ciuitatis in locum eorum per ipsum[15] consilium alios faciat eligere[16], ita quod dictus numerus centum consiliariorum dictę ciuitatis taliter sit completus[17]. Et consilium generale dictę ciuitatis Spalati[18] habeat potestatem omnia et singula faciendi et[19] exercendi in omnibus negotijs occurrentibus,

---

[1] Cod. acad. B: „partialis". [2] Deest in cod. acad. B. et ap. Ljub. [3] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „et iudex". [4] Ap. Ljub.: „non debeant esse partiarij". [5] ibid.: „debeant esse legales, iustos". [6] ibid.: „debeant". [7] ibid.: „a communi". [8] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „deuenire". [9] Deest in cod. acad. B. [10] Totum hoc capitulum deest in cod. acad. A. [11] Ap. Ljub.: „ipsum". [12] ibid.: „alia". [13] ibid.: „alius". [14] „sunt uiui" deest in cod. acad. B. [15] Ap. Ljub.: „generale". [16] ibid.: „eligi". [17] Cod. acad. B: „impletus". [18] Deest in cod. acad. B. [19] Deest ibid.

quęcumque pro honore et statu dictę ciuitatis fuerint facienda. Et quidquid per maiorem partem ipsius in dicto consilio deliberatum fuerit et obtentum, plenam[1] obtineat firmitatem.

CAP. XXII. DE IURAMENTO CONSILIARIORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, qui pro tempore[2] uenerit ad regimen ciuitatis Spalati[3], infra octo dies in principio sui regiminis teneatur uinculo sacramenti facere iurare omnes et singulos[4] consiliarios dictę ciuitatis, quod ipsi ueniant ad consilium hora debita, quando consilium bannitum fuerit et sonatum tribus uicibus, nisi absentia, infirmitate uel alia iusta causa excusentur[5]. Et postquam fuerint in consilio, tam in consulendo et arengando, quam etiam in capiendo ad partitum consuleant et capiant illam partem, quam ipsi credent[6] esse meliorem, utiliorem et magis honorabilem pro commune[7] Spalati. Et quod omnes credentias, quę eis imponuntur[8], non reuellabunt, nec manifestabunt in dedecus et prędiudicium dicti communis, sed ipsas credentias in secreto tenebunt, donec fuerint publicandę. Item iurabunt[9] saluare et gubernare pecuniam communis Spalati et quod non permittent, ipsam pecuniam expendere[10] nisi in necessitatibus et utilitatibus dicti communis. Item iurabunt recuperare et defendere toto suo posse, bona fide, sine fraude omnes honores, priuilegia, dignitates, libertates et iurisdictiones ciuitatis Spalati et archiepiscopatus dictę ciuitatis. Item iurabunt, quod postquam potestas ciuitatis Spalati uenerit ad exercendum regimen ciuitatis Spalati et potestarię prędictę[11] in ciuitate prędicta, nullo modo, directe uel indirecte sibi augebunt[12] salarium aliquo quęsito colore et quod non confirmabunt nec eligent ipsum potestatem, nec aliquem suum officialem, uel familiarem in potestatem dictę ciuitatis usque ad quinque annos proxime subsequentes, ut supra in alio statuto dictum est.

---

[1] Ap. Ljub.: „firmam". [2] Cod. acad. B.: „fuerit uel". [3] ibid.: „prędictę". [4] Ap. Ljub.: „suos". [5] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „excusaretur". [6] Ap. Ljub.: „crediderint". [7] ibid.: „ciuitatis". [8] ibid.: „imponerentur". [9] Deest in cod. acad. A. et B. [10] Ap. Ljub.: „expendi". [11] ibid.: „ad exercendum regimen potestarię". [12] ibid.: „augeatur".

CAP. XXIII. DE PROPOSITIS ET PARTITIS CONSILIARIORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla proposita possit[1] fieri in generali consilio ciuitatis[2] Spalati per rectorem, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate[3], nisi ipsa proposita fieret[4] cum uoluntate et deliberatione maioris partis curię dictę ciuitatis,[5] cum difficulter[6] in quolibet consilio posset[7] tota curia congregari. Et si contrafieret[8], ipsa proposita et reformatio facta in ipso consilio, quę sequeretur ex eo, non ualeat[9] ipso iure.

CAP. XXIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas seu rector ciuitatis[10] Spalati teneatur uinculo sacramenti omnes et singulas partitas in generali consilio ciuitatis[11] Spalati facere ad bussula et ballotas et non aliter. Et si aliter fierit, non ualeat ipso iure. Et quilibet uinculo sacramenti teneatur ambas manus mittere in dictis bussulis, unam manum in uno bussulo et aliam in alio[12], et relinquat ballotam priuate in quo bussulo uult, pęna duodecim denariorum.

CAP. XXV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque dederit aliquam petitionem in[13] consilio dictę ciuitatis de quacumque causa uel re; quod ipse[14], qui dederit ipsam petitionem et eius pater, filius, frater[15], consobrinus et nepos, scilicet filius fratris uel sororis, et cognatus, scilicet maritus suę sororis in continenti debeat exire de ipso consilio pęna quinque soldorum pro quolibet prędictorum, qui non exirent. Et quousque non exirent, nihil de dicta petitione proponi possit in ipso consilio et si aliquid proponeretur, uel reformaretur, non ualeat ipso iure.

---

[1] Ap. Ljub.: „possint.“ [2] ibid.: „dictę ciu.“ [3] Verba: „per“ usque ad. „ciuitate“ desunt ibid. [4] ibid.: „fierent.“ [5] ibid.: „Spalati“. [6] Sic cod. acad B. Ap. Ljub. atque in cod. ac ad. A: „difficultate“. [7] Deest ap. Ljub. [8] ibid.: „contrafactum fuerit“. [9] ibid.: „ualeant“. [10] ibid. „dictę ciu.“ [11] ibid. e. m. [12] ibid.: „bussulo“. [13] ibid.: „aliquo“. [14] Sic. ap. Ljub.: deest in codd. acad. A et B. [15] Ap. Ljub.: „carnalis“.

CAP. XXVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque de consilio generali cessauerit uenire ad consilium ad pulsationem campanę et uocem riuarij, unum grossum soluat communi Spalatensi[1], nisi se poterit excusare aliqua[2] iusta causa.

CAP. XXVII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque ex dictis consiliarijs in dicto consilio aliquid dixerit contra arengatorem stantem in arenga consilij, duos soldos in continenti communi soluere compellatur.

CAP. XXVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod unus arengator arengando non dicat id, quod alius dixit, nisi aliquid uellet addere, uel minuere pro meliori statu dictę ciuitatis[3]. Et qui contrafecerit, duos soldos in continenti soluere compellatur.

CAP. XXIX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de consilio generali debeat consulere arengando ultra id, quod in proposito[4] continetur, nisi manifeste appareret ad ipsam propositam pertinere. Et si contrafaceret[5], quinque soldos in continenti dicto communi soluere compellatur et eius consilium non ualeat. Et potestas de eo partitum facere non ualeat ullo modo.

CAP. XXX. DE CONSILIO CREDENTIE.

Item statutum et ordinatum est, quod per generale consilium ciuitatis Spalati eligantur usque ad numerum uiginti quinque hominum de bonis et legalibus hominibus dictę ciuitatis, qui dicantur et appellentur consilium credentię, quod debeat[6] durare per unum annum. Et rector faciat eos eligere in consilio generali dictę ciuitatis, ita tamen, quod ad dictum[7] consilium credentię simul et semel et eodem tempore non possit esse pater et filius aut duo

---

[1] Ap. Ljub.: „Spalati". [2] ibid. deest. [3] ibid.: „Spalati." [4] Cod. acad. B et ap. Ljub: „proposita". [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „contrafactum fuerit". [6] Ap. Ljub. et in cod. acad. B.: „qui debeant". [7] Deest ap. Ljub.

fratres carnales, aut duo uel plures habitantes in una domo et in una familia. Quod quidem consilium credentię habeat auctoritatem et bailiam expendendi pro factis et negotijs communis Spalati usque ad quantitatem uiginti librarum. Et habeat potestatem eligendi ambasciatores pro factis et negotijs dicti communis, non excedendo in expensis dictam quantitatem uiginti librarum, saluo quod in magnis factis et negotijs dicti communis excedentibus in expensis dictam quantitatem uiginti librarum ambasciatores eligantur in generali consilio dictę ciuitatis. Et etiam dictum consilium habeat auctoritatem in alijs casibus, in quibus per aliquod speciale statutum dicti communis ipsi consilio esset concessa aliqua auctoritas et bailia aliquid faciendi.

CAP. XXXI. DE HIS QUI DEBENT CONTRARIARI POTESTATI SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector dictę ciuitatis, qui pro tempore fuerit, in principio sui regiminis infra octo dies post introitum sui regiminis uinculo sacramenti pręcise teneatur et faciat iurare corporaliter ad sancta Dei euangelia tacto libro euangeliorum omnes et singulos homines infrascriptos contrariare in qualibet arenga uel parlamento et extra de non dando, nec donando, de ęre[1] communis Spalati potestati dictę ciuitatis, uel suis offitialibus aut familiaribus ultra salarium eorum[2], constitutum eis, nec concedere sibi arbitrium ultra uel contra formam statutorum dictę ciuitatis et de non confirmando ipsum, uel aliquem de sua familia in potestatem dictę ciuitatis[3] infra tempus prędictum quinque annorum, contentorum in superioribus statutis. Et quod ipsos omnes faciat iurare corporaliter ad sancta Dei euangelia prędicta omnia et singula[4] obseruare in animabus eorum omnium et singulorum hominum ciuitatis Spalati. Et si aliquis ipsorum morietur[5], in loco eius[6] faciat eligere alium per consilium generale. Nomina quorum hęc sunt: De contrata sancti Domnij[7] Lucharus Andreę, Micha Madij, Santius Dusscię et Junius Drasci. De contrata sancti Petri Damianus Marci[8], Madius Doymi et Jacobus Dobri. De contrata sancti Michaelis Theodosius Alberti, Petrus

---

[1] Cod. acad B et ap. Ljub.: „habere“. [2] Deest ap. Ljub. [3] Verba: „et de non“ usque ad „ciuitatis“ desunt in codd. acad. A et B. [4] Deest in cod. acad. B. [5] Ap. Ljub. „esset mortuus.“ [6] ibid.: „in locum mortuorum“. [7] Cod. acad. B.: „Dompnij.“ [8] Ap. Ljub.: Maroch.

*

Petrachę, Johannes Minaldi, Marinus Petrachę. De contrata sanctę Marię Petrus Leonardi, Egidius Raynaldi, Doymus Paruoslaui et Micha Dobri.

CAP. XXXII. DE RUMORE CONSILIARIORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de[1] consiliarijs consilij generalis uel credentię, dum est in ipso consilio, faciat rumorem. Et si ad mandatum domini potestatis uel rectoris Spalati, uel riuarij[2] non cessauerit facere dictum rumorem, duos soldos in continenti dicto communi soluere compellatur, saluo statuto, quod loquitur de pręceptis potestatis seu rectoris, cui statuto per pręsens statutum nullatenus derogetur.

CAP. XXXIII. DE PARTITIS ET[3] DE DICTIS CONSILIARIORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas seu rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, teneatur uinculo sacramenti in consilio facere partitum de quolibet arengante, faciente adpropositam in consilio, etiam[4] si arengatores fuerint discordes; et ipsum partitum faciant clare et aperte ad hoc, ut quilibet consiliarius possit de dictis arengatorum capere illud dictum, quod magis sibi placebit[5].

CAP XXXIV. DE NOUA GUERRA, QUOD ABSIT[6].

Item statutum et ordinatum est, quod nulla proposita possit fieri in consilio ciuitatis Spalati de aliqua[7] guerra facienda uel incipienda per commune Spalati, quod quidem absit[8], nisi in ipso consilio ad minus essent centum consiliarij. Et si cum minori numero consiliariorum fieret, non ualeat ipso iure. Et potestas et rector dictę ciuitatis sub pęna ducentarum librarum de suo salario talem reformationem nullatenus exequatur, nec propositam etiam in ipso consilio faciat. Nam arduis factis debet maturum et salubre consilium exhiberi. Et rector dictę ciuitatis per pęnas et banna[9] compellat ipsos consiliarios uenire ad[10] consilium. Et in dicto casu, quicumque

---

[1] Ljub.: „d ctis". [2] Deest ap. Ljub. [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Ap. Ljub.: „lectam". [5] ibid.: „placet". [6] Deest ibid. [7] ibid: „noua". [8] Verba „facienda" usque ad: „absit" desunt ibid. [9] Cod. acad. B. „banda". [10] Ap. Ljub.: „dictum."

consiliarius non ueniret ad dictum consilium, soluat duos grossos communi[1], nisi iustam causam infirmitatis uel absentię, uel aliam iustam causam haberet.

CAP. XXXV. DE ARENGANTIBUS PRO HONORE[2] SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis Spalatinus[3] dixerit uel arengauerit in aliquo pro honore et utilitate communis Spalati, quod potestas uel rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, non possit ipsum de dicta causa condemnare[4] uel eum grauare modo aliquo realiter, uel personaliter, nec ad confinia mittere. Et si agrauaret, uel condemnaret eum, non ualeat, nec teneatur[5] in aliquo et soluat de suo salario, si contra prędicta fecerit, centum librarum[6] Venetorum paruorum et nihilominus sequens rector uinculo sacramenti et sub dicta pęna teneatur facere restituere illi, qui esset condemnatus[7] prędicta occasione ad petitionem illius, qui damnum[8] prędictum receperit; statuto aliquo loquente in contrarium non obstante. Et si per potestatem uel rectorem agrauaretur et agrauatus uellet protestari uel appellare a dicto grauamine, quod sibi fieret occasione prędicta: notarius quicumque teneatur scribere protestationem uel appellationem sub pęna centum librarum. Et quod rector non possit pręcipere notario de non faciendo appellationem; et si pręciperet, pręceptum non ualeat et soluat de suo salario libras centum dicto communi; saluo quod nullus consiliarius possit arengare contra aliquod speciale statutum, ubi inponeretur aliqua pęna contra dictum statutum[10].

CAP. XXXVI. QUOD CONSILIARIJ NON POSSINT ESSE BECCARIJ ALIQUO MODO.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus consiliarius[11] ciuitatis Spalatinę possit esse beccharius, uel uendere carnes in beccharia dicti communis; et si contrafecerit, priuetur[12] ipso consilio, ita quod consiliarius esse non possit; et[13] omni alio officio communis Spalati sit priuatus; saluo quod emptores douanę beccharię ad dictum statutum pro tempore emptionis dictę douanę nullatenus

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid.: „ciuitatis". [3] ibid.: „ciuis Spalati". [4] Cod. acad. B: „condempnare". [5] Ap. Ljub.: „teneat". [6] ibid.: „libras". [7] Cod. acad. B: „condempnatus". [8] ibid.: „dampnum". [9] Cod. Chiud.: „arrenganti". [10] „aliquo modo" deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [11] Ap. Ljub. „dictę". [12] ibid.: „ab". [13] ibid.: „ab".

teneantur uendendo carnes secundum formam statutorum. Et quicumque consiliarius uendiderit carnes contra formam dicti statuti, qualibet uice ultra dictas pęnas condemnetur in quadraginta soldis. Et notarius potestatis et rectoris Spalati qualibet septimana et quandocumque uidebitur rectori, debeat ire ad beccharium ad faciendum seruare dictum statutum. Et potestas et rector dictę ciuitatis possit in hoc casu procedere per inquisitionem contra delinquentes et eos condemnare in dicta pęna.

CAP. XXXVII. DE MUTATIONE CURIE.

Item statutum et ordinatum est, quod mutatio curię et officialium[1] ciuitatis Spalati fieri debeat in generali consilio ciuitatis prędictę singulis tribus mensibns; uidelicet, quod numerentur consiliarij in ipso consilio existentes et fiant tot ballotę, quot erunt consiliarij, congregatę in uno pileo siue capello, existente in manu riuarij; qui riuarius stet[2] ante dictum potestatem: de quibus ballotis quinque sint signatę. Et ipsi consiliarij uadant ad accipiendum dictas ballotas seu scarphynas et illi primi quinque, ad quos ballotę siue şcarphynę signatę peruenerint, debeant totam curiam eligere et renouare[3] secundum formam statuti prędicti; dummodo prędicti[4] electores siue renouatores[5], ad quos primo in consilio ballotę siue scarphynę signatę peruenerint, non possint in officiales dictę curię[6] eligere patrem, filium, fratrem carnalem, fratrem consobrinum, nec patruum aut nepotem carnalem ipsorum nec alicuius eorum. Et ipsi[7] electores non possint esse[8] inter se in dictis gradibus coniuncti, ita tamen, quod statim, quando ballotę signatę peruenerint in manu alicuius de dicto consilio, omnes sui propinqui illius[9], ad quem illa ballota signata peruenerit, qui propinqui non possint pro eo sententijs interesse, separent[10] se de consilio et exeant de palatio communis, ut de dictis quinque ballotis signatis habere non possint. Et dicti electores ad dicta officia non possint eligere aliquem de se ipsis, nec aliquem alium, qui sit condemnatus[11] publice de periurio, seu furto, uel falsitate, nec aliquem alium contra

---

[1] Ap. Ljub.: „prędictę". [2] ibid.: „est". [3] ibid.: „reuocare". [4] ibid.: „quinque". [5] ibid.: „quinque". [6] ibid.: „curię". [7] „Dictę curię" deest ibid. [8] Cod. acad. B et ap. Ljub. „quinque". [9] Sic. ap. Ljub. — Deest in cod. acad. A et B; [10] Ap. Ljub. Deest in cod. acad. A et B. [11] Cod. accad A: „separent". [13] Cod. acad. B: „condempnatus".

formam presentium statutorum sub pena librarum viginti quinque. Dicti autem electores eligent officiales infrascriptos, scilicet[1] tres iudices, qui sint de nobilibus dictę[2] ciuitatis, cui pater uel auus, uel ipsemet extiterit in dicto offitio iudicatus. Bastardus autem siue spurius et eius filius aut nepos eligi non possint in dicto offitio iudicatus.

Item eligant sex consiliarios, qui sint super sententijs diffiniendis et etiam terminandis. Item eligant quinque examinatores, qui examinent omnia[3] instrumenta facta toto tempore sui offitij et suas examinationes scribant in quaterno communis recipiendo pro quolibet instrumento a ciue[4] quatuor denarios. Item eligant tres inquisitores de nobilibus ciuitatis super usuris et testamentis. Item duos iusticiarios[5]. Item duos syndicos, qui omnes officiales durent in eorum[6] offitio pro uno quoque[7] tribus mensibus et non plus; et in omni capite trium mensium in consilio renouentur[8] secundum formam superius memoratam.

Et dicti electores non possint eligere in iudices consiliarios, aduocatos et examinatores uillanos seu bastardos, nisi tantummodo nobiles; et si eligerent, talis electio non ualeat. Et si ipsi electores contrafecerint, quilibet eorum soluat communi quinque libras Venetorum paruorum. Et nullus dictorum trium iudicum conpellatur inuitus ad dictum offitium exercendum: qui uero assumpserit dictum offitium iudicatus, habeat in dictis tribus mensibus, quibus steterit in dicto offitio, pro suo[9] salario quinque soldos Venetorum paruorum in commune Spalati pro quolibet[10]. Qui iudices teneantur sedere ad iura redenda quatuor diebus in ebdomada et omni die ueneris sint cum potestate uel rectore dicti communis ad examinandum et[11] determinandum omnes questiones, que actitate fuerint coram eis. Et dicti iudices non possint aliquam sententiam dare a quinque libris[12] supra sine consilio et consensu dicti potestatis, si potestas uoluerit ad predicta[13] interesse quem specialiter requirere teneantur. Et si aliqua partium noluerit et dixerit, quod ipsi iudices non procedant ad sententiam sine consilio potestatis, tunc iudices non possint aliquam sententiam proferre non requisito consilio

---

[1] Ap. Ljub.: „uidelicet". [2] ibid.: „prędictę". [3] Verba: „diffiniendis" usque ad: „omnia" desunt ibid. [4] ibid: „uice". [5] ibid.: „inficiarios". [6] Deest ibid. [7] ibid.: „quandoque". [8] ibid.: „renouent". [9] Deest ibid. [10] ibid.: „eorum". [11] ibid: „exercendum ad". [12] Cod. acad. B: „libras". [13] Deest ibid.

potestatis; et si sententiam tulerint, non ualeat ipso iure. Sed si pars tacuerit et sententia fuerit lata per solos iudices, plenam obtineat firmitatem.

CAP. XXXVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod simul et semel non possint esse iudices prędicti, uel unus iudex et alter aduocatus, uel consiliarius pater et filius, uel duo de dictis fratres carnales, uel duo fratres consobrini, uel patruus et nepotes carnales, uel nutricius[1] et priuignus ex ipsis sex consiliarijs, uel alij habitantes in una domo et in una familia.

CAP. XXXIX. QUOD IUDICES NON POSSINT SE ABSENTARE.

Item statutum et ordinatum est, quod illi tres iudices, qui debent[2] sententijs interesse[3] et propositis de toto tempore trium mensium eorum offitij, non possint se absentare[4] a ciuitate Spalati ultra xv dies, nec aliquis absens[5] eligi debeat ad dictum offitium, qui se absentaret[6] a ciuitate Spalati ultra dictos dies xv. Et si se absentaret[7], salarium habere non debeat ullo modo, nisi se absentaret[8] in seruitio et in ambassiata[9] communis Spalati; et per electores curię alter iudex eligatur in locum illius, qui se absentauerit[10] et absens[11] fuerit ab offitio supradicto.

CAP. XL. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet de dictis tribus iudicibus debeat esse ętatis adminus xxx^ta^ annorum; et electio facta in contrarium non ualeat et elector sit periurus. Idem in examinatoribus[12].

CAP. XLI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque fuerit in aliquo publico offitio dictę ciuitatis, non possit assumi in eodem

---

[1] Ap. Ljub.: „uitricus". [2] ibid.: „esse". [3] Deest ibid. [4] Cod. acad. B: „abscentare". [5] ibid.: „abscens". [6] ibid.: „abscentaret". [7] ibid.: e. m. [8] ibid.: e. m. [9] ibid.: „ambasciata". [10] ibid.: „abscentauerit". [11] ibid.: „abscens". [12] „Id. in exam." Deest ap. Ljub.

offitio, nisi post terciam mutationem, sua electione non computata et si assumeretur, non ualeat, nec possit ipsum offitium exercere.

CAP. XLII. DE AMBASSIATORIBUS COMMUNIS[1] SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod ambasciatores communis Spalati eligi debeant per generale consilium dictę ciuitatis. Et si necessitas aut aliqua[2] utilitas dictę communi occurreret, subito in paruis et non in magnis, nec in periculosis negotijs dictę ciuitatis possint eligi per consilium credentię, quia graue esset hominibus dictę ciuitatis, pro quolibet ambasciatore mittendo pro dicto communi semper facere consilium generale. Et per potestatem detur semper ambasciata in scriptis ipsis ambasciatoribus, ut ambasciatores substancialiter non possint aliquid addere uel minuere in eorum ambasciata. Et potestas et eius curia uinculo sacramenti teneatur[3] omnes et singulas ambasciatas dicti communis in scriptis dare et copiam punctorum ambasciatę, si aliquam grauitatem contineret, per notarium reformationum dicti communis, qui ad hoc specialiter deputetur et tam dictę ambasciatę, quam omnes litterę missiuę et remissiuę dicti communis, quę possent aliquod pondus uel prejudicium preparare dicto communi, per eundem notarium registrentur, ut de ipsis possit haberi copia[4], quandocumque dicto communi uidebitur expedire; precipue de his, quę ipsi potestati et dictis iudicibus et consiliarijs dicti communis uidebuntur registrandę esse.

CAP. XLIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod dicti ambasciatores nichil ex se dicant, faciant uel promittant nisi quod eis preceptum fuerit per potestatem seu rectorem dicti communis. Et si in aliqua fraude fuerint deprehensi, uel obligationem aliquam per se fecerint[5], uel plus quam eis commissum fuerit, promiserint, totum de eorum bonis satisfacere compellantur et soluant pro bando dicto communi pro qualibet uice libras uiginti quinque et sint infames.

---

[1] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „ambassciatoribus". [2] Deest ap. Ljub. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „teneantur". [4] Deest ap. Ljub. [5] Ap. Ljub.: „faciunt".

CAP. XLIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod ambasciatores dicti communis per potestatem et curiam suam possint compelli ad faciendum ipsas ambasciatas realiter et personaliter, nisi infirmitate corporis grauarentur, uel alias haberent iustum impedimentum. Et quicumque ciuis Spalatinus uoluerit recipere dictas ambasciatas, nisi iustum impedimentum habuerit, soluat communi decem libras, uel uadat per centum miliaria longe a ciuitate Spalati et sit absolutus a dicta ambasciata et in locum eius alius ambasciator eligatur. Et idem de omnibus alijs offitialibus, exceptis de tribus iudicibus ordinamus.

CAP. XLV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod ambasciatores dicti communis habeant et habere debeant pro eorum salario pecuniam infrascriptam; uidelicet, si potestas dictę ciuitatis iuerit in aliqua ambasciata pro factis dicti communis, habeat a dicto commune expensas. Et si aliqui ambasciatores iuerint in ambasciata communis cum domino potestate extra pertinentias et territorium ciuitatis Spalati, habeant et habere debeant expensas a commune et medium salarium, quod debent recipere si irent sine domino potestate in aliqua ambasciata communis. Item quicumque alius nuntius uel ambasciator[1] communis Spalati iuerit in Hungaria usque Danubium, habeat a commune[2] centum libras et si minus uel plus uiagium fecerit, habeat per rationem pro rata parte. Si uero iuerit Venetias, habeat omni die xij soldos cum seruitore uno uel duobus suis expensis et non communis. Si iuerit Anchonam uel[3] Marchiam uel Ystriam uel Apuleam siue Durachyum, habeat similiter omni die xij soldos. Si iuerit Rasciam, habeat libras quinquaginta et si minus uiagium uel plus fecerit, habeat per rationem pro rata parte. Qui uero iuerit Bosniam[4], habeat equum a commune et soldos octo pro quolibet die. Qui uero iuerit per Dalmatiam, uel Sclauoniam, habeat pro quolibet die tres grossos argenti, saluo quod si iuerit Tragurium, Sybenicum, Almiscium, uel ad insulas, habeat pro quolibet die septem soldos et habeat barcham uel equum et

---

[1] Ap. Ljub. „dicti". [2] ibid.: „iuerit in Hungariam, habeat a communi usque ad Danubium" etc. [3] ibid.: „in". [4] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „Bosnam". [5] Deest in cod. acad. A.

equus habeat tres grossos; si ultra unum diem steterit, habeat pro quolibet die vij soldos et pro seruitore, si eum duxerit, habeat pro quolibet die unum grossum.

CAP. XLVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas uinculo sacramenti teneatur per suum notarium facere scribere diem, quo dicti ambasciatores uadunt in aliqua ambasciata et diem in quo reuertuntur; ita quod si pluribus diebus esset satisfactum dictis ambasciatoribus, quam seruierunt[1], in continenti dictos ambasciatores illud superfluum potestas faciat restituere communi Spalatensi[2] et camerarijs dicti communis sine aliqua tarditate; ita qnod non possit alicui ambasciatori pro pluribus diebns satisfieri, nisi tantum pro illis diebus, quibus steterit et seruierit in ambasciata predicta.

CAP. XLVII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si[3] ambasciatores dicti communis, quando[4] uadunt in aliqua ambasciata dicti communis, derobarentur a malis hominibus, uel uulnerarentur, quod absit, uel aliud[5] damnum[6] receperint occasione dictę ambasciatę: quod tale damnum[7] sibi per commune Spalati debeat emendari. Item etiam in alijs negotijs, quod si occasione communis Spalati et causa manutenendi honorem, libertatem et iurisdictionem dicti communis aliquis sustinuerit aliquod damnum[8], quod tale damnum[9] sibi per commune Spalati debeat emendari.

CAP. XLVIII. DE OFFICIO CAMERARIORUM COMMUNIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod offitium camerariorum communis Spalati debeat esse tale, uidelicet, quod ipsi camerarij teneant sigillum communis Spalati, ita quod quandocumque aliqua littera fuerit sigillanda pro commune, defferant sigillum coram potestate et coram tribus iudicibus et sex consiliarijs deputatis ad propositas faciendas[10], ita quod litterę sigillandę sigillo communis Spalati sigillentur de consensu potestatis et dictorum trium iudicum

---

[1] Ap. Ljub. „seruierint". [2] Cod. acad. B: „Spalatensium"; ap. Ljub.: „Spalati". [3] Deest ap. Ljub. [4] ibid.: „quando". [5] Cod. acad. A: „aliquod". [6] Cod. acad. B: „dampnum". [7] ibid. e. m. [8] ibid. e. m. [9] ibid. e. m. [10] Ap. Ljub.: „proposita facienda".

et sex consiliariorum, uel maioris partis eorum: saluis magnis factis et magnis negotijs communis Spalati, super quibus in aliquo[1] litterę sunt sigillandę sigillo dicti communis: tunc sigillentur ex deliberatione consilij credentię. Et dictum sigillum teneatur[2] in una bursa. Item sit offitium dictorum camerariorum, quod ipsi faciant exemplare in uno libro condemnationes[3], que fierent per potestatem dictę ciuitatis et nomina[4] condemnatorum[5] et quantitates, in quibus sunt condemnati[6] et nomina fideiussorum condemnatorum[7] ipsorum. Et teneantur omni ebdomada requirere potestatem et suos offitiales et ipsas condemnationes[8], quascumque possint[9] exigere, exigant et exigere debeant cum effectu. Et si potestas et eius offitiales fuerint negligentes in non exigendo dictas condemnationes[10], quę possunt exigi: tales condemnationes[11] non exactę debeant computari in salario dicti domini potestatis. Item sit offitium dictorum camerariorum, quod de introitibus et expensis dicti communis fiant duo libri similes, qui scribantur per notarium potestatis et unus remaneat penes ipsum[12] potestatem. Et ipse potestas teneatur in fine sui regiminis reassignare ipsum librum communi Spalatensi[13] cum alijs libris et actis dicti communis. Item sit offitium dictorum camerariorum, quod semper in aduentu noui potestatis infra secundum diem regiminis ipsius potestatis faciant facere duo inuentaria similia per notarium ipsius potestatis, de lectis[14], scamnis[15], dischis ac tabulis[16] et de omnibus rebus mobilibus dicti communis et quod remaneant ipsi domino[17] potestati nouo et suę familię. Et unum de dictis inuentarijs remaneat[18] penes ipsum potestatem et suam curiam, aliud remaneat penes camerarios prędictos pro dicto commune. Et dicti camerarij non possint esse, nisi de bonis et legalibus hominibus dictę ciuitatis et teneantur uinculo sacramenti et sub pęna decem librarum pro quolibet eorum[19] in fine regiminis ipsius potestatis facere diligenter uidere et examinare, si omnes res

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Cod. acad. B et ap. Ljub. „teneant". [3] Cod. acad. B: „condempnationes". [4] Ap. Ljub.: „nomen". [5] Cod. acad. B: „condempnatorum". [6] ibid.: „condempnati". [7] ibid.: „condempnatorum". [8] ibid.: „condempnationes". [9] Ap. Ljub.: „possunt". [10] Cod. acad. B: „conoempnationes". [11] ibid. e. m. [12] Deest ap. Ljub. [13] Cod. acad. B: „Spalatensium"; ap. Ljub.: „Spalati". [14] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „lecterijs". [15] Cod. acad. B: „scampnis". [16] Ap. Ljub.: „a tabula". [17] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [18] Deest ap. Ljub. [19] ibid.: „illorum".

prędictę assignatę ipsi potestati per inuentarium remanent in dicto palatio communis penes successorem ipsius potestatis. Et si aliquę de dictis rebus essent perditę, prędicti racionatores et syndici potestatis faciant hoc satisfacere et emendare de salario dicti potestatis. Et offitium dictorum camerariorum duret tribus mensibus et quilibet eorum debeat habere pro suo salario de ęre[1] dicti communis tres libras. Finito autem offitio dictorum camerariorum teneantur reddere rationem in consilio generali ciuitatis Spalati de tota administratione dicti eorum offitii.

CAP. XLIX. DE CUSTODIA CARCERIS COMMUNI SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod carceres communis Spalati debeant custodiri per aliquem riuarium dicti communis, qui riuarius teneat claues dicti carceris et pro quolibet carcerato habere debeat unum grossum. Et si aliqui captiui essent[2] de aliquibus malefitijs condemnati[3], ita quod suspitio esse posset ne fugiant, tunc potestas et eius curia de nocte faciat custodire dictos carceres per custodes, qui sunt[4] ad custodiam logię et ad periculum ipsorum custodum tempore noctis si captiui aufugerent de carcere prędicto.

CAP. L QUOD FURES ET FALSARIJ NON HABEANT OFFITIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus falsator de carta, de bulla, aut fur manifestus aut periurus aut proditor communis Spalati habeat aliquod offitium a communi dictę ciuitatis; et quicumque ipsum eligeret[5] ad aliquod offitium, soluat communi quinquaginta libras et eius electio non ualeat, sed sit irrita ipso iure; nec sacramentarius esse possit, nec testis. Et si manifestior fuerit, bandiatur in platea communis et eius nomen scribatur in capitulari ciuitatis Spalati, ut possit omnibus esse notum et quod potestas expellat de consilio ipso uinculo sacramenti.

CAP. LI. DE CUSTODIA CIUITATIS SPALATI[6].

Item statutum et ordinatum est quod pro bona custodia ciuitatis Spalati facienda[7] quilibet potestas infra octo dies in principio sui

---

[1] Cod. acad. B. et Ap. Ljub.: „habere“. [2] Ap. Ljub.: apponuntur verba: „in dictis carceribus pro malefficijs, uel essent“ etc. [3] Cod. acad. B.: „condempnat“. [4] Ap. Ljub.: „ad custodiendum et“. [5] ibid.: „elegerit“. [6] „Spalati“ deest in cod. acad. B. et ap. Ljub. [7] Ap. Ljub.: „quod“.

regiminis teneatur uinculo sacramenti in generali consilio dictę ciuitatis facere eligere per ipsum consilium ad scrutinium, uel[1] alio modo, ut consilio placuerit[2], hominem maiorem ętate xxx^{ta} annis, qui debeat esse super custodia dictę ciuitatis et debeat habere penes se quaternum[3] caput decenarum omnium hominum dictę ciuitatis, ut de ipso quaterno caput decenarum ad expensas dicti communis faciat facere unam copiam, ita quod unus quaternus caput decenarum dictarum sit penes dictum offitialem electum super ipsa custodia ciuitatis[4], alia copia sit et esse debeat penes dictum potestatem et suam curiam. Et ordinate de dicto libro quolibet mense scribantur in pręsentia notarij potestatis omnes illi, qui debent facere custodiam[5] illius mensis et ita ordinate per ipsum librum scribantur et pręcipiatur eis per dictum potestatem et suam curiam, quod ipsam custodiam ipsius ciuitatis, ad quam sunt ordinati, quilibet eorum debeat facere diligenter, ita quod unumquemque de dicta ciuitate tangat custodia per ordinem, donec sint completę dictę caput decenę, ita quod nullus grauetur de ipsa custodia[6], nisi omnes caput decenę sint completę et adęquatę. Et dictus offitialis, qui fuerit electus ad dictam custodiam, semper teneatur ibidem[7] reincipere et facere reincipi custodiam una cum domino potestate et sua curia, ubi inuenerit eam factam et finitam et postea per ordinem faciat alios ponere ad ipsam custodiam donec totus dictus numerus[8] caput decenarum sit completus et sic semper fiat per ordinem.

Item, quod dictus offitialis teneatur uinculo sacramenti et pęna et bando uiginti soldorum pro qualibet uice omni sero ire cum familiaribus dicti potestatis ad requirendum dictos custodes, si reperiuntur ad dictam custodiam secundum quod sunt ordinati, ad hoc, ut illi, qui non reperiuntur ad dictam custodiam, possint puniri per ipsum dominum potestatem[9] secundum formam statutorum. Et si aliquis offitialis committeret aliquam fraudem in offitio suo, puniatur qualibet uice in centum soldis; et dictus potestas una die ante mensem completum, id est penultima die ciuislibet mensis una cum dicto offitiali faciat extrahere in cedullis copiam nominum omnium illorum, qui debent facere custodiam dictę ciuitatis de mense sequenti et faciat eis pręcipere per riuarios dicti communis,

---

[1] Ap. Ljub.: „in“. [2] ibid.: „unum bonum, fidelem et legalem“. [3] Deest ibid. [4] ibid.: „et“. [5] Sic ap. Ljub. Deest in cod. acad. A. et B. [6] Ap. Ljub.: „duplicare custodiam“. [7] Deest ibid. [8] ibid.: „et“. [9] Verba: „ad hoc“ usque ad: „potestatem“ desunt ap Ljub.

quod ipsi debeant incipere eorum custodiam in Kalendis talis mensis et quod debeant omni nocte ipsam custodiam facere per totum dictum mensem et quicumque non fuerit repertus ad ipsam[1] custodiam sibi impositam, pro omni nocte, qua non esset inuentus ad ipsam[2] custodiam per familiam dicti domini potestatis, soluat communi Spalatensi[3] quinque soldos, nisi habuerit iustum impedimentum, quod iustum impedimentum[4] teneatur probare adminus per unum testem et per suum sacramentum. Dictus autem offitialis pro dicto anno habere debeat a commune pro suo salario xxx^ta soldos pro quolibet mense. Et quod ad dictam custodiam faciendam nullus forensis pro aliquo ciue debeat ire, sed dicti custodes debeant esse ciues et habitatores dictę ciuitatis Spalati et maiores ętate[5] decem et octo annorum.

CAP. LII. DE FURTIS COMMISSIS DE NOCTE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquod furtum de nocte fieret in ciuitate Spalati de uegetibus existentibus ad marinam uel de alijs rebus, ualentibus minus centum soldis et non possit reperiri malefactor, quod dicti custodes illius loci, ubi dictum furtum factum esset, teneantur dictum damnum[6] seu furtum emendare usque ad ualorem dictę quantitatis centum soldorum, ad hoc ut dicti custodes de nocte diligenter intendant ad custodiam ciuitatis; facta competenti probatione ab illo, qui dixerit[7], furtum sibi factum esse et[8] dictum furtum sibi factum fuerit. Quę competens probatio remaneat in prouidentia potestatis seu rectoris ciuitatis Spalati.

CAP. LIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod ad ipsam custodiam faciendam non teneantur orphani, uiduę et miserabiles personę, quę non habent in eorum domo uel familia aliquem masculum sufficientem ad ipsam custodiam. Et hoc totum remaneat in prouidentia potestatis et suę curię. Alij uero habitatores dictę ciuitatis a dicta custodia nullo modo se ualeant excusare.

Item, quod dicti custodes non discedant ab eorum postis, ad quas

---

[1] Ap. Ljub.: „dictam". [2] ibid. e. m. [3] Cod. acad. B.: „Spalatensium"; ap. Ljub.: „Spalati". [4] Deest in cod. acad. A. [5] Cod. acad. B.: „hetate"; ap. Ljub. deest. [6] Cod. acad. B: „dampnum". [7] Ap. Ljub.: „dixit". [8] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „quod".

fuerint ordinati, pęna et bando soldorum quinque pro qualibet uice, nisi per offitialem[1] dictę ciuitatis ad custodiam ciuitatis[2] faciendam aliter fuerit ordinatum[3]. Et teneantur dicti custodes uinculo sacramenti denuntiare rectori dictę ciuitatis omnes et singulos, qui uadunt de nocte per ciuitatem Spalati post tercium sonum campanę contra formam statutorum; et credatur suę relationi et denuntiationi cum sacramento custodis denuntiantis.

CAP. LIV. DE CUSTODIA SUPER BLADIS[4].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et sua curia bis in anno adminus teneatur in consilio generali dictę ciuitatis facere eligere custodes, quicumque consilio prędicto uidebuntur conuenire, qui debeant esse super custodiam bladi[5] tam in platea ubi uenditur granum, quam ad portum et ripam maris dictę ciuitatis et tam de die, quam de nocte et ubicumque fuerit oportunum; ad hoc, ut statuta, quę continentur infra in quinto libro uoluminis pręsentium statutorum possint integraliter adimpleri. Et dicti offitiales teneantur uinculo sacramenti iurare et facere ipsam custodiam bene, fideliter et diligenter et sine fraude et denuntiare domino potestati et suę curię omnes illos et singulos, qui extraherent bladum[6] de ciuitate[7] et suo districtu, uel aliquid facerent contra formam statutorum. Et si ipsi offitiales fraudem in eorum offitio commiserint, quilibet eorum in decem libris qualibet uice puniatur. Et quilibet ipsorum offitialium habeat et habere debeat pro suo salario de camera[8] dicti communis pro quolibet mense uiginti soldos.

CAP. LV. DE RIUARIJS ET PLAÇARIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod riuarij seu plaçarij ciuitatis Spalati sint et esse debeant quatuor secundum quod esse consueuerunt temporibus retroactis. Qui riuarij omni anno debeant habere a commune Spalati duas tunichas pro quolibet eorum, scilicet[9] in festo natiuitatis Domini et aliam[10] in festo santi Domnij[11]; item tres libras denariorum paruorum[12] et quinque modia ordei pro

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „officiales". [2] „ad custodiam ciuitatis" deest in cod. acad. A et B. [3] Ap. Ljub.: „fuerint ordinati". [4] Cod. acad B et ap. Ljub.: „blaua". [5] Ap. Ljub.: „blauę". [6] ibid.: „blauam". [7] ibid.: „Spalati". [8] ibid.: „a communi de habere" etc. [9] ibid.: „unam". [10] ibid.: „etiam". [11] Cod. acad. B: „Dompnij". [12] Deest ap. Ljub.

quolibet eorum omni anno. Et dicti riuarij debeant habere pro qualibet citatione unum denarium et pro bandimento duos denarios et non ultra possint accipere ad pęnam quinque soldorum pro qualibet uice, qua contra fecerint. Et quilibet potestas seu rector prędictę ciuitatis uinculo sacramenti teneatur in principio sui regiminis facere dictos riuarios coram se et curia sua personaliter comparere et facere eos iurare ad sancta dei euangelia, quod omnes citationes et relationes in causis ciuilibus et criminalibus et alijs quibuslibet facient fideliter et legaliter et non referrent curię se fecisse aliquam citationem nisi ueram, et quod omni die de mane et de sero in horis competentibus, nisi essent impediti impedimento personę uenient personaliter ad palatium et ad curiam et offitia[1] domini[2] potestatis et non discedent sine licentia, neque de mane, neque de sero. Et si non uenirent qualibet die de mane et de sero, aut si sine licentia discederent, potestas et eius offitiales teneantur uinculo sacramenti eis et cuilibet eorum, qui non essent[3] obedientes in prędictis, accipere sibi unum grossum pro qualibet uice et ipsum grossum dare faciat[4] pro commune camerarijs dicti communis, uel eos facere mittere in carceribus dicti communis prout potestati uel suis offitialibus uidebitur conuenire. Et si dicti riuarij fraudem aliquam committerent in eorum offitio, facientes falsas citationes uel relationes, puniantur qualibet uice in decem libris et dicto[5] suo offitio sint priuati. Et teneantur dicti riuarij fideliter accipere pignora condemnatis[6], uel alijs personis, quibus manderetur pignora accipere per potestatem uel suam curiam: et ipsa pignora debeant assignare camerarijs dicti communis in casibus oportunis; prout eis per potestatem uel suos offitiales mandatum fuerit, uel pręceptum.

CAP. LVI. DE BUCARIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod bucharij, qui fuerint dati a curia alicui intrandi possessionem pro debito, uel[7] proprietate in uinea, terra uel campo, si personaliter iuerint extra ciuitatem, habeant tres soldos a petente tenutam. Si uero personaliter non iuerint extra ciuitatem, sed in ciuitate stando ipsam tenutam dederint, habeant duos soldos. Et stetur relationi ipsius bucharij tem-

---

[1] Ap. Ljub.: „offitiales“. [2] ibid.: „dicti“. [3] ibid.: „esset“ [4] ibid.: „facient“. [5] ibid.: „de“. [6] Cod. acad. B: „condempnatis“. [7] Ap. Ljub.: „pro“.

pore sui offitij et de tenutis, quas daret tempore sui offitij[1]. Finito autem tempore sui offitij non credatur ipsi buchario, nisi sicut crederetur uni alio homini.

CAP. LVII. DE SUPRASTANTIBUS BECHARIORUM ET PISCATORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas teneatur uinculo sacramenti in principio sui regiminis et postea singulis tribus mensibus in generali consilio ciuitatis Spalati facere eligere quatuor bonos et fideles homines, de quolibet quarterio dictę ciuitatis unum, qui sint offitiales et superstantes super[2] beccharijs. Qui offitiales teneantur singulis diebus, quando fiunt, aut mactantur[3] carnes, ire in beccharіam dictę ciuitatis frequenter per dictas[4] beccharias ad uidendum et explorandum caute et sapienter, si beccharij et illi, qui uendunt carnes et uolatilia et animalia in dicta ciuitate, uendunt ea secundum formam statutorum dictę ciuitatis, quę inferius continetur; et si emptores emunt secundum formam dictorum statutorum et non plus. Et quod ipsi offitiales et superstantes uinculo sacramenti in continenti teneantur[5] emptores et uenditores, qui ea emerent et uenderent[6] contra formam[7] statutorum dictę ciuitatis[8] accusare[9] et stetur relationi eorum pro plena probatione. Et dicti offitiales habeant quartam partem banni pro eorum salario de omnibus, quos ipsi denuntiauerint. Et dicti superstantes iurent corporaliter ad sancta dei euangelia dictum suum offitium facere et exercere fideliter[10], sine fraude et continue, uel[11] temporibus, quibus carnes uenduntur. Et si quis ipsorum suprastantium fraudem aliquam commiserit in suo offitio, siue negligentiam, in soldis quadraginta pro qualibet uice condemnetur[12] et nihilominus potestas seu rector ciuitatis Spalati uinculo sacramenti teneatur singulis mensibus solemnem facere inquisitionem contra beccharios et uendentes carnes, animalia et uolatilia, si faciunt contra formam statutorum et delinquentes puniat in pęnis contentis in statuto dictę ciuitatis.

Item dictus potestas seu rector in dicto consilio teneatur facere eligi unum hominem habitantem prope beccharіam, qui semper

---

[1] Verba: „et de“ usque ad: „offitij“ desunt in cod. acad. A. [2] Deest ap. Ljub. [3] „aut mactantur“ deest ibid. [4] ibid.: „ipsas“. [5] Cod. acad. A: „teneatur“. [6] Ap. Ljub.: „uendunt, uel emunt“. [7] ibid.: „dictorum“. [8] Deest ibid. [9] Ap. Ljub.: „denuntiare domino potestati, seu rectori dictę ciuitatis“. [10] ibid.: „bona fides et“. [11] Ap. Ljub.: „illis“. [12] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „pnniatur“.

teneatur omni mane ponere unum par ballantiarum[1] cum pęsa[2] ferrata[3] in ballantijs tribus channis longe a beccharia, in[4] quibus ballantijs liceat omnibus hominibus pensare carnes, quas emunt, ut ipsi sciant, si sunt decepti nec ne in pondere ipsarum carnium; et de sero reponant et retineant ipsas ballantias penes se, ut non perdantur.

Et dicti quatuor offitiales suprastantes sint etiam offitiales et suprastantes super piscatoribus et uendentibus pisces recentes, ad hoc, ut dicti piscatores debeant uendere ipsos pisces secundum formam statutorum dicti communis et non aliter. Et contrafacientes debeant denuntiare[5] potestati et rectori ciuitatis. Et dicti offitiales debeant habere quartam partem banni[6] de omnibus piscatoribus et uendentibus pisces, quos ipsi superstantes denuntiabuut; et stetur eorum relationi. Et similem inquisitionem[7] teneatur facere potestas et rector ciuitatis contra dictos piscatores et uendentes pisces, sicut supra de beccharijs dictum est.

Et etiam frequenter dictus dominus potestas uinculo sacramenti teneatur mittere notarium suum ad piscariam et beccharіam ad uidendum et examinandum, si dicti beccharij et piscatores et emptores carnium animalium et uolatilium et piscium faciunt et uendunt, uel emunt contra formam dictorum statutorum; et stetur relationi scripturę dicti notarij potestatis et habeatur pro plena probatione.

Forma autem uendendi carnes et pisces infra in libro malefitiorum plenius declaratur; hic uero tractatur solum de offitialibus eorundem.

CAP. LVII. DE ELECTIONE NOTARIJ CIUILIUM QUESTIONUM.

Item statutum et ordinatum est, quod ad scribendum acta ciuilia quęstionum et causarum hominum ciuitatis Spalati omni anno, sequenti die postquam electio potestatis et rectoris dictę ciuitatis fuerit celebrata, in generali consilio ciuitatis prędictę eligatur unus bonus et ydoneus notarius, qui non sit de prouincia Dalmatię. Qui notarius uenire debeat ad ciuitatem Spalati et debeat scribere omnia acta ciuilium quęstionum hominum dictę ciuitatis et omnium

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „billanciarum". [2] Ap. Ljub.: „pensa". [3] Cod. acad. B: „ferrea". [4] Ap. Ljub.: „cum". [5] Cod. acad. A: „renuntiare". [6] Cod. acad. B: „bandi". [7] Cod. acad. A et ap. Ljub.: „denuntiationem".

personarum, quę in ciuili causa habent aliquam litem uel quęstionem coram potestate, rectore, iudicibus et offitialibus ciuitatis Spalati. Qui notarius debeat habere domum a commune Spalati, et debeat habere a commune Spalati[1] in anno uiginti soldos grossorum Venetorum pro suo salario et debeat habere lucrum pęnę de suis scripturis secundum formam infrascriptam et cum potestate et rectore dictę[2] ciuitatis et in sua familia nullo modo debeat permanere, uidelicet, quod si facto libello antequam pars aduersa respondeat dicto libello, ipsę partes inuicem se[3] concordauerint, notarius debeat habere tantum quatuor denarios pro libello in quaterno misso. Et si processum fuerit in quęstione usque ad contestationem litis, habeat capusolda[4], scilicet duos denarios pro qualibet libra.

Et quod notarius communis pro sentencia in publicam formam redacta ad petitionem partis habeat quatuor soldos; et si non fuerit publicata, sed tantum aperta, habeat et habere debeat duos soldos tantum et non ultra.

Pro alijs uero scripturis, quę fierent per ipsum notarium, recipiat solutionem, prout domino potestati et suę curię uidebitur conuenire, inspecta causę qualitate et multitudine uel paucitate scripturę.

Et dictus[5] notarius teneatur ostendere coram potestate et curia sua seu coram curia ciuitatis Spalati totum processum quęstionis et legere coram eis aperte et ordinate, ita quod ipsi possint[6] diligenter uidere et examinare iura utriusque partis.

Et si[7] in prędictis dictus notarius fuerit negligens, uel fraudem aliquam commiserit, aut dolum, in decem libris qualibet uice puniatur et emendet totum damnum[8] illi parti, quam lęserat[9], ipsius processum totum non ostendendo et legendo aperte coram potestate, iudicibus et offitialibus supradictis.

Qui notarius octo diebus ante completum suum offitium teneatur reassignare in consilio dictę ciuitatis suos quaternos; et si postea aliquos reassignauerit, non ualeat, nec teneat ullo modo, nisi prout[10] consilio placuerit ordinare.

---

[1] Verba: „et debeat“ usque ad: „Spalati“ desunt ap. Ljub, [2] ibid.: „prędictę“. [3] Deest in cod. acad. A et B. [4] Ap. Ljub.: „caposolidos“. [5] ibid.: „dominus“. [6] Deest in cod. acad. A. [7] Deest in cod. acad. A. [8] Cod. acad. B: „dumpnum“. [9] Ap. Ljub.: „occasione“. [10] ibid.: „ipsi“.

CAP. LIX. DE NOTARIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod notarius, qui fuerit rogatus de aliquo contractu, teneatur uinculo sacramenti et pęna et banno[1] uiginti soldorum ipsum contractum ad petitionem illius partis, cuius interest, publicare et in publicam formam reducere usque ad tres dies a die, quo erit rogatus de illo[2] contractu et ipsum contractum reddere ipsi parti publicatum. Et similiter pars, ad cuius petitionem ipse contractus publicari debet, teneatur ad petitionem notarij ipsum contractum redimere et recolligere cum infrascripta solutione, uidelicet quod si contractus fuerit de pecunia, uel de re ualente usque ad centum librarum, notarius teneatur recipere pro sua mercede medium grossum; a centum librarum[3] supra teneatur recipere decem et octo denarios. Et quod[4] nullus notarius possit nec audeat de aliquo testamento pro sua mercede recipere, si diues fuerit testator, ultra tres grossos, si uero pauper fuerit, quatuor soldos tantum; a forense uero tam de testamento, quam et de aliquo[5] alio contractu possit, et debeat recipere[6] pro sua mercede duplum tantum[7] tantarum[8] quantitatum contentarum in ipso statuto.

CAP. LX. DE NOTARIJS[9] AD FACIENDUM CONTRACTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quandocumque aliquis notarius uocatur ad faciendum aliquem contractum, quod[10] debeat apportare secum quaternum et antequam partes recedant, debeat scribere in quaterno totum contractum, de quo rogatur et adminus cum pręsentia duorum testium et cum examinatore. Et teneatur scribere in quaterno nomen ipsius examinatoris et testium[11]. Et ipsum contractum in continenti debeat legere coram partibus, ut[12] remaneant in plena concordia de ipso contractu, sicut scriptum est in quaterno, antequam recedant[13]. Et partes in continenti debeant satisfacere ipsi notario de dicta scriptura secundum formam statuti. Et si notarius contrafaceret[14], uel pars non satisfaceret[15], ut dictum est, condemnetur quilibet eorum in quadraginta soldis pro quolibet et pro qualibet uice; cuius medietas sit communis et alia pars sit[16] accusatoris.

[1] Cod. acad. B: „bando". [2] Ap. Ljub. „ipso". [3] ibid.: „libris". [4] Deest ibid. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „quolibet". [6] Ap. Ljub.: „percipere". [7] Deest ibid. [8] Deest in cod. acad. B. [9] Ap. Ljub.: „uocatis". [10] Deest ibid. [11] Deest ibid. [12] ibid.: „ipsę partes". [13] ibid.: „discedant". [14] ibid.: „contrafecerit". [15] ibid.: „satisfecerit". [16] Deest ibid. Cod. acad. B: „et alia partis, scilicet accusatoris".

CAP. LXI. DE INUENTARIJS LIBRORUM COMMUNIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod ad hoc, ut in libris et actibus[1] communis Spalati nulla falsitas uel furtum, uel aliqua alia fraus committi possit, quod de libris condemnationum[2] et alijs libris et actibus[3] communis Spalati et de alijs rebus dicti communis[4] debeant fieri tria inuentaria similia, scilicet quot libri et quaterni sunt; et in quibus etiam contineatur, tempore quorum rectorum et offitialium dicti communis ipsa acta uel quaterni, uel alię quęcumque scripturę factę sunt. Qui libri debeant reponi et gubernari in turri[5] communis Spalati, quę turris, seu hostium dictę turris debeat habere duas claues diuersas et cum diuersis seraminibus, ita, quod una clauis non possit aperire utrumque[6] seramen. De quibus inuentarijs et clauibus unum inuentarium et una clauis sit penes camerarios[7] dicti communis, aliud inuentarium et una clauis sit penes unum ex tribus iudicibus dicti communis, qui sunt ad sententias proferrendas, qui fuerit electus ad tenendum dictam clauem et dictum inuentarium ab illis, qui eligunt curiam, quando renouatur curia; aliud[8] tercium inuentarium retineatur per unum bonum legalem et fidelem hominem, eligendum per consilium credentię.

Qui camerarij et iudex nullo modo possint aperire hostium dictę turris per se sine licentia potestatis et rectoris dictę ciuitatis sub pęna uigintiquinque librarum pro qualibet uice.

Et si alicui de ciuitate Spalati esset necessaria aliqua scriptura de illis quaternis, quę essent in dicta turri, uadat ad potestatem et rectorem dictę ciuitatis, qui potestas et rector dictę ciuitatis mittat socium[9] uel notarium suum cum dictis camerarijs et dicto iudice et omnibus pręsentibus aperiatur dicta turris et non discedant de turri, donec dicta scriptura facta fuerit. Et diligenter inspiciant et uideant, ne aliquis posset[10] aliquam fraudem committere in dictis libris. Et eis similiter[11] pręsentibus dictum hostium claudatur et illa scriptura defferatur ad potestatem et curiam communis Spalati, ut diligenter uideant, ne posset esse scriptura, quę posset afferre aliquod periculum communi Spalati[12].

---

[1] Ap. Ljub.: „actis“. [2] Cod. acad. B: „condempnationum“. [3] Ap. Ljub.: „actis“. [4] ibid. apponuntur verba: „permanentibus in turri dicti communis“. [5] Cod. acad. A: „turrin“. [6] Ap. Ljub.: „unum“. [7] ibid.: „camerarium“. [8] Deest ibid. [9] Deest in cod. acad. B. [10] Ap. Ljub. „possit“. [11] ibid.: „simul“. [12] Verba: „ut diligenter“ usque ad: „Spalati“ desunt ap. Ljub.

Et semper in renouatione curię, quę sit singulis tribus mensibus, camerarij teneantur restituere dictum inuentarium et dictam clauem nouis camerarijs; et iudex, qui habuerit aliam clauem et aliud inuentarium, teneatur restituere nouo iudici et sic successiue fiat singulis temporibus, ne fraus aliqua possit fieri in prędictis. Tertium inuentarium remaneat illi, qui fuerit electus a dicto consilio credentię.

CAP. LXII. QUOD POTESTAS CIUITATIS SPALATI ANTE FINEM SUI REGIMINIS NON POSSIT HABERE LICENTIAM RECEDENDI.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas forensis, qui pro tempore fuerit electus ad regimen potestarię ciuitatis Spalati, teneatur pręcise uinculo sacramenti toto tempore completo sui regiminis[1] exercere regimen potestarię[2] dictę ciuitatis et cum socio et cum familia sua secundum formam electionis de eo factę. Et nullo modo ante complementum totius temporis sui regiminis possit petere licentiam recedendi de regimine potestarię prędictę, directe uel indirecte aliquo quęsito colore. Et si contrafaceret, hoc ipso perdere debeat totum suum salarium, quod esset sibi promissum occasione regiminis prędictę[3] potestarię et deueniat in commune Spalati.

Et iudices et consiliarij, qui debent propositis et sententijs interesse, uinculo sacramenti teneantur ita[4] quod nullo modo consentiant, uel promittant, quod aliqua proposita in aliquo consilio fieri possit de recessu domini potestatis uel suorum offitialium ante complementum totius regiminis dicti domini potestatis. Et nullus audeat in aliquo consilio arengare, quod licentia prędicta detur ante completum totum[5] tempus regiminis ipsius domini potestatis. Et quicumque contra pręsens statutum arengauerit, condemnetur irremissionabiliter in centum libris, dandis et soluendis communi Spalati et sit infamis et nunquam possit esse consiliarius nec habere aliquod offitium communis Spalati et a testimonio repellatur; et nihilominus id, quod super hoc reformaretur, ipso iure non ualeat, sed sit cassum et irritum et nullius ualoris auctoritate pręsentis statuti.

Et hoc statutum sit truncum et pręcisum, ita quod nullo modo

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „potestarię". [2] „excercere reg. pot." deest ap. Ljub. [3] ibid.: „dictę". [4] ibid.: „facere". [5] Deest ibid.

possit tolli, mutari uel suspendi aliqua ratione uel causa, ita quod omnino potestas ciuitatis Spalati totum tempus sui regiminis potestarię dictę ciuitatis Spalati[1] cum suis offitialibus et familiaribus secundum formam suę electionis perficere debeant et complere dei omnipotentis auxilio mediante.

Et in prędictis casibus cuilibet sit licitum accusare et denuntiare et etiam possit procedi contra eos usque ad unum annum.

Et rector dictę ciuitatis, uel iudices, consiliarij et offitiales dictę ciuitatis uinculo sacramenti et pęna centum librarum pro quolibet eorum teneantur dictam accusationem uel denunciationem recipere et procedere contra delinquentes secundum pęnam[2] superius demonstratam.

INCIPIUNT CAPITULA TERCIJ LIBRI DE ORDINE PROCEDENDI IN CAUSIS CIUILIBUS.

De ordine causarum ciuilium . . . . . j.
De bannitione[4] et incantatione tenutę . . . . . ij.
De mostra facienda de uitibus uel terra . . . . . iij.
De contumacia actoris et rei . . . . . iiij.
In quibus casibus possit summarie procedi . . . . . v.
De iurisdictione quęstionum matrimonij et dotis . . . . vj.
De sequestrationibus . . . . . vij.
De testibus . . . . . viij.
De eodem . . . . . viiij.
De sacramento tam actoris quam rei . . . . . x.
Quod non opponantur nisi aliquę exceptiones contra publicum instrumentum . . . . . xj.
Quod instrumenta publica non infrigantur per testes . . xij.
De instrumentis factis extra ciuitatem . . . . . xiij.
De instrumentis rasis[5] uel aliter deuastatis . . . . . xiiij.
De instrumentis perditis refficiendis . . . . . xv.
In quibus casibus testes possint recipi ante litem contestatam . . . . . xvj.
De uenditionibus et alijs incantationibus qualiter fieri debeant instrumenta . . . . . xvij.
De testamentis et ultimis uoluntatibus . . . . . xviij.

---

[1] Verba: „totum“ usque ad „Spalati“ desunt ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „formam“. [3] ibid.: „declaratam“. [4] Cod. acad. B: „banditione“. [5] ibid.: „rossis“.

Quod pater et mater non possint sine causa exheredi-
tare filios . . . . . xviiij.
De confessione facta in testamento et ultima uoluntate . xx.
De testibus testamentorum . . . . . xxj.
De commissalibus et exequutoribus[1] testamentorum . . xxij.
De eodem . . . . . xxiij.
De uxore remanente post mortem uiri . . . . . xxiiij.
De testamento iurato . . . . . xxv.
De pecunia relicta pro male ablatis . . . . . xxvj.
De pecunia distribuenda per commissarios[2] . . . . . xxvij.
De uxore ordinata commissali, quę transit ad secunda
uota . . . . . xxviij.
De muliere possidente thorum uiduitatis . . . . . xxix.
Quod nullus notarius sibi, uel suis asscribat aliquod lega-
tum in testamento alicuius[3] . . . . . xxx.
De his, quę remanent uxori post mortem mariti . . . . xxxj.
De legato drudę uel concubinę . . . . . xxxij.
De legato alienato testatore iubente . . . . . xxxiij.
Si nati sunt filij post testamentum . . . . . xxxiiij.
De uxore possidente thorum uiduitatis mortuo uiro sine
filijs . . . . . xxxv.
De eodem . . . . . xxxvj.
De muliere fornicante post mortem sui mariti . . . . . xxxvij.
De decima, quę potest reliqui supra partem . . . . . xxxviij.
De sententijs proferendis . . . . . xxxix.
De eodem . . . . . xl.
De eodem . . . . . xlj.
De eodem . . . . . xlij.
Quod uictus uictori refficiat expensas . . . . . xliij.
De successionibus ab intestato . . . . . xliiij.
De maleficijs commissis per consortes[4] . . . . . xlv.
De salario medicorum . . . . . xlvj.
Quod medicus communis non faciat societatem cum spe-
ciarijs . . . . . xlvij.
De ciuibus facientibus iniustas quęstiones contra forenses xlviij.
De debitoribus uagabundis et fugitiuis . . . . . xlix.
De confessione facta per maritum constante matrimonio . l.

---

[1] Cod. acad. B: „exhecutoribus“. [2] ibid. „commessalibus“.
[3] Deest in cod. acad. B. [4] Cod. acad. A: „sortes“.

De his, quę possidentur per uxorem constante matrimonio li.
De instrumentis uenditionis dandis emptori copiandis . . lij.
Si emptori mouetur quęstio ante quam soluatur pręcium liij.
De confessione facta de rebus acceptis . . . . . liiij.
De his, qui uendere, uel donare promittunt bladum uel mustum . . . . . lv.
De occupantibus possessiones alienas iniuste . . . . . lvj.
De quęstione nata inter maritum et uxorem . . . . . lvij.
De citatis, qui sunt in seruitio communis Spalati . . . lviij.
Si aduocatus sit absens in seruitio communis Spalati . . lix.
De nuntio, qui non dat id, quod sibi assignatur ad dandum . . . . . lx.
De muliere, quę adstringit se ad seruiendum alicui et postea capit maritum . . . . . lxj.
Quod uenditor habeat ius in rem, quam uendit . . . . lxij.
De tenuta accepta per creditorem et non est sibi in totum satisfactum . . . . . lxiij.
De filijs alimentandis a patre, uel a matre . . . . . lxiiij.
De diuisione, quę fit inter filios et patrem uel matrem . lxv.
De debitoribus debitorum . . . . . lxvj.
Si filius familias potest esse procurator uel tutor, uel curator . . . . . lxvij.
De tutoribus et curatoribus . . . . . lxviij.
De forma constituendi tutores uel curatores . . . . . lxix.
De bonis stabilibus pupillorum et aliarum quarumlibet personarum non alienandis . . . . . lxx.
Quod pater non possit alienare bona filiorum suorum[1] lxxj.
De dotibus et bonis mulierum non alienandis . . . . . lxxij.
De colegantijs . . . . . lxxiij.
De pręscriptionibus . . . . . lxxiiij.
De commodato et deposito . . . . . lxxv.
De confessione uenditionis post uenditionem . . . . . lxxvj.
De cessionibus . . . . . lxxvij.
De eodem . . . . . lxxviij.
De arbitris . . . . . lxxix.
De eodem . . . . . lxxx.
De subpignorationibus bonorum stabilium . . . . . lxxj.
De fideiussoribus . . . . . lxxxij.

---

[1] Deest in cod. acad. B.

De eodem . . . . . lxxxiij.
De eodem . . . . . lxxxiiij.
De eodem . . . . . lxxxv.
De eodem . . . . . lxxxvj.
De eodem . . . . . lxxxvij.
De eodem . . . . . lxxxviij.
De pactualibus recedentibus a seruitio domini . . . . . lxxxix.
De commodatione equi uel barchę uel locatione . . . . lxxxx.
De nuntiatione noui operis . . . . . lxxxxj.
De domibus ruinosis . . . . . lxxzxij.
De pariete communi quod muretur . . . . . lxxxxiij.
De ramis arborum pendentibus super alieno . . . . . lxxxxiiij.
De diuisionibus ponendis ad diuidendum communem hereditatem . . . . . lxxxxv.
De arris datis . . . . . lxxxxvj.
De quęstionibus faciendis ante messes et uindemias[1] . lxxxxvij.
De clauibus communis . . . . . lxxxxviij.
De his, qui uolunt per se, uel nomine alterius litigare . lxxxxix.
De procuratoribus . . . . . C.
De aduocatis communis Spalati . . . . . Ci.
Quod aduocatus non suscipiat aduocationem contra commune Spalati . . . . . Cij.
De abiarijs . . . . . Ciij.
De possessionibus indiuisis . . . . . Ciiij.
De mercimonijs indiuisis . . . . . Cv.
De consortibus habentibus uineas pastinatas . . . . . Cvj.
De non laborantibus uineas ut debent . . . . . Cvij.
De plantante uineam et eam possidente per uiginti annos Cviij.
De obligatione facta per filium familias . . . . . Cix.
De debitoribus fugitiuis . . . . . Cx.
De fratribus et consortibus simul habitantibus . . . . . Cxj.
De pastinantibus uineam in terra non diuisa . . . . . Cxij.
De blado uel[2] mulsto, accepto per dominum comitem, uel suos offitiales . . . . . Cxiij.
Quod terrę et uineę, quę ueduntur, primo mensurentur Cxiiij.
De ementibus res furtiuas . . . . . Cxv..
De instrumentis renouandis infra triginta annos . . . . Cxoj.

---

[1] Cod. acad. B: „uendemias“. [2] ibid.: „et“.

De his, qni malitiose repetunt pecuniam, uel rem, de qua eis esset satisfactum . . . . . Cxvij.
De paratis ad uiagium faciendum . . . . . Cxviij.
De citato, qui est infirmus . . . . . Cxix.
Qualiter probet, qui est filius, pater uel mater uel uxor Cxx.
Quod panni de dorso non recipiantur pro tenuta . . . . Cxxj.
De deliberationibus tenutarum . . . . . Cxxij.
De credentijs sociorum . . . . . Cxxiij.
De expensis factis in rebus dotalibus . . . . . Cxxiiij.
De sponsalibus et matrimonio, qui sunt de contrahendo Cxxv.
De possessionibus eorum, qui sunt de eadem consanguinitate . . . . . Cxxvj.
Quod filius non possit expellere parentes . . . . . Cxxxij.
Quod mulier non accipiat maritum sine uoluntate patris et matris . . . . . Cxxviij.
Quod fideiussor potest petere, ut principalis liberet eum a fideiussione . . . . . Cxxix.
De recognitione sententiarum in causis ciuilibus . . . . Cxxx.

CAP. I. INCIPIT[1] STATUTUM PRIMUM DE ORDINE CAUSARUM CIUILIUM. VIDELICET[2].

Statuimus et ordinamus, quod in causis ciuilibus isto[3] ordine procedatur: uidelicet, quod si aliqua persona uult aliquid dicere uel petere contra aliquem, quod faciat eum citari una die ante pro mane sequenti et debeat comparere coram rectore uel[4] offitialibus communis Spalati ad respondendum de iure illi, qui fecerit eum citari. Quę citatio fiat per riuarium seu platearium[5] communis, uel oretenus, uel ad solitam eius[6] domum, ubi citatus cum familia sua consueuit habitare.

In quo termino citationis actor compareat et accusset contumatiam citati, seu petat procedi contra eum et antequam pronuntietur contumatia contra contumacem, riuarius, seu platearius[7] coram rectore seu offitialibus communis Spalati publica[8] et alta uoce dicat et proclamet ipsos citatos, si ipsi sunt personaliter, quod

---

[1] Deest in cod. acad. B. [2] Deest ibid. Ap. Ljub. „De ordine caus. ciu.“ [3] Ap. Ljub.: „iusto“. [4] ibid: „et“. [5] ibid.: „plaçarium“. [6] Deest ibid. [7] ibid.: „plaçarius“. [8] ibid.: „publice“.

debeant statim in iudicio comparere; uel si aliquis defensor uel procurator ipsius uult comparere ad defensionem ipsorum citatorum, uel alicuius eorum.

Et si citati[1] uel eorum procuratores, uel defensores legitimi non appareant in iudicio: tunc ille, qui fuit citatus; fuit[2] oretenus, uel personaliter citatus et inuentus, et non compareret, tunc actor iuret corporaliter ad sancta dei euangelia tactis scripturis, quod id, quod petit, non petit animo calumnię[3]; sed credit et extimat[4] uerum esse quod petit. Tunc si actor agit et petit aliquam rem stabilem, seu immobilem, pronuntietur actor esse mittendus[5] et mittatur per riuarium seu buccharium[6] in tenutam et corporalem possessionem rei petitę. Si uero agitur ad rem mobilem uel se mouentem, uel ad aliquod debitum, uel quacumque alia occasione possibili[7]: pronuntietur, ipsum actorem esse mittendum, et quod[8] mittatur in tenutam et corporalem possessionem bonorum citati pro mensura debiti declarati[9], pro ualore et extimatione[10] rei petitę et[11] legitimis ac sufficientibus expensis; et quod primo actor mittatur in tenutam bonorum mobilium rei, secundo immobilium, tertio nominum debitorum. Et quod notarius actorum ciuilium non possit percipere de ipsa pronuntiatione contumacis nisi medium grossi[12] tantum a reo.

Si uero[13] idem reus comparuerit et uoluerit infra xv dies[14] expensas reficere et post acceptationem dictę tenutę seu possessionis dictarum rerum et bonorum riuarius seu bucharius usque ad tres dies computandos a die[15] acceptationis dictę tenutę seu possessionis dictorum bonorum teneatur denuntiare ei, contra quem dicta contumatia est pronunciata uel oretenus, uel ad domum habitationis ipsius, qualiter est accepta uel data dicta[16] tenuta contra dictum[17] citatum.

Si uero[18] dictus citatus non fuerit personaliter citatus, uel oretenus

---

[1] Cod. acad. A hic loco marginalem habét glossam: „Modus procedendi contra contumacem. personaliter citatum.“ [2] Ap. Ljub.: „sine“. [3] Cod. acad. B: „calumpnię“. [4] Ap. Ljub.: „existimat“. [5] ibid.: „actorem mittendum esse“. [6] ibid.: „plaçarium“. [7] ibid: „personaliter“. [8] Deest ibid. [9] ibid.: „id est“. [10] ibid.: „existimatione“. [11] ibid.: „pro“. [12] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „grossum“. [13] Ap. Ljub.: „et si“. [14] ibid.: „ipsi actori“. [15] ibid.: „sentencię et“. [16] ibid.: „ipsa“. [17] ibid.: „ipsum.“ [18] Glossa marginalis in cod. acad. A: „Modus procedendi contra contumacem, si non fuerit personaliter citatus.“

inuentus, tunc in dicto termino primę citationis non pronuncietur aliqua contumacia contra eum, sed sibi accipiatur pignus de xx[ti] soldis et iterum citetur, quod die sequenti compareat in iudicio responsurus dicto actori. Et si in dicta[1] citatione non comparuerit, tunc procedatur contumaciter contra eum secundum formam superius declaratam et de dicto pignore satisfiant expensę[2] actori, nisi citatus habuerit iustum impedimentum non comparendi. Et si dictus reus citatus comparuerit infra xv dies continuos et numerandos post contumatiam et pronuntiationem factam contra eum et uult dictam tenutam et possessionem recuperare et facere eam cassari, audiatur, dum tamen prius refficiat ipsi actori omnes legitimas expensas, quas fecit in eam, uidelicet unum grossum pro salario aduocati; et si notarius publicauit[3] sententiam, reficiat quatuor soldos pro publicatura sententię et si eam non publicauerit, refficiat sibi xij denarios et satisfaciat expensas riuarij et buccharij. Et si alię legitimę expensę erunt[4] factę in eam, eas reffitiat, ut uidebitur rectori et offitialibus dictę ciuitatis conuenire; quibus expensis reffectis dicta tenuta et contumatia et missio in possessionem debeat cassari et procedatur in causa isto[5] ordine uidelicet, quod si res uel quantitas petita esset minoris ualoris, uel extimationis centum soldorum Venetorum paruorum, tunc summarie sine scriptura per confessionem uel per receptionem unius solius testis dicta quęstio terminetur. Si uero res uel quantitas petita esset maior centum soldorum seu quinque librarum, uel maioris ualoris aut extimationis, uel esset de centum soldis in pecunia uel ualore seu extimatione, tunc offeratur libellus seu petitio in causa, nisi reus renuntiaret oblationi libelli uel petitionis. Et hoc scribatur in actis, quod partes uolunt, quod sine libello uel petitione procedatur in causa. Quo libello oblato detur terminus trium dierum ad deliberandum et respondendum dicto libello et si reus in dicto termino non comparuerit in iudicio et dictę petitioni seu libello non responderit, tunc pronuntietur contumaciter contra eum et procedatur tamquam contra contumacem post dictam pronuntiationem secundum formam superius declaratam. Si uero reus conuentus[6] responderit dictę petitioni seu libello, tunc fiant dicta seu[7] responsiones per utramque

---

[1] Ap. Ljub.: „secunda". [2] Cod. acad. A et B: „satisfaciant expensas". [3] Ap. Ljub.: „publicauerit". [4] ibid.: „essent". [5] Cod. acad B: „postea iusto". [6] Ap. Ljub.: „conuictus". [7] ibid.: „et".

partem in causa et fiat contestatio litis et pręstetur sacramentum de calumnia[1] et detur terminus utrique parti ad dicendum et respondendum quicquid uult vna pars contra aliam dicere.

Et si aliqua pars in causa uult producere aliquos testes nominet eos[2] et eorum nomina et dicta et responsiones ipsarum partium scribentur in actis et postea concludatur in causa et post conclusionem causę detur terminus per rectorem[3] et offitiales communis Spalati octo dierum ad probandum et faciendum fieri probationes per dictos testes nominatos et per instrumenta, si qua partes dictę uolunt producere in ipsa causa. Et si aliqua instrumenta producentur in dicta causa[4], detur parti aduersarię copia dictorum instrumentorum.

Et elapso dicto termino octo dierum fiat publicatio testium et tocius processus. Et adhuc detur terminus partibus v dierum ad accipiendum copiam testium et de toto processu ad allegandum in causa, quicquid uolunt[5]. Quo termino v dierum elapso, procedatur ad sententiam et ad determinationem dictę causę. Quę sententia mandetur executioni in continenti, nisi ab ipsa sententia fuerit appellatum uel prouocatum, siue protestatum, eam[6] debere recognosci.

Et si ab ipsa sentencia fuerit appellatum, uel protestatum, tunc in ea procedatur secundum ordinem infra scriptum; uidelicet, quod si per potestatem et rectorem et suam curiam, qui pro tempore fuerit, data erit aliqua sententia contra formam statutorum dictę ciuitatis, dicta sententia nullius ualoris existat et potestas uel rector, qui pro tempore fuerit, uel subsequens, una cum sua curia, scilicet iudicibus et consiliarijs eam examinare debeant et si reperiretur, contra formam statutorum latam[7], eam corrigant et emendent, prima sententia non obstante, quam primam sententiam carere uolumus omni firmitate[8].

Si uero quandocumque aliqua sententia decem libris supra per iudices fuerit publicata inter partes et aliqua ipsarum[9] de prolata sententia senserit se indebite agrauatam[10] contra formam statutorum

---

[1] Cod. acad. B: „calumpnia". Ap. Ljub. apponuntur verba: „si partes petunt, uel aliqua earum, fieri contestationem litis uel prestari dictum sacramentum de calumnia". [2] „nom. eos" deest in cod. acad. A et B. [3] Deest in cod. acad. A. [4] Verba: „Et si" usque ad: „causa" desunt ap. Ljub. [5] Cod. acad. B: lunt". [6] Ap. Ljub.: „tunc". [7] ibid.: „dictam sententiam datum". [8] ibid.: „omnibus firmitatibus". [9] ibid.: „earum". [10] Cod. acad. A: „agrauata"; B: „agrauatum".

et bonam consuetudinem ciuitatis Spalati, tunc infra tres dies post prolationem sententię ab eadem sententia ualeat appellare et unum probum uirum ad suam uoluntatem eligere debeat et pars aduersa alterum, tertius uero eligatur de uoluntate ambarum partium; et illi tres eligantur de illis uidelicet, qui tunc offitiales communis[1] non fuerint, qui pręstito iuramento bona et recta fide procedant infra octo dies postquam fuerint electi et de publicata sententia cognoscant et secundum ea, quę fuerint allegata per partes ante iudices, si ipsam sententiam iustam inuenerint, debeant eam approbare; et si iniustam esse cognouerint, eam irritare et irritam nuntiare[2]. Si uero talis sententia approbata non fuerit per dictos electos infra dictum terminum, tunc ille, contra quem sententia lata fuerit, possit agere et iustitiam petere coram alia curia uentura, uel coram tercia curia; et ultra non possit prorogari. Et quicquid per[4] terciam curiam factum fuerit, ratum et firmum esse debeat et irreuocabiliter debeat permanere.

Prędicta locum habeant tempore iudicum et non tempore potestatis.

Item additum est, quod in consilio et in sententijs dandis non possint esse pater aut filius, uel frater, nec fratris uel sororis filius, nec carnalis consobrinus, siue cognatus, scilicet frater uxoris[5] illorum, qui placitum inter se habuerint, nec aliqua persona, ad quam factum pertinere uel spectare uidebitur.

Volumus etiam, quod in placitis pertractandis, si potestas poterit interesse cum iudicibus ad iudicandum aliquam causam, iudices sine eo non possint dare sententiam. Si uero potestas noluerit, uel non poterit interesse, tunc antequam feratur sententia, si pars aliqua dixerit, quod non uult, ut sine potestatis consilio procedatur ad sententiam proferendam, tunc iudices non possint irrequisito consilio potestatis aliquam sententiam ferre. Et si fecerint pro nihilo habeatur. Alioquin si pars tacuerit, et sententia fuerit per solos iudices promulgata, uigorem obtineat firmitatis.

CAP. II. DE BANDITIONE ET INCANTATIONE TENUTE.

Item statutum et ordinatum est, quod postquam dicta tenuta data fuerit creditori, licitum sit ipsi creditori ipsam tenutam infra

---

[1] Ap. Ljub. „tunc". [2] ibid.: „pronuntiare". [3] Uel — curia" deest ap. Ljub. [4] ibid: „secundam uel". [5] Cod. acad. A et B: „sit".

dictos xv dies diuersos per aliquem riuarium uel platearium dicti communis bandire[1]. Et si infra dictos xv dies debitor non recoligerit dictam tenutam, uel non fecerit eam cassari per refectionem dictarum expensarum ut dictum est, tunc elapsis dictis xv diebus[2] dictus debitor uel reus[3] iterum citetur, si uult satisfacere infra tres dies ex tunc in antea proxime computandos dicto creditori et ei pro quo pronuntiatum fuit, cum effectu uerę solutionis, tam de sorte, quam de expensis legitimis. Et si integre satisfecerit de prędictis, dicta tenuta cassetur. Si uero infra dictum terminum trium dierum integre non satisfecerit de prędictis dicto creditori, ex tunc in antea licitum sit ipsi creditori, dictam[4] tenutam uendere cuicumque sibi placuerit, et dicta uenditio, quę fieret de dicta tenuta per dictum[5] creditorem, non possit aliquo modo reuocari, nec per propinguitatem, nec per statutum, nec per ullum aliquod[6] instrumentum*. Et si de bonis debitoris non reperientur, de quibus creditor non possit suum debitum consequi, quod dictus debitor debeat personaliter constringi et detineri ad satisfactionem debiti suo creditori integre faciendam.

CAP. III. DE MOSTRA FACIENDA DE UITIBUS UEL DE TERRA.

Item statutum et ordinatum est, quod in inceptione litis, quę fit de terra, uel de uitibus antequam placitum incipiatur, mittantur ydonei uiri per curiam, quibus assignetur et ostendatur ipsa terra oculata fide et confines ipsius et scribatur in actis et postmodum incipiatur placitum de eadem.

CAP. IV. DE CONTUMACIA TAM[7] ACTORIS QUAM[8] REI.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis citauerit seu fecerit aliquem citari ad curiam communis, si actor non paruerit[9] siue non[10] uenerit in termino citationis reo comparente, reus possit a curia se separare, nec cogatur ultra prędicto actori respondere, nisi primo

---

[1] Ap. Ljub.: diuersa a praesenti inuenitur lectio: „ipsam tenutam infra dictos xv dies facere bandiri et incantari tribus uicibus per tres dies diuersos per aliquem riuarium uel plaçarium dicti communis“. [2] „elapsis — diebus“ deest ibid. [3] „uel reus“ deest ibid.: [4] Ap. Ljub.: „ipsam“. [5] ibid.: „ipsum“. [6] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „aliud“. * Gl. marg. cod. acad. A: „De deliberatione tenutę habes in cap. cxxij. huius tercij libri. [7] Deest ap. Ljub. [8] ibid.: „et“. [9] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „comparuerit“. [10] Deest ap. Ljub.

soluat ei pro opere illius diei duos soldos: facta relatione riuarij, dicentis, se reum citasse ad petitionem actoris.

Et si reus non comparuerit et actor uoluerit facere auferri tenutam, rector puniat reum ad petitionem actoris in duobus soldis.

Et si actor non dixerit reo aliquid et uelit ipsum facere citari, teneatur reficere et soluere reo dictam pęnam duorum soldorum.

CAP. V. IN QUIBUS CASIBUS POSSIT SUMMARIE PROCEDI.

Item statutum et ordinatum est, quod in omnibus et singulis casibus infrascriptis possit et debeat summarie procedi sine libello, uel sine petitione.

In primis si agitur ad debitum, quod est minus quinque librarum[1], uel agatur ad aliquam rem mobilem, ualentem et extimatam minus quinque librarum Venetorum[2] paruorum.

Item si ex sententia uel ex pronuciatione facta uel lata contra alium sit accepta tenuta per riuarium uel buccharium de bonis alterius, quam illius contra quem pronuntiatum est; tunc in isto casu summarie sine libello et petitione possit procedi in dicta causa ad confirmationem uel cassationem dictę tenutę examinatis iuribus utriusque partis. Ita quod quandocumque in casibus[3] pręsentis statuti possit procedi summarie sine libello et petitione, tamen iura utriusque partis super negotio principali debeant diligenter examinari, tam testes, quam instrumenta et confessiones partium; ita quod propter summariam cognitionem iura ipsarum partium non possint tolli, nec debeant super negotio principali.

Item summarie omnem pecuniam debitam communi Spalati ex causa criminali pro condemnationibus exigendis, siue gabellis, introitibus et alijs iuribus communis Spalati uenditis, siue ex quacumque alia causa ipsi communi Spalati aliquid debeatur, potestas et eius curia teneatur summarie exigere et exigi facere cum effectu et debitores realiter et personaliter summarie coercere[4] ad ipsa debita persoluenda.

Item de omni mercato, quod fieret de rebus mobilibus et stabilibus, in quibus datę essent arrę, possit procedi summarie sine libello, ut facta mercatorum cito expediantur.

Item causę orphanorum, pauperum et miserabilium personarum simili modo summarie terminentur.

---

[1] Ap. Ljub.: „Venetarum paruorum[8]. [2] Cod. acad. A: „Venetarum“. [3] ibid.: „prę scriptis“. [2] ibid.: „cohercere“.

Item causę forensium mercatorum, quas haberent facere cum ciuibus Spalatinis[1], uel quas ipsi forenses inter se tractarent, de quibus negotijs iurisdictio pertinet ad forum ciuitatis Spalati, similiter summarie decidantur diebus feriatis et non feriatis exceptis forensibus habitatoribus ciuitatis Spalati.

Item sententię potestatis uel[2] socij, uel iudicis et lauda arbitraria[3] et amicabiles compositiones et sententię, quę descendunt ex compromissis, similiter summarie terminentur.

Item omnes quęstiones alimentorum quandocumque quis ab aliquo peteret alimenta cibaria, seu uictum et uestitum ex quacumque causa iusta uel legitima, similiter summarie terminentur.

Item si constante matrimonio maritus incipiat malefacere et dissipare bona sua, uel ludendo ad azardum[4], uel eundo ad[5] tabernas, uel alias dissipando bona sua, tunc uxor summarie possit agere contra maritum suum et repetere ab eo dotem suam et iura sua dotalia, ne maritus ea dissipet et consumat; si adiudicentur uxori, ut se et suos filios alat et nutriat de dote et uiribus dotalibus mulieris.

Item si sit quęstio inter aliquos de aliqua possessione rei immobilis et qualibet partium dicat, se possidere rem immobilem, tunc ne partes possint peruenire ad rixas et arma, potestas et eius curia summarie[6] sine libello et sine strepitu et figura iuditij possint et debeant recipere et examinare testes et instrumenta utriusque partis super dicta possessione, quis possideat rem, de qua est contentio inter partes, et illi, quem inuenerint possidere, adiudicent ipsam possessionem; saluo et reseruato utrique parti omni iure, quod habent[7] in dominio et proprietate ipsius rei, quod sit unicuique eorum in ordinato[8] iuditio.

Item si de re, uel debito, quod petitur, appareat publicum instrumentum, tunc non offeratur libellus, sed summarie procedatur in casu prędicto.

CAP. VI. DE IURISDICTIONE QUESTIONUM[1] MATRIMONIJ ET DOTIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si in curia communis Spalati moueatur aliqua quęstio principaliter de aliquo matrimonio;

---

[1] Ap. Ljub.: „Spalatensibus". [2] ibid.: „eius". [3] Cod. acad. B: „arbitricia". [4] ibid.: „açiardum"; ap. Ljub.: „azarandum". [5] ibid. a. l.: „per". [6] Deest ap. Ljub. [7] ibid.: „haberent". [8] ibid.: „saluum in ordinario". [9] Deest ibid.

*

quia hęc quęstio est mere spiritualis, tunc curia ciuitatis Spalati de hac quęstione se nullatenus intromittat, sed remittatur ad curiam spiritualem domini archiepiscopi Spalatensis, cuius est iurisdictio et cognitio principaliter de matrimonio et per consequens de dote, quę est accessoria matrimonio, quoniam qui cognoscit de principali, potest et debet incidenter de accessorio cognoscere.

Si uero sit quęstio principaliter de dote, uel de arris sponsalitijs et non de matrimonio, tunc dicta quęstio examinetur per potestatem et curiam secularem communis Spalati, nisi contra petitionem[1] dotis opponatur exceptio, quod matrimonium non ualeret, uel propter consanguinitatem, uel propter affinitatem[2], uel propter minorem ętatem, uel propter alias causas, propter quas matrimonium de iure non teneret; et tunc dicta causa est etiam remittenda ad dominum archiepiscopum Spalatensem, quia si matrimonium non ualeret de iure, nec etiam dos, uel arrę sponsalitię peti possent; quia iure cauetur, quod si non est[3] matrimonium, non est dos, sed sine dote matrimonium potest legitime celebrari.

CAP. VII. DE SEQUESTRATIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod sequestratio de rebus[4] mobilibus, uel se mouentibus fiat et fieri possit in istis casibus, uidelicet: si aliqua res mobilis, uel se mouens petatur et persona a qua petitur est suspecta, ne aufugiat, aut quia non possideat bona stabilia suffitientia ad causam in ciuitate Spalati, uel suo districtu, tunc dicta res quę petitur, sequestretur apud aliquam personam legalem usque ad cognitam rationem.

Et si res sequestrata esset equus, bos uel asinus uel animal, quod requireret expensas; tunc sequestrator teneat, custodiat et pascat ipsum animal ad expensas ipsius bestię uel animalis sequestrati, et potestas et eius curia faciat reffici ipsas expensas illi, qui amiserit quęstionem, prout de iure sibi uidebitur faciendum.

Item si quis peteret aliquod debitum, uel aliquid aliud ab aliquo et ipse, a quo petitur, esset persona suspecta, uel fugitiua, quę non possideret bona stabilia, suffitientia in ciuitate Spalati, uel suo districtu, similiter fiat sequestratio de bonis ipsius usque ad ualorem rei petitę et expensarum legitimarum usque ad cognitam rationem.

---

[1] Ap. Ljub. „petitorem“. [2] „uel propter aff.“ deest ibid. [3] Deest in cod. acad. A. [4] Ap. Ljub.: „bonis“.

Item si tempore messium esset quęstio inter aliquos de grano, ordeo uel de aliqua alia blada[1], uel si tempore uindemiarum esset quęstio de musto, tunc dictum granum, ordeum, bladum uel mustum sequestretur, ne partes possint peruenire ad rixas et arma et mittatur fideliş nuntius, uel electus a partibus, uel a curia, qui inspiciat diligenter quantitatem grani, ordei uel alterius bladi uel musti et quantitatem, quam inuenerint, faciant scribi per notarium actorum, ut si debet fieri de iure restitutio prędictorum, ipse potestas et eius curia possint clare ac aperte scire, quid et quantum debeat restitui et quod non de fructibus supradictis; saluo et reseruato in omnibus casibus supradictis, quod si ille, a quo petuntur res prędictę, uelit dare in iuditio bonos et ydoneos fideiussores de restituendo res prędictas, uel dictos fructus, si ad hoc fuerint condemnati[2], uel si ipse manifeste possidet rem illam, de cuius fructibus petitur sequestratio fieri, tunc dicta sequestratio non debeat fieri ullo modo.

CAP. VIII. DE TESTIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod testes tam in ciuili, quam in criminali causa possint compelli ad testimonium proferrendum per captionem pignorum et per bandum a curia imponendum, prout ipsi potestati et suę curię secundum conditionem personarum et qualitatem causę uidebitur conuenire; et quando testes citantur ad testimonium proferrendum, tunc pars, contra quam producuntur, debeat citari ad uidendum testimonium: iuramenta et dicta ipsorum testium debeant aperiri et publicari tam in causa ciuili, quam in criminali et partes debeant citari ad uidendum aperturam et publicationem ipsorum testium, ut quęlibet pars possit scire clare et aperte, si aliquid est probatum uel non probatum contra ipsas partes.

Et in testes non recipiantur pater, mater, filij uel nepotes et familiares habitantes in una domo et una familia contra aliquem; nec etiam recipiantur inimici capitales contra aliquem in causa ciuili uel criminali. Inimici autem capitales intelligantur ex percussionibus, factis et commissis inter ipsos testes et illos, contra quos testimonium proferunt, uel inter eorum[3] patres, matres, uel fratres,

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „blaua". [2] Cod. acad. B: „condempnati". [3] Cod. acad. A et B: „eorum partes, patres" etc.

uel sorores carnales, uel etiam[1] consobrinos, uel cognatos carnales, uel generos, inter quos postea reconciliatio amicitię non interuenerit, aut si alię inimicitię capitales uideantur[2] potestati et suę curię esse legitime ad ipsos testes repellendos.

Et quilibet nominare testes teneatur et[3] facęre scribi nomina ipsorum testium in actis, antequam ipsi testes citentur ad testimonium.

Et in causa ciuili usque ad quantitatem x librarum Venetorum paruorum sufficiat dictum et testimonium unius testis bonę famę et bonę opinionis, qui fuerit pręsens et qui non repellatur a testimonio aliqua ex prędictis causis, uel inferius declarandis; cuius testimonium sufficiat in causa ciuili, siue in dando, siue in restituendo cum iuramento[4] partis, quę introduxerit ipsum testem usque ad quantitatem prędictam.

Sed a decem libris supra usque ad xx^ti ad minus esse debeant duo testes ydonei et fide digni, qui sint pręsentes, alias non ualeant.

Sed[5] a xx^ti libris supra probatio per testes non accipiatur[6] siue in dando, siue in restituendo, nisi de hoc appareat publicum instrumentum, quia sicut creditor in dando a xx^ti libris supra uult sibi prouidere de suo debito per publicum instrumentum, sic et debitor facere debet quando pecuniam, uel aliquid aliud reddit uel restituit ultra dictam quantitatem xx^ti librarum, faciat sibi fieri de hoc publicum instrumentum, quia per testes solutionem et satisfactionem ultra dictam quantitatem xx^ti librarum probare non ualeat ullo modo.

Item repellatur a testimonio testis, qui fuerit condemnatus[7] de testimonio falso, uel de falsa scriptura, uel sit publicus et manifestus usurarius, uel sit condemnatus[8] de furto, uel robaria, uel de tradimento.

Item in causa ciuili Sclauus non admittatur ad testimonium contra ciues[9] Spalatinos, nec aliqua fęmina recipiatur in testimonium in causa ciuili.*

Item in causa ciuili minor xx^ti iiij^or[10] annis masculus non recipiatur in testem[11].

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid.. „domino". [3] Deest in cod. acad. A. [4] Ap. Ljub.: sacramento". [5] ibid.: „Et". [6] ibid.: „recipiatur". [7] Cod. acad. B: „condempnatus". [8] ibid. e. m. [9] Ap. Ljub.: „uiros". * In cod. acad. A glossa: „Nota, quod in criminali non repellitur mulier." [10] Cod. acad. B: „minor xiiij". [11] Tota haec sententia deest ap. Ljub.

Item in causa criminali[1] masculus minor xiiij annis et femina minor xij annis non recipiantur in testes, nisi forte ad aliquod iuditium faciendum de maleficio, supra quo potestas et eius curia criminaliter procedunt.

Item seruus et ancilla in causa criminali uel ciuili non recipiantur in testes contra aliquam personam, quę sit extra familiam domini sui.

Item publici lenones et publicę meretrices in nulla causa recipiantur in testes; nec furiosi aut mente capti recipiantur in testes.

Similiter baraterij[2] et homines malę et dissolutę uitę non recipiantur[3]; et si recepti fuerint, eorum testimonium non ualeat, dummodo probetur in iudicio, ipsos esse homines malę famę et malę conditionis et malę et dissolutę uitę et baraterios[4], ut dictum est.

Et quando testes examinantur[5], si curię uidebitur, eorum examinatio fieri debeat in secreto, quando curię uidebitur conuenire.

Item non recipiantur in testes illi, ad quos pertinet et pertinere potest lucrum uel damnum[6] de suo testimonio.

CAP. IX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis ab aliquo peteret xx^{ti} libras et testes testificati fuerint[7] de xxx^{ta}, quod dictum ipsorum testium[8] ualeat tantum de quantitate xx^{ti} librarum et non de maiori quantitate; non obstante, quod de maiori quantitate ipsi testes fuerint testificati pro eo, quia secundum[9] ius canonicum et ciuile secundum formam intentionis sententia est ferrenda.

Uolumus etiam, quod testes citentur et compellantur ad testimonium proferrendum ad expensas illius partis, quę producit ipsos testes.

Et si quis faceret citari aliquos testes, qui essent de insulis ciuitatis Spalati, quod ueniant ad testificandum in causa ciuili ad forum ciuitatis Spalati: teneatur ipsis testibus dare expensas cibi et potus et naulum barcę; in causa uero criminali testes in iuditio compareant ad testimonium proferrendum sine aliquibus expensis propter fauorem rei publicę communis Spalati[10].

---

[1] Ap. Ljub.: „ciuili". [2] ibid.: „baretarij". [3] ibid.: „in testes". [4] ibid.: „baretarij". [5] Cod. acad. A: „examinentur". [6] Cod. acad. B: „dampnum". [7] Ap. Ljub.: „essent". [8] ibid.: „quod ipsum testimonium". [9] Deest in cod. acad. A. [10] Deest ap. Ljub.

CAP. X. DE SACRAMENTO TAM ACTORIS, QUAM REI UIDELICET[1].

Item statutum et ordinatum est, quod in omni causa ciuili, siue agatur ad pecuniam, siue ad rem mobilem, uel se mouentem et actor uelit pręcise stare sacramento rei de re petita, quod reus citatus uel conuentus teneatur aut iurare, aut referre sacramentum ipsi actori et si reus iurauerit[2], ad petita non teneri in toto, uel in parte: reus pręcise absoluatur a re petita pro ea parte, pro qua iurauerit se non teneri. Et si reus noluerit iurare, sed uelit referre sacramentum actori, et actor iurauerit, sibi deberi, quod petit, in totum uel in parte, stetur pręcise sacramento ipsius actoris secundum iuramentum actoris, uel rei, ut supra dictum est: potestas et eius curia teneatur facere pręceptum et condemnare[3] uel absoluere sine omni alia solemnitate[4] et ordine iuris et statutorum dictę ciuitatis. Et si reus conuentus recusauerit iurare uel iuramentum referre, in continenti habeatur pro confesso et conuicto ad id, quod petitur et potestas et eius curia summarie sine strepitu et figura iuditij procedant contra eum, tamquam contra confessum et contumacem.

Et similiter si actor refferente reo noluerit sacramentum prestare, cadat ab actione sua et ab[5] omni iure suo et reus conuictus in continenti absoluatur[7].

Et de tali sacramento prestito uel ab actore, uel a reo, nullus eorum possit de periurio accusari, quia postquam sacramentum est prestitum de partium uoluntate, non est de iure criminaliter uel ciuiliter aliud[6] requirendum[7].

CAP. XI. QUOD NON OPPONANTUR, NISI ALIQUE EXCEPTIONES CONTRA PUBLICUM INSTRUMENTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod contra publicum instrumentum debiti non possit opponi aliqua exceptio, nisi exceptio falsitatis, uel exceptio[8] uerę solutionis aut uerę satisfactionis, uel quietationis de eo quod in instrumento debiti contineatur. In quo casu scilicet solutionis, satisfactionis et quietationis[9] non possit probari solutio, uel satisfactio, uel quietatio facta de debito, de quo

[1] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „se". [3] Cod. acad. B: „condempnare". Cod. acad. A glossam habet marg: „Vide cap. 116". [4] ibid.: „solempnitate". [5] Deest ap. Ljub. [6] ibid: „aliquid". [7] Glosa marg. in cod. acad. A: „Et de tali causa cf. in cap. liiij. libri quarti, ubi datur pęna iniurianti et hoc uidetur ratum per illud". [8] Sic. ap. Ljub. Cod. acad A et B: „aliqua exceptione uerę" etc. [9] Sic ap. Ljub. In cod. A et B desunt verba: „de eo" usque ad „quietationis".

sit publicum instrumentum, nisi per aliud instrumentum quietationis, uel instrumentum cancellatum. Et si aliter opponeretur, talis exceptio non admittatur, nec ualeat ullo modo, et si aliquis se obligauerit alicui per cartam siue instrumentum alicuius publici notarij de aliquo debito persoluendo, quod ipsum debitum teneatur soluere ad debitum terminum, contentum in dicto instrumento; et si non solueret in dicto termino et requisitus fuerit per curiam ad petitionem creditoris, teneatur soluere pro una quaque libra debiti supradicti duos soldos Venetorum paruorum scilicet xij denarios communi et xij denarios creditori; et quod rector non possit sibi dare alium terminum, nisi de uoluntate creditoris, sed teneatur sibi dare in continenti tenutam de bonis dicti debitoris de quantitate petita et de expensis legitimis, nisi opponeretur aliqua dictarum exceptionum, quę possint opponi contra publicum instrumentum ad quarum exceptionum probationem potestas et eius curia teneantur dare terminum opponenti v dierum ad probandum aliquam dictarum exceptionum. Et si infra dictum terminum non probauerit, in continenti fiat executio dicti instrumenti secundum formam dicti[1] statuti.

Similiter etiam si aliquis coram rectore pure fuerit confessus aliquod debitum, rector in continenti teneatur dare tenutam creditori de debito confessato et de expensis legitimis, quam tenere debeat dictus creditor per xv dies et si infra dictos xv dies debitor non recolligeret dictam tenutam, quod creditor coram rectore possit dictam tenutam uendere cuicumque uoluerit factis subastationibus[2] et incantationibus ut superius est expressum in alio capitulo et infra dicetur.

CAP. XII. QUOD INSTRUMENTA PUBLICA NON INFRINGANTUR PER TESTES.

Item statutum et ordinatum est, quod omnia instrumenta, quę apparerent esse publica per manum alicuius boni notarij et legalis, non infringantur, nec infringi aut rumpi possint[3] per testes.

CAP. XIII. DE INSTRUMENTIS FACTIS EXTRA CIUITATEM SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis in curia ciuitatis Spalati producerit aliquod publicum instrumentum, quod esset[4]

---

[1] Ap. Ljub.: „pręsentis". [2] ibid.: „subhastationibus". [3] Cod. acad. A et B: „possit". [4] „quod esset" deest ap. Ljub.

contra aliquem ciuem[1] Spalati; quod instrumentum sit factum extra ciuitatem Spalati et districtum, illi instrumento non debeat adhiberi aliqua fides, nisi ille, qui produxerit tale instrumentum, ostenderit ueras litteras testimoniales illius terrę, in qua factum fuerit illud instrumentum, sigillatas sigillo communis dictę terrę, quod[2] ille notarius, qui fecit illud instrumentum, sit bonus notarius et legalis, uel uerba similia uel ęquipollentia ad faciendum de dicto nomine[3] plenam fidem.

CAP. XIV. DE INSTRUMENTIS RASIS[4], UEL ALITER DEUASTATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquod publicum instrumentum sit rasum[5] uel aliqualiter deuastatum propter uetustatem et ueritas litterarum posset ex eo comprehendi et recta sententia, nihilominus tale instrumentum ualeat et robur obtineat firmitatis.

CAP. XV. DE INSTRUMENTIS PERDITIS REFICIENDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod notarius, si publicauerit alicui aliquod instrumentum et ipsum instrumentum restituit publicatum et ille, cui est redditum instrumentum uel sui heredes perdiderint illud instrumentum et hoc iurauerint coram rectore et petant, quod notarius refficiat dictum instrumentum[6] in publicam formam; tunc citetur aduersarius, in cuius prężiuditium dictum instrumentum petitur iterum publicari et detur sibi terminus competens; si uult aliquid opponere uel probare, quare dictum instrumentum non debeat iterum publicari.

Et si infra dictum terminum nihil legitime opposuerit, uel probauerit, rector compellat notarium ad refficiendum et publicandum[7] dictum instrumentum et ipsum restituat ei, cuius interest et ille, qui facit reffici et iterum publicari dictum instrumentum, iuret corporaliter ad sancta dei euangelia, quod quocumque tempore dictum instrumentum, quod dicebatur esse perditum, reperierit, et peruenerit ad manus suas, quod illud[8] restituat dicto notario et illud instrumentum coram rectore totaliter destruatur[9], ut de uno

---

[1] Cod. acad. A et B: „ciuitatis". [2] Ap. Ljub.: „continentes, quod". [3] ibid.: „notario". [4] Sic ap. Ljub. Cod. acad. A: „rosis", cod. B: „rossis". [5] Cf. adnot anteced. [6] Deest in cod. acad. B. [7] Cod. acad. B: „iterum". [8] Ap. Ljub.: „reddat et". [9] ibid.: incidatur".

debito, uel contractu preiuditiali non possint reperiri plura publica instrumenta.

CAP XVI. IN QUIBUS CASIBUS TESTES POSSUNT RECIPI ANTE LITEM CONTESTATAM[1].

Item statutum et ordinatum est, quod in causa ciuili, si timetur de morte testium propter infirmitatem, uel senectutem uel alio modo, uel de longa absentia testium, quod tales testes etiam ante litem contestatam recipi et examinari possint et debeant in ipsa causa, dum tamen ad uidendum iuramenta talium testium aduersarius legitime sit citandus et saluum sit sibi ius opponendi contra personas et dicta testium, ut ordo postulat rationis.

CAP. XVII. DE UENDITIONIBUS ET ALIJS CONTRACTIBUS, QUALITER DEBENT[2] FIERI INSTRUMENTA.

Item statutum et ordinatum est, qnod de omnibus conuentionibus, uenditionibus, debitis et de omnibus alijs contractibus et alienationibus, excepto de possessionibus et hereditatibus indiuisis a xx librarum Venetorum paruorum supra fiat et fieri debeat publicum instrumentum, alias uenditio et alienatio et contractus non ualeat ipso iure.

CAP. XVIII. DE TESTAMENTIS ET ULTIMIS UOLUNTATIBUS[3].

Item statutum et ordinatum est, quod si appareat aliquod testamentum, uel codicillus, uel quelibet alia ultima uoluntas, que appareat per publicum instrumentum, scriptum manu alicuius boni notarij, siue ibi contineatur heredis institutio, siue non contineatur[4], nihilominus ualeat et teneat et nullo modo infringatur, nisi esset contra statutum Spalati.

Idem etiam obseruetur[5], si fiat donatio causa mortis per filium familias, qui est in potestate patris sui[6], dummodo ipsa donatio causa mortis fiat patre consentiente.

In quibusdum casibus tamen pertinet[7] et licitum est filio familias existenti in potestate patris sui, facere testamentum, uel ultimam uoluntatem, consentiente, uel non consentiente patre suo, et

---

[1] Ap. Ljub: „contestationem". [2] ibid.: „debeant". [3] Cod. acad. B menda haud dubio scripture, semper scribit: „ultima uoluptas" l. uoluntas. [4] Deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. B: „seruetur". [6] Deest ap. Ljub. [7] ibid.: „permittimus".

patre pręsente, uel absente, uidelicet: si filius haberet peculium castrense, quod fuisset lucratus occasione guerre, aut a papa, uel imperatore, uel eorum legatis, aut a rege, uel aliquo alio domino; uel de peculio quasi castrensę, ut puta, si aliquid fuerit lucratus de sua scientia, uel de aliquo offitio, uel arte, aut de aliqua dignitate ecclesiastica uel sęculari, uel si de aliquibus[1] mercationibus[2], uel de industria suę personę aliquid lucratus esset. In quibus casibus licitum sit filio familias de dictis bonis facere testamentum, codicillum, donationem causa mortis, uel quamlibet aliam ultimam uoluntatem. Et de his faciat uelle suum, iure aliquo ciuili, uel canonico non obstante.

CAP. XIX. QUOD PATER ET MATER NON POSSINT EXHEREDARE SINE CAUSA FILIOS SUOS[3].

Item statutum et ordinatum est, quod pater in testamento, uel[4] qualibet ultima uoluntate non possit fraudare filium uel filiam suam[5], aut alios ex se descendentes legitima debita iuris naturę, id est, tercia parte illius partis, quam filius haberet de bonis patris sui, si pater moriretur sine testamento, uel alia ultima uoluntate; nisi filius uel alij descendentes committerent aliquam grauem iniuriam, uel offensam contra patrem, uel matrem, auum uel amitam, aut alios ascendentes, propter quam liceret sibi eum exheredare[6].

Quę autem dicatur grauis iniuria uel offensa, propter quam pater uel mater possint exhereditare filios suos, hic aliquę breuiter denotantur, quę debent seruari in ciuitate Spalati, licet a iure multę alię sint expressę.

Una est, si filius percutit irato animo patrem, uel matrem suam, aut alios ascendentes[7].

Alia est causa, si filius accusat criminaliter patrem suum, uel matrem suam, uel alios ascendentes de graui crimine.

Tercia causa est, si filius frequenter et publice utitur et conuersatur cum inimicis capitalibus patris sui, uel suorum ascendentium.

Quarta causa est, si filius cognoscat carnaliter sponsam, uel amasiam seu concubinam patris sui.

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Cod. acad. B: „incantationibus". [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Ap. Ljub.: „alia". [5] ibid.: „filias". [6] Cod. acad. B: „exhereditare". [7] Cod. acad A glossam habet in margine: „In cap. lxxij quarti libri habetur hoc sub rubro de verberantibus patrem uel matrem."

Quinta causa est, si filius secundum posse suum non redimeret patrem suum, uel matrem suam, qui uel quę essent in carcere, uel in captiuitate, si pater et mater tunc non haberent de bonis suis, de quibus possent se liberare de carcere, uel de captiuitate.

Sexta causa est, si filius, uel filia per uiolentiam prohiberent cum effectu, ne pater suus, uel mater sua possent facere testamentum, uel aliam ultimam uoluntatem.

Septima causa est, si filia fęmina peccat in corpus suum, faciendo se carnaliter cognosci ab aliquo, antequam tradatur nuptui ante xxv. annum suę ętatis.

In istis casibus filius, uel filia iuste possint exhereditari a patre suo, uel a matre sua.

Et similiter filius non possit auferre patri suo, uel matri suę, aut alijs ascendentibus dictam legitimam portionem debitam iuris[1] naturę, nisi grauem iniuriam, uel offensam pater uel mater comitterent contra eos, ut superius est expressum.

CAP. XX. DE CONFESSIONE FACTA IN TESTAMENTO, UEL ULTIMA UOLUNTATE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis in testamento suo uel codicillis uel in alia qualibet ultima uoluntate fuerit confessus, se aliquid dare debere alicui personę[2], siue ex causa usurarum, uel ex causa male ablati, uel ex causa mutui, uel ex causa alicuius debiti, uel ex quacumque alia causa; si postea testator conualescat uel reuertatur ad sanitatem, compellatur summarie realiter et personaliter[3] ad satisfactionem id, quod confessus fuit. Et si ipse moriretur, compellantur heredes uel commissarij ipsius, uel possessores bonorum defuncti ad ea, quę continentur in confessione prędicta, saluo semper iure aliorum creditorum dicti defuncti, qui haberent priora seu potiora iura contra dictum defunctum et in bonis et super bonis ipsius defuncti, quibus dicta confessio in iuribus eorum nullum possit pręiuditium generare.

CAP. XXI. DE TESTIBUS TESTAMENTORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si in testamento, codicillo, uel alia qualibet aliqua ultima uoluntate sunt scripti aliqui testes,

---

[1] Ap. Ljub.: „de iure"; cod. acad. B: „iure". [2] Deest ap. Ljub. [3] ibid.: „personaliter".

siue ipsi testes sint rogati siue non sint rogati; non tamen propter hoc uitietur testamentum, codicillum[1] uel alia quęlibet ultima uoluntas.

CAP. XXII. DE COMISSALIBUS[2].

Item statutum et ordinatum est, quod executores et commissarij scripti in testamento, codicillo, uel qualibet alia ultima uoluntate alicuius defuncti compellantur per rectorem et offitiales ciuitatis Spalati realiter et personaliter ad exercendum et exequendum offitium commissarię ad quod sunt ordinati a defuncto. Et post mortem testatoris[3] pęna et banno x librarum pro quolibet eorum teneantur[4] infra decem dies post mortem testatoris et postquam sciuerint, se esse factos et ordinatos commissales, facere inuentarium de bonis defuncti, in quo inuentario teneantur facere scribi omnia et singula bona mobilia et stabilia hereditatis bona fide, sine fraude, et quęcumque peruenerint ad manus ipsorum de bonis dicti defuncti, ad hoc, ut ipsa bona defuncti non possint dissipari neque baratari, nec abscondi. Et si ipsi commissarij et executores testamentorum et aliarum ultimarum uoluntatum uellent uendere de bonis defuncti pro satisfactione testamenti uel alicuius ultimę uoluntatis defuncti, si tales res, quę uenduntur, ualent a centum soldis supra, teneantur commissarij tales res facere bandiri seu subastari et incantari per diuersos dies publice et palam per riuarium communis, ut plus offerenti dentur et uendantur; et de ipsa uenditione rogetur notarius ad expensas bonorum defuncti.

Et rector, qui pro tempore fuerit, faciat prouideri ipsis commissalibus[5] de bonis defuncti pro mercede sui laboris, prout ipsi rectori et curię dicti communis uidebitur conuenire, si per defunctum de suo labore eis prouisum non fuerit.

CAP. XXIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis condiderit testamentum de suis bonis distribuendis, et in ipso testamento fecerit commissarios ad distribuendum et satisfaciendum legata, contenta in ipso instrumento uel[6] ultima uoluntate, dicti commissarij teneantur

---

[1] Ap. Ljub. et in cod. acad. A: „codicillus“. [2] Cod. acad. B: „comessalibus,“ ap. Ljub.: „De comiss. executoribusque testamentorum“. [3] Ap. Ljub.: „defuncti“. [4] Deest ibid. [5] ibid.: „commissarijs“. [6] Cod. acad. A: „et“.

distribuere dicta legata infra unum annum, computandum a morte[1] testatoris, si terminus non fuerit appositus per ipsum[2] testatorem. Et si terminus fuerit appositus, distributio et executio testamenti fiat per commissarios in termino, ordinato a defuncto.

Et quod dicti commissarij non possint appropriare in se de bonis dicti testatoris, nec uendere, alienare, uel dare alicui consanguineorum suorum usque in tercium gradum consanguinitas uel affinitatis. Et teneantur reddere rationem heredibus testatorum[3], si fuerint heredes, et si heredes non fuerint, reddant rationem propinquioribus defuncti de administratione dictę commissarię sub pęna xxv librarum, et nihilominus, pęna soluta uel non, semper teneantur ad dictam rationem faciendam, non prędiudicando possessioni[4] de lecto uiduitatis tam in uiro, quam in fęmina.

Et iudices, qui fuerint super usuris, constringant ipsos commissarios ex prędecepto ad complendum dictum testamentum sub pęna centum librarum, soluendarum per dictos commissarios; cuius pęnę medietas sit communis, alia accusantis.

Et si iudices prędicti ipsos commissarios constringere neglexerint, soluant pro uno quoque communi Spalati libras quinquaginta[5]; et semper teneantur dicti commissarij heredibus seu propinquioribus defuncti de administratione dicti testamenti et dictę commissarię, ut dictum est, reddere integram et debitam rationem.

Et rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, prędicta prędecepta et mandata, quę fient per dictos iudices super usuris pro executionibus dictorum testamentorum, teneatur uinculo sacramenti executioni debitę efficaciter demandare.

CAP. XXIV. DE UXORE REMANENTE POST MORTEM MARITI.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis decesserit ab intestato, carens filijs et nepotibus per lineam descendentem et habuerit uxorem et introitus bonorum sui mariti ualuerint annuatim ultra xxx^ta^ librorum paruorum: de xxx^ta^ libris dicta uxor sit contenta, de superfluo dantur ei procuratores per curiam, qui ipsi mulieri prouideant de dictis xxx^ta^ libris; superfluum de introitibus et redditibus distribuant pro anima ipsius defuncti usque dum ipsa

---

[1] Ap. Ljub.: „dicti“. [2] Deest ibid. [3] ibid.: „testatoris“. [4] ibid.: „possessionem“. [5] ibid.: „paruorum“.

thorum uiduitatis possiderit: mutuato uero thoro, uel uxore deficiente, bona deueniant ad propinquiores defuncti.

Et si maritus mortuus fuerit sine testamento siue intestatus, quod tam dos, quam alia bona ipsius mulieris sint salua et ipsi dominę, si mutare uoluerit lectum uiduitatis restituantur, uel earum extimatio.

CAP. XXV. DE TESTAMENTO IURATO.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis[1] fecerit testamentum uel aliquam aliam ultimam uoluntatem, licet iurauerit ad sancta dei euangelia illud testamentum, uel aliam ultimam uoluntatem se postea non mutaturum, nihilominus tamen si expresse uult prępmitere et remouere primum testamentum, liceat sibi illud mutare et remouere ad suam uoluntatem[2], quia nemo potest sibi ipsi legem imponere, a qua non licet[3] sibi recedere, et nihil tam naturale[4], quam unum quodque dissolui eo genere, quo legatum est.

CAP. XXVI. DE PECUNIA RELICTA PRO MALE ABLATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis in testamento, uel ultima uoluntate reliquerit aliquam pecunię quantitatem pro male ablatis, dandam illis[5], qui iustam quęrimoniam de ipso facerent, quod dicta quantitas debeat expendi pro anima defuncti ad pias causas per executores et commissarios testamenti, uel alterius ultimę uoluntatis.

CAP. XXVII. DE PECUNIA, QUE DEBET DISTRIBUI PER COMMISSARIOS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis in testamento, uel alia ultima uoluntate reliquerit aliquam pecuniam distribuendam per suos commissarios, ut ubicumque ipsis commissalibus melius uidebitur conuenire, quod[6] commissales non possint illam pecuniam pro se retinere uel in suos consanguineos uel affines aut in suam propinquitatem eam dare, uel distribuere, sed debeantur eam distribuere ad pias causas pro anima defuncti et suorum parentum.

---

[1] Ap. Ljub.: „quis“. [2] Cod. acad. B: „uoluptatem“. [3] Ap. Ljub.: „liceat“. [4] ibid.: „est“. [5] Cod. acad. A: „dandam. uel“. [6] Deest ap. Ljub.

CAP. XXVIII. DE UXORE ORDINATA COMMISSALI, QUE TRANSIT AD SECUNDA UOTA.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua uxor alicuius fuerit ordinata commissalis a marito suo in testamento, uel alia ultima uoluntate, uel facta fuerit tutrix filiorum defuncti et dicta mulier transiuerit ad secunda uota, statim sit finitum offitium commissarię et tutelę dictę mulieris, ita quod postea de dicta tutela et commissaria se nullatenus intromittat.

CAP. XXIX. DE MULIERE POSSIDENTE THORUM UIDUITATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis deccesserit relicta uxore et relictis filijs, et ipsa mulier uult possidere thorum uiduitatis et stare cum filijs dicti defuncti, quod debeat habere alimenta et necessitates suas super bonis defuncti competenter, considerata conditione personę et facultatum qualitate usque in tempus mortis suę, donec staret cum filijs defuncti.

Si autem ipsa mulier non posset uiuere et morari cum filijs testatoris, seu dicti defuncti, tunc dicta mulier debeat habere pro suis alimentis et necessitatibus de fructibus bonorum defuncti pro rata parte et numeratione filiorum defuncti[1], ut[2] tantum habeat ipsa mulier, quantum habet unus ex filijs defuncti, usque in mortem ipsius uxoris, si non mutauerit thorum uiduitatis. Sed si mutauerit thorum uiduitatis, nihil postea habeat de bonis ipsius defuncti, nisi defunctus sibi aliquid reliquisset in suo testamento uel ultima uoluntate.

CAP. XXX. QUOD NULLUS NOTARIUS SIBI, UEL SUIS ASSCRIBAT ALIQUOD LEGATUM IN TESTAMENTO.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus notarius in testamento, codicillo uel alia ultima uoluntate pręsumat scribere, quod testator, uel alius qui facit suam ultimam uoluntatem, aliquod relinquat ipsi notario, nec patri[3], nec matri[4], nec uxori suę, nec filijs aut fratribus carnalibus, aut nepotibus ipsius notarij carnalibus, nec etiam possit[5] scribere se commissalem procuratorem uel executorem testamenti uel ultimę uoluntatis ipsius[6] defuncti. Et si contrafaciat, legatum non ualeat et qualibet uice ipse notarius in centum

[1] Verba: „pro rata“ usque ad: „defuncti“ desunt ap. Ljub. [2] ibid.: „et“. [3] ibid.: „suo“. [4] „nec matri“ deest ibid. [5] Deest ibid. [6] ibid.: „dicti“.

soldis debeat condemnari[1], saluo, si ipsa legata faciant scribi per alium notarium, uel coram ydoneis testibus ipsa legata dictus testator relinquat.

CAP. XXXI. DE HIJS, QUE REMANENT UXORI POST MORTEM MARITI.

Item statutum et ordinatum est, quod si post mortem[2] alicuius remeneant uxori suę aliqua uestimenta, cincturę, seu corrigię argenteę, perlę, uel ornamenta mulierum et similia, tunc tales res non sint uxoris, sed esse debeant heredum[3] mariti, prętеr uestimenta, quę[4] ad cottidianum usum uxoris sunt necessaria, nisi defunctus de prędictis rebus aliud duxerit ordinandum. Et semper dictę[5] res pręsumantur fuisse de bonis mariti; nisi mulier manifeste probaret, quod dictę res fuerint[6] suę proprię et non mariti; salua in omnibus approbata consuetudine ciuitatis Spalati.

CAP. XXXII. DE LEGATO DRUDE, UEL CONCUBINE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus possit relinquere in testamento, uel alia ultima uoluntate, uel alio quocumque modo alicui suę amasię, drudę uel concubinę ultra x libras.

Et si ultra, uel contra factum fuerit, non ualeat ipso iure.

CAP. XXXIII. DE LEGATO ALIENATO TESTATORE UIUENTE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis in aliquo testamento, uel alia[7] ultima qualibet[8] uoluntate reliquerit alicui personę aliquam rem mobilem, uel immobilem et postea ipse testator uiuus ipsam rem legatam uendiderit, donauerit, uel alio quocumque modo alienauerit; statim intelligatur reuocasse dictum legatum, ita quod siue dictus testator faciat aliud testamentum, siue non faciat, nullatenus dictum legatum peti possit, sed perinde habeatur, ac si legatum non esset.

CAP. XXXIV. SI NATI SINT FILIJ POST TESTAMENTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis carens filijs legitimis faciat testamentum, uel aliam ultimam uoluntatem et in ipso

---

[1] Cod. acad. B: „condempnari". [2] Ap. Ljub.: „mariti". [3] Deest in cod. acad. A et B. [4] Deest ibid. [5] Ap. Ljub.: „prędictę". [6] ibid..: „fuissent". [7] Cod. acad. B et ap. Ljub: „aliqua". [8] Deest ibid.:

testamento, uel ultima uoluntate reliquerit bona sua suis consanguineis uel extraneis in toto, uel in parte; si postea filios habeat de legitimo matrimonio et testator decedat uiuente aliquo ex[1] filijs suis legitimis, quem, uel quos habeat ex uxore, licet si aliud postea non fecerit testamentum, uolumus et censemus, quod dictum testamentum nullam habeat firmitatem et legata contenta in eo testamento, uel alia ultima uoluntate nullo modo possint peti, sed bona et hereditas defuncti perueniant ad filium uel filios eius[2], quem uel quos ex legitimo matrimonio procreauerit; saluo quod decimum bonorum suorum debeat dari pro anima sua, scilicet defuncti, ad pias causas[3].

CAP. XXXV. DE UXORE POSSIDENTE THORUM UIDUITATIS MORTUO UIRO SINE FILIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis decesserit sine testamento, habens uxorem et carens filijs seu heredibus, et uxor uoluerit possidere thorum uiduitatis, licitum sid sibi uti de bonis uiri defuncti non ipsa destruendo, nec male utendo. Quę si contrafecerit, tunc curia teneatur sibi aliter prouidere de dispendio, quod uiduitas sua competenter maneat in omnibus suis necessitatibus. Et si thorum mutare uoluerit, habeat de bonis uiri defuncti de facultate trecentarum librarum xxx^{ta} libras et si minus, pro ratione. Omnia uero[4] bona alia ipsius defuncti deueniant in potestatem propinguiorum, qui sibi debent ab intestato succedere.

CAP. XXXVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis pauper decesserit sine testamento habens uxorem, carens filijs, et uxor relicta uoluerit nubere, habeat de bonis defuncti secundum eius possibilitatem.

CAP. XXXVII. DE MULIERE FORNICANTE POST MORTEM MARITI.

Item statutum et ordinatum est, quod si post mortem mariti aliqua mulier, quę possideret thorum uiduitatis sui mariti et uteretur bonis sui mariti, fornicaretur cum aliquo et dehonestaret thorum mariti, ipsa mulier priuari debeat omni commodo, quod sequebatur[5]

---

[1] Ap. Ljub.: „dictis". [2] ibid.: „suos". [3] ibid.: „pro anima defuncti ipsius". [4] Deest in cod. acad. B. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „consequebatur".

*

de bonis et rebus sui mariti pręmortui. Et ipsa bona libere perueniant in heredes defuncti, aut proximiores, ad quos bona defuncti debent rationaliter peruenire.

CAP. XXXVIII. DE DECIMA, QUE POTEST RECIPI SUPRA PARTEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus habens heredes possit dare[1] alicui suorum[2] heredum super partem, nisi decimam partem suorum bonorum; uidelicet de libris mille libras centum et plus et minus per rationem. Et si ultra fuerit quam decima pars, non ualeat, uel[3] illud refundatur.

CAP. XXXIX. DE SENTENTIJS PROFERRENDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod post receptionem testium et instrumentorum sententia non prolongetur ultra decem dies iusto impedimento cessante; et quidquid ab utraque parte dictum fuerit in parlamento[4], uel in causa, siue fuerit testificatum per testes, siue appareat per publica instrumenta, examinetur diligenter per potestatem, rectorem et suam curiam, seu iudices et offitiales huius terrę[5]; et per eos examinatione facta, prout eis iustum uidebitur, sententia proferatur.

In prolatione autem sententię hęc forma seruetur, prout in superioribus capitulis sub rubrica de[6] iuramento potestatis plenius est expressum, ita tamen, quod in ipsis sententiis proferrendis, nec frater, nec fratris, nec sororis filius, nec carnalis consobrinus, nec cognatus, scilicet frater uxoris, nec pater pro filio, nec filius pro patre, nec auus pro nepotibus uel neptibus[7], nec nepos pro auo uel auia debeat interesse, uel[8] iudex uel consiliarius ad sententiandum illos[9], qui inter se habuerint placitum, litem uel causam, nec etiam[10] aliquis possit super dicto facto[11] iudicare, ad quem pertineret proprium commodum, uel proprium damnum[12]. Et similiter ille[13], qui fuerit in ipsa causa aduocatus, non debeat interesse ad sententiam proferrendam et similiter si aliquis fuerit testificatus in ipsa causa, non debeat interesse ad proferrendam[14] sententiam

---

[1] Ap. Ljub.: „aliter reliqui". [2] Deest ibid. [3] „non ualeat, uel" deest ap. Ljub. [4] ibid.: „placito". [5] ibid.: „ciuitatis". [6] „rubrica de" deest ap. Ljub. [7] Deest ibid. [8] Deest ibid. [9] ibid.: „illis". [10] Deest ibid. [11] ibid.: „testimonio". [12] Cod. acad B: „dampnum". [13] Deest ap. Ljub. [14] Cod. acad. B: „ferrendam"; ap: Ljub.: „inferrendam".

in ipsa causa nisi in suo testimonio dixerit, se nihil scire de ipso negotio; et tunc possit interesse ad sententiandum[1].

CAP. XL. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod in causa ciuili et sententijs proferrendis potestas et rector dictę ciuitatis esse debeat ad sententias proferrendas cum tribus iudicibus et sex consiliarijs, qui debent propositis interesse et cum ipsis factum et causam examinare et terminare debeat, ubi maior pars[2] se concordauerit secundum statutum et bonam consuetudinem ciuitatis Spalati.

Et nulla sententia possit dari, nisi adminus sint duę partes de curia cum rectore dictę ciuitatis[3]. Et si duę partes ad minus non fuerint, ipsa sententia lata non ualeat, uec teneat ullo modo.

CAP. XLI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si per potestatem uel rectorem ciuitatis Spalati data fuerit aliqua sententia in causa ciuili sine dictis iudicibus et consiliarijs, qui debent propositis interesse, uel cum eis et ipsa sententia data fuerit contra formam statutorum dictę ciuitatis, nullius ualoris ipsa sententia existat et potestas et rector, qui pro tempore fuerit[4], una cum sua curia, scilicet cum dictis iudicibus et consiliarijs eam examinare debeant et si reperirent esse latam contra formam statutorum ciuitatis Spalati, eam corrigant et emendent prima sententia non obstante, quam carere uolumus omnimoda firmitate.

CAP. XLII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si potestas forensis non esset in ciuitate Spalati, sed ciuitas regeretur per iudices huius terrę et aliqua sententia ferretur seu publicaretur per eos inter litigantes a decem libris supra et aliqua ipsarum partium de prolata sententia senserit indebite[5] se grauatam contra formam capituli et bonam consuetudinem ciuitatis, tunc infra tres dies post prolationem et publicationem dictę sententię ab eadem sententia ualeat appellare ad unum probum uirum, quem ad suam uoluntatem eligere debeat; et pars aduersa eligat alium, tercius uero eligatur de uoluntate

[1] Ap. Ljub. apponuntur verba: „et non propterea repellatur". [2] ibid.: „eorum". [3] „dictę ciuitatis" deest ap. Ljub. [4] ibid.: „uel subsequens". [5] Deest ap. Ljub.

ambarum[1] partium, et cogantur se[2] concordare in tercium. Et illi tres eligantur de illis, uidelicet qui tunc fuerint offitiales ad prolationem dictę sententię; qui pręstito iuramento, bona et recta fide procedant infra octo dies, postquam fuerint electi et de publicata sententia cognoscant. Et si secundum ea, quę fuerint allegata per partes ante iudices, ipsam sententiam iustam inuenerint, eam debeant approbare; si[3] iniustam esse cognouerint, eam irritam et cassam debeant nuntiare[4].

Si uero sententia approbata non fuerit, tunc ipse[5], contra quem sententia primo lata fuit, possit agere et iusticiam petere coram alia curia proxime uentura, uel coram tercia curia et ultra non possit prolongari[6], et quidquid per secundam curiam[7] sententiatum fuerit, sit firmum et ratum et irreuocabiliter debeat permanere.

CAP. XLIII. QUOD UICTUS UICTORI REFICIAT EXPENSAS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque perdiderit causam, refficere teneatur uictori omnes et singulas legitimas expensas; etiam aduocati et alias expensas, quas uictor fecerit in ipsa causa, prout per rectorem dictę ciuitatis et suam curiam fuerint declaratę[9].

CAP. XLIV. DE SUCCESSIONIBUS AB INTESTATO.

Quoniam de successionibus ab intestato inter propinquos[10] et consanguineos nasci consueuerunt uarię quęstiones, ut ergo materia quęstionum totaliter amputetur, statutnm et ordinatum est, quod si masculus aliquis, uel fęmina decesserit sine testamento, uel ultima uoluntate, si habeat filios tam masculos, uel fęminas, ipsi filij uel filię feminę sibi succedant pro ęquali portione. Si uero habeat nepotes per lineam descendentem et similiter habeat filios uel filias, tunc nepotes uel neptes[11] cum filijs uel filiabus[12] succedant[13] pro ęquali portione sed in stirpe, ut si ex uno filio prємortuo remanserint plures nepotes, isti plures nepotes de bonis dicti defuncti ab intestato habeant illam partem, quam haberet ab intestato pater eorum, si uiueret.

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest in cod. acad. A et B. [3] Ap. Ljub.: „causam". [4] ibid.: „pronuntiare". [5] ibid.: „ille". [6] ibid.: „prorogari". [7] ibid.: „uel terciam". [8] ibid.: „obseruari". [9] ibid.: „ordinatę". [10] ibid. „propinquiores". [11] Deest ibid. [12] ibid.: „cum fratribus". [13] Deest in cod. acad. A et B.

Si uero non superessent filij uel[1] descendentes, sed superessent ascendentes, ut puta pater, mater, auus uel auia ex quocumque latere; tunc si solus superest pater, solus succedat defuncto, si sola mater[2], sola succedat. Si superest pater et mater, ambo succedant pro ęquali portione. Si autem superest pater et auus maternus, solus pater succedat[3]. Si[4] non superest pater uel mater defuncti ab intestato, sed solummodo alij ascendentes supersunt, ut puta paternus auus, uel maternus, uel auia paterna et materna, aut alij superiores, quilibet eorum succedat in bonis defuncti ab intestato pro ęquali portione.

Si autem moriens ab intestato reliquerit cum ascendentibus aliquos collaterales, tunc si defunctus habuerit fratres carnales sibi coniunctos ex utroque parente, tunc dicti fratres et etiam filij dictorum fratrum succedant ab intestato cum ascendentibus pro ęquali portione. Si uero remanerent fratres, qui non essent coniuncti defuncto ex utroque parente, sed essent sibi fratres, uel ex parte patris tantum, uel ex parte matris tantum, tunc tales fratres, uel eorum filij non admittantur ad successionem bonorum defuncti cum ascendentibus; sed tunc soli ascendentes tantum succedant in bonis defuncti ab intestato.

Si uero defuncta persona non habeat ascendentes uel descendentes, sed habeat tantum collaterales, tunc si habeat fratres uel sorores ex utroque parente sibi couiunctos, tunc ipsi soli sibi succedant. Si uero habet solos filios fratrum sibi coniunctos ex utroque parente, tunc soli filij uel filię talium fratrum sibi succedant. Si uero habet simul fratres uel sorores et filios fratrum ex utroque parente, tunc fratres et filij fratrum succedant defuncto non in capita, sed in stirpem, ut supra etiam de hoc declaratum est, quid sit succedere in capita uel in stirpem.

Si uero defuncta persona non habeat fratres, uel sorores, uel filios fratrum ex utroque parente sibi coniunctos, tunc succedant sibi fratres uel sorores, uel[5] filij fratrum aut sororum ex uno parente sibi coniuncti, exclusis alijs collateralibus defuncti, scilicet patruis, auunculis et materteris exclusis.

Si uero defuncta persona careat fratribus uel nepotibus, siue ex eodem patre et matre, siue ex diuersis; si[6] habeat patruos uel

---

[1] Ap. Ljub.: „alij“. [2] ibid.: „superest“. [3] Verba: „Si superest“ usque ad: „succedat“ desunt ap. Ljub. [4] ibid: „uero“. [5] „fratres — uel“ deest ibid. [6] ibid.: „sed“.

auunculos, materteras uel amitas, tunc patrui et auunculi, amitę, materterę proximiores succedant in bonis defuncti pro ęquali portione.

Si uero aliquis moritur ab intestato sine ascendentibus et descendentibus, relicto fratre uel sorore ex parte matris tantum et relicto alio fratre uel sorore ex parte patris tantum et relicto alio fratre uel sorore ex parte matris tantum, tunc frater uel soror ex parte patris succedant defuncto in bonis paternis, frater uel soror ex parte matris succedant in bonis maternis. In alijs autem bonis defuncti aliunde acquisitis ambo ęqualiter succedant.

Si autem aliquis decesserit ab intestato relicto fratre uel sorore ex parte matris tantum et relicto alio fratre uel sorore ex parte matris tantum, et relicto alio fratre uel sorore, qui uel quę erat coniunctus defuncto ex parte patris et matris: tunc ille frater uel soror, qui uel quę est[1] coniunctus defuncto ex utroque parente, succedant in bonis omnibus defuncti tam paternis, quam maternis, quam aliunde acquisitis.

Si uero aliquis decesserit ab intestato, relicto uno filio et fratre pręmortuo et relictis duobus filijs ex alio fratre pręmortuo, tunc dicti nepotes succedant defuncto in stirpem et non in capita, scilicet ut tantum habeat de bonis defuncti unus filius ex fratre pręmortuo, quantum habeant alij duo ex alio fratre pręmortuo.

Si uero aliqua filia esset dotata a patre uel matre, aut ab alijs ascendentibus uel descendentibus uel collateralibus; aut si de bonis morientis ab intestato aliquid ad eam peruenerit et casus contigerit[2], quod in bonis dotatoris ueniret ad successionem ab intestato cum alijs proximioribus defuncti secundum dictum ordinem, tunc talis mulier, uel eius heredes debeant conferre et communicare et remittere in communem hereditatem, quidquid peruenerit ad dictam mulierem de bonis dicti defuncti, uel defunctę personę, si uult ab intestato cum eis uenire ad successionem; et prędicta successio ascendentium, descendentium et collateralium ab intestato locum habeat, quando essent nati de legitimo matrimonio illi, qui uenirent ad succedendum[3] ab intestato de bonis defuncti.

Item ad dandum materiam omnibus hominibus et mulieribus, quod in uita et in sanitate ipsorum debeant facere testamenta: statutum et ordinatum est et declaratum, non obstantibus in hoc

---

[1] Ap. Ljnb.: „erat". [2] ibid.: „casu contigeret". [3] ibid.: „successionem".

casu his, quę dicta sunt supra, quod si aliquis masculus maior xiiij annis, uel fęmina maior xij annis decesserit sine testamento et ultima uoluntate sine filijs de suo corpore, de legitimo matrimonio descendentibus, quod in bonis suis commune Spalati succedat in quarta parte et quarta pars[1] bonorum suorum detur pro anima sua pauperibus in pijs causis, non obstante, si habeat fratres, uel alios consanguineos. Et rector et offitiales, qui pro tempore fuerint in ciuitate Spalati, teneantur prędicta efficaciter obseruare et facere obseruari uinculo sacramenti.

CAP. XLV. DE MALEFICIJS COMMISSIS PER CONSORTES[3].

Item statutum et ordinatum est, quod si fratres uel consortes[4] simul habitent uel haberent bona communia et aliquis eorum committeret aliquod malefitium propter quod condemnetur[5] in aliqua pecunię quantitate, quod solutio dictę quantitatis pecuniarię[6] condemnationis non fiat de bonis communibus, sed tantum fiat de parte et[7] super partem illius, qui dictum malefitium perpetrauit[8], quia alterius malefitio non ḍebet alius prągrauari.

CAP. XLVI. DE SALARIO MEDICORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si medicus promiserit[9] pro certo salario curare seu sanare infirmum de aliqua infirmitate et ipsum sanauerit et infirmus post paucos dies usque ad xv dies[10] reclinauerit[11] in infirmitatem, quod medicus illud salarium habere non possit et si acceperit[12], quod teneatur illud salarium restituere, nisi ipsum infirmum curauerit de recidiuatione infirmitatis, uel nisi manifeste appareat, quod propter culpam infirmi, uel propter aliam superuenientem causam recidiuauerit in infirmitatem, quia non est liberatus infirmus, qui in infirmitatem[13] cito recidiuat.

CAP. XLVII. QUOD MEDICUS COMMUNIS NON FACIAT SOCIETATEM CUM SPECIARIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque medicus habet aliquod salarium a commune Spalati, non possit habere societatem

---

[1] Cod. acad. A et B: „parte". [2] Ap. Ljub.: „officialiter". [3] Cod. acad. A: „sortes". [4] Ap. Ljub.: „uel sorores, qui". [5] ibid.: „condemnaretur". [6] Deest ibid. [7] Cod. acad. A et B: „ut". [8] Ap. Ljub.: „perpetrauerit". [9] ibid.: „promittit": [10] „usque — dies" deest ibid. [11] ibid.: „reciderit". [12] ibid.: „receperit". [13] Cod. acad. A: „infirmitate".

cum aliquo speciario et qui contra faceret[1], pro qualibet uice in x libris condemnetur et possit a quolibet accusari et denuntiari. Cuius bandi medietas sit communis et alia accusatoris et denuntiatoris. Et rector dictę ciuitatis per sacramentum etiam compellat ipsos medicos ad obseruationem prędictorum; et ad prędicta etiam obseruanda ipse rector teneatur uinculo sacramenti.

CAP. XLVIII. DE CIUIBUS FACIENTIBUS INIUSTAS QUESTIONES CONTRA FORENSES[2].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis Spalatinus iniuste faciat et referrat aliquam litem, uel quęstionem alicui forensi in foro ciuitati Spalati, perdat causam et compellatur per potestatem et rectorem ciuitatis Spalati reficere dicto forensi omnia damna[3] et expensas, quę et quas sustinuit occasione dictę quęstionis, prout ipsi potestati et suę[4] curię uidebitur conuenire, ad hoc, ut commune et homines ciuitatis Spalati pro dicto forense non possint sustinere aliquod damnum[5] propter repressalias, uel alio modo, et ad hoc, ut ciues contra forenses non faciant nec defendant[6], iniustas et illicitas quęstiones.

CAP. XLIX. DE DEBITORIBUS UAGABUNDIS ET FUGITIUIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis Spalatinus habeat aliquem suum debitorem sibi obligatum per instrumentum et talis debitor sit uagabundus per mundum et non habeat proprium et certum domicilium et reperiatur in ciuitate Spalati, quod ipse compellatur in curia et foro ciuitatis Spalati dicto ciui Spalatino dę iusticia respondere.

CAP. L. DE CONFESSIONE FACTA PER MARITUM CONSTANTE MATRIMONIO.

Item statutum et ordinatum est, quod si[7] post contractum matrimonium inter uirum et mulierem et constante ipso matrimonio maritus confiteatur in aliquo instrumento, se habuisse et recepisse tantas dotes ab uxore sua et propter hoc obliget maritus uxori suę omnia bona sua, uel aliquam partem bonorum suorum, quod talis confessio noceat marito tantum et ualeat et teneat contra maritum,

---

[1] Ap. Ljub.: „contrafecerit.“ [2] ibid.: „forensibus“. [3] Cod. acad. B: „dampna“. [4] Deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. B: „dampnum“. [6] Ap. Ljub.: „inferant“. [7] Deest in cod. acad. A et B.

tantum[1], sed non noceat, neque nocere possit creditoribus mariti, quibus ipse maritus uel bona sua fuerint primitus obligata, quia talis confessio mariti pręsumenda est, quod facta fuerit in fraudem et[2] pręiuditium creditorum; saluo et reseruato uxori omni iure suo, quod posset ostendere se habere in bonis et super bonis sui[3] mariti per suum primum et uerum instrumentum dotale, quod fuit confectum tempore contracti matrimonij inter eos.

CAP. LI. DE HIS, QUE POSSIDENTUR PER UXOREM CONSTANTE MATRIMONIO.

Item statutum et ordinatum est, quod constante matrimonio, quidquid uxor tenet et possidet, pręsumitur esse de bonis sui mariti, nisi uxor manifeste probauerit, res ipsas ad se iure aliquo pertinere.

CAP. LII. DE INSTRUMENTIS UENDITIONIS, DANDIS EMPTORI COPIANDIS[4].

Item statutum et ordinatum est, quod si uenditor uendiderit aliquam rem et habeat instrumenta facienda[5] ad defensionem ipsius rei uenditę, quod ipse compellatur de ipsis instrumentis facere et dare copiam emptori ad expensas ipsius emptoris.

CAP. LIII. SI EMPTORI MOUETUR QUESTIO, ANTE QUAM SOLUAT PRECIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis uendiderit aliquam rem[6] alicui et ante solutionem pręcij de ipsa re ipsi emptori quęstio moueatur, quod ipse emptor non teneatur[7] soluere pręcium uenditori, nisi ipse uenditor det et pręstet ipsi emptori bonos et ydoneos defensores et fideiussores pro excalumniatione[8] et defensione ipsius rei uenditę.

CAP. LIV. DE CONFESSIONE FACTA DE REBUS PERCEPTIS[9].

Item statutum et ordinatum est, quod si quis fuerit confessus in iuditio, se furtum uel rapinam fecisse alicui de aliquibus rebus, seu sibi aliquod abstulisse, siue in iuditio ciuili, siue in iuditio criminali, quod cogatur ad restitutionem eorum, quę confessus

[1] Verba: „et ualeat“ usque ad „tantum“ desunt ap. Ljub. [2] ibid.: „uel“. [3] ibid: „„ipsius“. [4] Sub hac inscriptione continetur in cap. LII. ap. Ljub. tenor capituli in nostra editione LIII; sententiae quoque praesentis capituli in scriptionem: „Si emptori mouetur“ etc. uti tenor cap. LIII. sequuntur. [5] ibid.: „facientia“. [6] Apposiumus, quamquam deest in cod. acad. A et B et simil. ap. Ljub. [7] ibid.: „compellatur“. [8] Cod. acad. B: „excalumpniaticne“. [9] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „acceptis“.

fuerit accepisse, uel ad eorum extimationem condignam. Et si mortuus fuerit ille, qui prędictam confessionem fecit, et[1] heredes eius et bona ipsius defuncti ad dictam satisfactionem remaneant obligati.

CAP. LV. DE IJS, QUI UENDERE UEL DARE PROMITTUNT BLADUM UEL MUSTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis promittit[2] dare alicui certam quantitatem uini de tali uinea, uel tantam quantitatem grani, uel alterius bladi de tali terra pro certo pręcio inter eos conuento, et propter grandinem uel aliam tempestatem in dicta uinea uel terra non erit tanta quantitas uini uel bladi, quod talis promissor ab eo, quod facere non[3] potest de eo, quod promisit, sit liberatus et absolutus. Si tamen emptor uoluerit, cogatur uenditor dare emptori pro rata parte pręcij illud uinum, quod fuerit in dicta uinea, uel illud bladum, quod fuerit in dicta terra. Et si[4] uenditor pręcium totum receperit, residuum pręcij emptori restituere teneatur.

CAP. LVI. DE OCCUPANTIBUS INIUSTE POSSESSIONES ALIENAS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis auctoritate sua propria et sine licentia et auctoritate curię offitialium communis Spalati, seu per uiolentiam inuadit uel occupat[5] alienam possessionem, uel post motam alicui litem et quęstionem de aliqua domo, uel possessione aliquis eam emit[6], uel alio modo in se transferat[7] post denuntiationem, uel protestationem alicui factam, ne ipsam rem emat uel alio modo in se transferrat, quia ipsa res est alterius, et ipse spreta protestatione et denuntiatione prędicta ipsam rem emit, uel alio modo in se transferet[8]: quia in istis casibus pręsumendus est malę fidei possessor et potius inuasor uel uiolentus occupator, si postea in iuditio a domino dictę rei, uel ab eo, qui ius habeat in dicta re, legitime conuincatur, non solum condemnetur[9] ad restitutionem dictę rei, sed etiam condemnetur[10] ad restitutionem omnium fructuum per eum perceptorum, et qui communiter percipi potuerunt de terratico ipsius possessionis, uel de contura seu possessione dictę domus.

---

[1] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „promiserit". [3] Deest ibid. [4] Deest in cod. acad. A. [5] Ap. Ljub.: „inuaserit seu occupauerit". [6] ibid.: „emerit". [7] ibid.: „transtulerit". [8] ibid.: „emerit" .... „transtulerit". [9] Cod. acad. B: „condempnetur". [10] ibid. e. m.

Et si prędicti temerarij occupatores et inuasores alienarum possessionum in ipsa re aliquid plantauerint, seminauerint uel hedificauerint, totum perdant et cedant ei, cui ipsa res per sententiam fuerit adiudicata; ita tamen, quod si aliquis faceret protestationem alicui, quod rem aliquam non emat, uel alio modo non in se transferat, tunc in isto casu teneatur in iuditio infra xv dies, numerandos a die factę protestationis ostendere et probare de suo iure, quod dicit se habere in re prędicta. Et si[1] infra prędictum terminum non probauerit cum effectu de iure suo, tunc dicta protestatio nullius ualoris sit et perinde habeatur, ac si dicta protestatio facta non esset.

Si uero aliquis emit aliquam rem stabilem uel aliquo iusto titulo in se transferret, in isto casu propter bonam fidem ipsius, si a uero domino postea conuincatur, uel ab eo, qui ius haberet in ipsa re, licet condemnetur[2] ad restitutionem rei, tamen ad fructus restituendos, uel conturam, seu ad possessionem non debeat condemnari, quia de iure possessor bonę fidei facit fructus suos. Et si aliquod opus ibi faceret, restitui sibi debeat operis satisfactio, ne de sua bona fide et iusto titulo damnum[3] ualeat reportare.

CAP. LVII. DE DISCORDIA NATA INTER MARITUM ET UXOREM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua discordia nata fuerit inter maritum et uxorem, propter quam uxor recesserit de domo habitationis sui mariti, uel maritus eam expulerit; si per alterum eorum quęrela facta fuerit coram potestate et rectore, uel offitialibus ciuitatis Spalati, talis ordo seruetur; uidelicet[4], quod si maritus cum manibus, uel alias leuiter castigauerit uel uerberauerit suam uxorem, tunc iurabit maritus corporaliter ad sancta dei euangelia, quod uxorem suam non lędet grauiter, nec crudeliter offendet, sed tractabit[5] eam benigne, sicut bonus maritus debet facere de uxore[6]; et postea reaccipiet[7] uxorem suam. Si uero maritus eam percusserit fortiter cum baculo uel armis, tunc dictum sacramentum similiter pręstabit et etiam dabit bonos et ydoneos fideiussores de non sęuiendo, nec grauiter offendendo ultra modum maritalem uxorem suam. Et ad prędicta obseruanda maritus per pęnas et banna[8] efficaciter compellatur.

---

[1] Deest in cod. acad. A. [2] Cod. acad. B: „condempnetur". [3] ibid.: „dampnum". [4] Deest ap. Ljub. [5] ibid.: „et tenebit". [6] „debet — uxore" deest ibid. [7] ibid.: reaccipiat". [8] Cod. acad B: „banda".

Si uero tanta esset seuitia et crudelitas mariti, quod nullo modo uxor eius posset conuersari et habitare cum eo sine periculo personę, tunc uxor neque per iuramentum mariti, neque per fideiusores compellatur redire ad maritum, sed ipsa uxor recommendetur et sequestretur et permaneat cum aliqua bona et fideli et legali persona sine suspitione, donec deus omnipotens inter eos pacem et concordiam prępparabit, dum tamen per conuicinos uel alios uidentes probetur, quod maritus dictas crudelitates exerceat circa eam; et tam per iuditia, quam per famam uicinorum diligenter inuestigetur de prędictis.

Et si defectus reperitur ex parte mariti, tunc compellatur maritus secundum facultates suas dare et prestare alimenta uxori suę, donec dicta mulier steterit in sequestro; sed si defectus fuerit ex parte mulieris, tunc maritus ad prestandum sibi dicta alimenta nullatenus compellatur.

CAP. LVIII. DE CITATIS, QUI SUNT IN SERUITIO COMMUNIS SPALATI[1].

Item statutum et ordinatum est, quod si citetur[2] ad iuditium, siue in causa ciuili, siue in causa[3] criminali et citatus sit in aliqua ambassiata[4], uel seruitio communis Spalati de mandato potestatis uel rectoris dictę ciuitatis; nullus processus possit fieri contra eum, donec reuertatur de ambassiata[5] uel seruitio dicti communis. Et si processus aliquis interim fieret contra eum, non ualeat ipso iure, non obstante statuto, quod loquitur, quod processus criminalis infra certum terminum debeat terminari.

CAP. LIX. SI ADUOCATUS SIT ABSENS IN SERUITIO COMMUNIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis habet aliquem aduocatum curię in aliqua causa ciuili et dictus eius aduocatus se absentaret interim in ambassiata[6] uel seruitio communis Spalati, ut est dictum, tunc dicta causa ciuilis debeat suspendi et differri usque ad reditum dicti aduocati de dicta ambassiata[7].

Sed si dictus aduocatus causa pendente infirmaretur, tunc propter infirmitatem aduocati causa ciuilis debeat differri et suspendi, usque ad decem dies ad[8] plus. Et si infra dictos decem dies aduocatus non liberaretur de dicta infirmitate, tunc ab inde[9] in antea procedatur

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid.: „aliquis citatur". [3] Deest ibid. [4] Cod. acad. B: „ambasciata". [5] ibid. e. m. [6] ibid.: e. m. [7] ibid. e. m. [8] Ap. Ljub.: „et".

in causa et pars accipiat alium aduocatum, si uult, ita quod propter infirmitatem aduocati causa ciuilis ultra dictos decem dies non ualeat prolongari.

CAP. LX. DE NUNTIO, QUI NON DAT ID, QUOD SIBI ASSIGNATUR AD DANDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis mittit per aliquem alicui personę aliquam pecunię quantitatem, uel alias res, et iste, qui recipit, non assignat, nec dat eas illi personę, cui debet assignare siue in totum[1], siue in parte, quod de furto possit[2] agi ciuiliter et criminaliter contra eum.

CAP. LXI. DE MULIERE, QUE ASTRINGIT[3] SE AD SERUIENDUM ALICUI ET[4] CAPIT MARITUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua mulier carens marito, promisit stare cum aliquo ad seruiendum alicui ad pactum ut famula pactualis, uel seruiens pro certo tempore; et medio tempore capit[5] maritum, quod pro residuo tempore computando ab eo die, quo cepit maritum a dicta promissione dicta mulier liberetur.

CAP. LXII. QUANDO UENDITOR HABEAT IUS IN REM, QUAM UENDIT.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis uendit alicui aliquam rem, quod donec sibi soluatur[6] totum pręcium, ipse uenditor habeat potius ius in dicta re, plus[7] quam habeant alij[8] creditores emptoris, quousque sit ipsi uenditori de toto pręcio integraliter satisfactum.

CAP. LXIII. DE TENUTA ACCEPTA PER CREDITOREM ET NON SIT SIBI IN TOTUM SATISFACTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si creditor auctoritate curię acceperit tenutam de bonis debitoris sui, licet debitor de maiori parte debiti satisfecerit, tamen licitum sit creditori pro residuo dicti debiti uendere dictam tenutam secundum formam statuti[9] ciuitatis Spalati.

---

[1] Ap. Ljub.: „totum". [2] Sic. ap. Ljub. et cod. acad. B. Cod. acad A: „tum possit". [3] Ap. Ljub.: „adstrigit". [4] ibid.: „postea". [5] Cod. acad. B et ap. Ljub: „capiat". [6] Cod. acad. A et B: „soluat". [7] Deest in cod. acad. A. [8] Ap. Ljub.: „dicti". [9] ibid.: „statutorum".

CAP. LXIV. DE FILIJS ALIMENTANDIS A PATRE UEL MATRE.

Item statutum et ordinatum est, quod si discordia nata fuerit inter uirum et uxorem, tunc filius uel filia minor tribus annis debeant alimentari pęnes matrem ad expensas mariti, prouidendas per potestatem et[1] rectorem offitialesque[2] ciuitatis Spalati. Maior uero filius aut filia tribus annis alimentari debeat pęnes patrem.

CAP. LXV. DE DIUISIONE, QUE FIT INTER FILIOS PER PATREM, UEL MATREM.

Item statutum et ordinatum est, quod si pater de bonis suis, uel mater de bonis suis siue in uita, siue in morte fecerit diuisionem bonorum inter filios suos, quod illa diuisio sit et esse debeat rata et firma in perpetuum, dum tamen pater uel mater non defraudent sine iusta causa filios suos falcidia, siue legitima debita iuris naturę, ut in alijs superioribus statutis plenius est expressum.

CAP. LXVI. DE DEBITORIBUS DEBITORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis debitor, uel si qua debitrix alicuius fuerit[3] et res corporales non possideret, ex quibus posset satisfieri suis creditoribus, sed tantum habeat alios debitores ex aliqua causa, uel ratione obligatos: uolumus per rectorem huius ciuitatis ipsos debitores compelli ad satisfaciendum creditoribus debitorum non possidentium res corporales, de quorum debitis et nominibus rector de suo officio ueritatem inquirat tam per pręstationem sacramenti prędictorum debitorum, quam alio quocumque modo[4] sibi uidebitur ad ipsam ueritatem exquirendam. Pręterea ipsorum debitorum facta satisfactione, ut dictum est, rector faciat fieri quietationem de dictis debitis solutis debitoribus ipsis et satisfactionibus tam primis, quam secundis inter se, sicut ordo iuris expostulat et requirit.

CAP. LXVII. QUOD FILIUS FAMILIAS POTEST ESSE PROCURATOR, TUTOR, UEL CURATOR.

Item statutum et ordinatum est, quod filius familias maior XXV annis ad iuditia[5] possit esse procurator, syndicus, tutor uel curator

---

[1] Ap. Ljub.: „per“. [2] ibid.: „uel per offitiales“. [3] ibid.: „si quis, uel aliqua persona fuerit debitor, uel debitrix alicuius“. [4] ibid.: „quo“. [5] ibid.: „iuditium“.

etiam sine consensu patris sui et ualeat et teneat, quod fit[1] per eum in prędictis[2] casibus, ac si interuenerit consensus legitimus patris sui.

Minor autem xxv annis non possit esse ad iudicia procurator, syndicus, tutor, uel curator alicuius et quod per ipsum fieret, nullam obtineat firmitatem. Ad negocia uero maior annis xiiij possit legitime constitui procurator.

CAP. LXVIII. DE TUTORIBUS ET CURATORIBUS HABENDIS[3].

Item statutum et ordinatum est, quod pupilli, scilicet masculi minores xiiij annis et fęminę minores xij annis in eorum causis[4] debeant habere tutores et completa dicta ętate usque ad xxv annos debeant habere curatores, cum quibus eorum causę in iuditio debeant agitari, saluo, quod si mulier maior xiiij annis et masculus maior xviij annis uelint aliquem tractatum facere per se sine tutore, uel curatore, uel esse in iuditio sine tutore uel curatore, iurent corporaliter ad sancta dei euangelia, se habituros ratum et firmum, quodquod fit[5] per eos; tunc id, quod per eos fit, prędstito dicto sacramento ualeat et teneat etiam sine consensu tutoris uel curatoris; in quo casu uolumus addere maius tempus, quam a iure communi fuerit ordinatum; saluo quod in causa matrimoniali et in constitutione dotis et pactorum dotalium sufficiat tempus a canonibus[6] diffinitum, scilicet xij annorum in fęmina et xiiij annorum in masculo, quia in causis[7] specialibus[8] non dedignantur leges sacros canones inmitari. Et quod in matrimonio obseruatur ratione ętatis, multo fortius in dote et pactis dotalibus, quę sunt accessoria matrimonio, ualere debent et firmiter obseruari.

CAP. LXIX. DE FORMA CONSTITUENDI TUTOREM UEL CURATOREM[9].

Item statutum et ordinatum est, quod in constitutione tutoris et curatoris pupillorum atque adultorum, furiosorum, mentecaptorum, surdorum et mutorum et eorum, qui impedirentur in infirmitate perpetua, talis forma debeat obseruari; uidelicet, quod de sero pro mane sequenti[10] debeant citari per riuarium dicti communis eorum

---

[1] Deest in cod. acad. A. [2] Ap. Ljub.: „dictis". [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Ap. Ljub.: „casibus". [5] ibid.: „fiet". [6] ibid: „in iuribus canonicis". [7] ibid.: „casibus". [8] ibid.: „spiritualibus". [9] ibid: „tutores uel curatores". [10] Deest in cod. acad. A et B.

consanguinei ex parte patris et matris illius, cui debet constitui tutor uel curator, illi scilicet, qui habitant in ciuitate Spalati; quibus citatis, si superest pater[1], mater, auus uel auia, uel alij de ascendentibus, ipsi dentur tutores uel curatores, si eam curam uel tutelam[2] acceptare uoluerint, si sunt maiores xxv annis, quia nullus minor possit esse tutor uel curator alicuius: saluo, quod si mater uel auia transiuerit uel transire uoluerit ad secunda uota[3], eis non detur tutela uel cura, sed detur ipsa tutela uel cura proximioribus ex parte patris uel matris, si sint ydonei; et si ipsi nolent suscipere ipsam tutelam uel curam, compellantur ad ipsam suscipiendam per potestatem uel suam curiam realiter et personaliter per pęnas et banna, prout eis uidebitur conuenire.

Qui tutores et curatores teneantur dare fideiussores ydoneos in omnem casum et administrationem dictę tutelę et curę fideliter et legaliter faciendo et teneantur facere inuentarium de omnibus bonis et iuribus illorum, quorum sunt tutores uel curatores, ad hoc, ut bona ipsa non possint baratari; et tenentur corporaliter iurare ad sancta dei euangelia coram ipso domino potestate et sua curia, dictam tutelam uel curam facere et exercere bona fide, sine fraude et quęcumque uiderint et cognouerint esse necessaria et utilia illis, quorum tutelam uel curam administrant, facere et exercere[4], et inutilia prętermittere; eo semper saluo, quod uti ualeant ueritate. Et[5] dictum inuentarium per aliquem bonum notarium de bonis eorum faciant, antequam incipiant administrare ipsam tutelam uel curam; et finita tutela uel cura de administratione ipsorum debeant reddere debitam rationem cum reliquorum et residuorum restitutione Et postea potestas et sua curia ipsi constitutioni tutoris uel curatoris suam et communis dictę ciuitatis auctoritatem interponant et decretum, prout iuris ordo expostulat et requirit.

CAP. LXX. DE BONIS STABILIBUS PUPILLORUM ET ALIARUM QUARUMLIBET PERSONARUM NON ALIENANDIS.

Item statutum est et ordinatum, quod bona stabilia pupillorum, furiosorum, mente captorum, surdorum et mutorum non possint pignorari et alienari sine consensu et auctoritate tutoris uel curatoris eorum et sine auctoritate et decreto potestatis Spalati, uel

---

[1] Deest ap. Ljub, [2] Deest in cod. acad. A et B. [3] Ap. Ljub.: „tunc". [4] Cod. acad. B. „exhercere". [5] Cod. acad. A et B: „ut".

suę curię dicti communis; ad hoc, quod ipsa bona pignorentur uel alienentur pro utilitate uel necessitate dictorum pupillorum, furiosorum, mente captorum, surdorum et mutorum. Et si aliter ipsa bona[1] pignorentur, alienentur, uel aliquo titulo in alium transferrentur, non teneat nec ualeat ipso iure.

CAP. LXXI. QUOD PATER NON POSSIT ALIENARE BONA FILIORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod pater non possit alienare bona et proprietates bonorum stabilium, quę pertinent ad filios suos ex hereditate matris, uel aliorum consanguineorum, uel quacumque de causa ipsi filij haberent bona stabilia, sine expresso consensu filiorum suorum; dum tamen filius, qui consentiret alienationi, sit maior decem et octo annis. Et si[2] filius esset minor xviij annis, nullo modo teneat confessio eius in dicta alienatione, etiam si iuramentum ad hoc pręstaret: sed si esset maior xviij annis et consentiat ipsę alienationi, contractus ualeat et teneat in ęternum.

Similiter in matre de bonis paternis idem statuimus et censemus.

CAP. LXXII. DE DOTIBUS ET BONIS MULIERUM NON ALIENANDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod constante matrimonio dotes et bona stabilia mulierum nullo modo possint alienari per maritum, neque per uxorem, neque per utrumque, etiam si utriusque interuenerit iuramentum, quia publicum utile est[3], ne mulieres remaneant indotatę, et si deuenerint in paupertatem, leuiter in anima et in corpore possent incurere periculum et peccatum.

Similiter etiam statuimus et ordinamus, quod uxor pro marito non possit se obligare, nec bona sua, nec possit fideiubere pro marito, nec pro aliqua persona, etiam[4] si interueniat iuramentum mulieris; et si contrafieret[5], ipso iure non ualeat[6], sub quacumque forma fieret contractus uel etiam obligatio; cum iniustum sit, quod mulieres pro alienis negotijs se debeant obligare, quia propter fragilitatem naturę mulierum ipsę mulieres cito propter alienas obligationes ad miseriam et paupertatem faciliter peruenirent.

Exceptis casibus infrascriptis, in quibus mulier possit alienare

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „publicę utilitatis est". [4] Ap. Ljub.: „et". [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „et si quę fierent". [6] ibid.: „ualeant".

*

et obligare dotem suam et alia bona sua; uidelicet propter necessitatem famis pro alimentis suis et mariti et filiorum suorum, si aliunde non possent habere alimenta. Item si maritus, uel aliquis ex filijs suis, uel nepotibus, quos haberent ex linea descendente[1] essent in captiuitate hostium, tunc redemtione et liberatione ipsorum possint alienari et obligari bona mulierum, si maritus, uel captiui non haberent aliqua, de quibus posset fieri redemtio talium captiuorum. Item si maritus uel[2] eius filij, uel aliqui ex linea descendente[3] ipsius essent in quacumque curia, uel in quocumque[4] foro propter maleficium aliquod detenti, quibus immineret periculum personę, uel perditionis alicuius membri; et pater uel auus detenti, uel ipse detentus non haberet aliqua bona, quę[5] possent liberare et redimere dictum captiuum de captiuitate et carcere, tunc in dicto casu possint alienari et obligari bona mulieris. Simi liter si aliqua mulier haberet filias fęminas, quę non possent maritari a patre, auo, uel ab alijs suis ascendentibus, ad quos pertineret[6] ipsas puellas maritare et propter eorum paupertatem ipsas maritare et dotare non possent, tunc in prędicto casu licitum sit mulieri, obligare et alienare de bonis suis. Similiter etiam, si maritus uellet alienare de bonis stabilibus uxoris suę, quod liceat tam marito, quam uxori, tam inter se, quam etiam inter alios permutationem, alienationem, uel concambium facere de bonis eorum et cuiusque[7] ipsorum, quę habent et possident tam intra territorium ciuitatis Spalati, quam extra, dummodo prędicta cedant ad commodum mulieris, uel dummodo ipse maritus det ipsi suę uxori in concambium dictarum rerum uxoris tantum de bonis suis stabilibus, quantum ipse maritus uere habet, tenet et possidet in ciuitate, uel districtu Spalati, quod bene ualeat et sufficiat tantum et plus, quam ualent bona dictę mulieris, quę alienantur a marito.

Et hoc fiat pure[8], libere et expedite, uel absolute, ut nulla fraus et deceptio posset fieri mulieri, dum tamen[9] ipsa obligatio uel alienatio bonorum mulieris in omnibus et singulis casibus supradictis, in quibus sibi permittitur obligare et alienare bona sua per pręsens statutum, fiat cum consensu et auctoritate potestatis Spalati,

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „descendentes". [2] Ap. Ljub.: „et". [3] Vide adn. 1) [4] „in quocumque" deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „propter quę". [6] Ap. Ljub.: „pertinet". [7] ibid.: „cujuscumque". [8] ibid. „pręcise". [9] ibid.: „dum modo".

uel suę curię dicti communis ad hoc, ut ipsa mulier non possit decipi contra ueritatem, nec possit fieri obligatio uel alienatio bonorum suorum, nisi re uera seu ex uera causa fuerit oportunum in casibus supradictis.

Quod quidem statutum locum habeat pro tempore futuro et pro contractis in instrumentis futuris faciendis post duos menses post publicationem et confirmationem pręsentium statutorum, ut possint peruenire ad notitiam omnium ciuium ciuitatis Spalati.

Sed super instrumentis et contractibus olim factis, in quibus mulieres se obligauerunt, pręsens statutum in nullo pręiudicet illis, quibus mulieres sunt obligatę; sed instrumenta et contractus olim facti suam obtineant firmitatem, ita quod per pręsentia statuta eis nullatenus derogetur.

CAP. LXXIII. DE COLLEGANTIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis receperit pecuniam in collegantiam, uel in societatem et ille, qui receperit pecuniam, naufragium passus fuerit et pecuniam uel res collegantię naufragio perdiderit, aut fuerit a latronibus derobatus, aut merces ex ipsa pecunia emptę impulsione ignis consumptę fuerint et combustę et hoc probetur uere et legitime per testes ydoneos, uel alias legitime comprobetur; de pecunia et rebus taliter ammissis ipse debitor nullatenus teneatur, ita quod damnum[1] et lucrum in societate, quod accideret[2], pro rata parte fiat.

CAP. LXXIV. DE PRESCRIPTIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis Spalatinus possiderit[3] aliquam rem stabilem uel immobilem pacifice et quiete cum aliquo iusto titulo, ut puta emptionis, donationis, permutationis, uel aliquo alio iusto titulo, pro se et sua inter se[4] et suos auctores et antecessores per xx^{ti} annos continuos, sit tutus legitima pręscriptione, ita quod a nullo possit postea molestari uel inquietari, nec alicui respondere cogatur super dicta possessione. Si uero aliquis possiderit[5] aliquam rem stabilem uel immobilem pro se et sua pacifice et quiete inter se et suos auctores et antecessores continue per xxx^{ta} annos, sit tutus legitima pręscriptione,

---

[1] Cod. acad. B: „dampnum". [2] Ap. Ljub.: „damn. et lucr. quod in societatem accideret". [3] ibid.: „possederit". [4] ibid: „suo interesse". [5] Cod acad A et ap. Ljub.: „possederit".

et si[1] sine aliquo titulo ipsam rem possiderit[2], a nullo possit inquietari, uel molestari, nec alicui respondere cogatur supra dicta possessione: eo saluo, si res essent communes inter fratres, parentes, consanguineos, amicos, socios, uel consortes, quod dicta prescriptio in iure ipsorum, uel alicuius eorum non possit eis aliquod preiuditium generare.

CAP. LXXV. DE COMMODATO ET DEPOSITO.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis commodauerit, uel disposuerit alicui aliquam rem et[3] in termino inter eos assignato ipsam rem commodanti, uel deponenti ille, qui eam receperit, reassignare et restituere uoluerit,sibi eam reassignando in ea bonitate, qua erat tempore facti depositi, uel commodati: et commodator et deponens eam recipere noluerit et postea res ipsa perierit, uel deuastata fuerit, tunc periculum et damnum[4] ipsius rei sit et[5] commodantis uel etiam deponentis.

CAP. LXXVI. DE CONFESSIONE UENDITORIS POST UENDITIONEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis uendiderit aliquam rem alicui et de uenditione appareat publicum instrumentum; quod si uenditor postea aliquid dicat, uel confiteatur in iuditio, uel extra iuditium contra emptorem de dicta re uendita, uel de eo, quod potest ad dictam rem uenditam pertinere; quod tale dictum et confessio ipsius uenditoris dicto emptori uel suis heredibus aut successoribus nullum preiuditium debeat generare.

CAP. LXXVII. DE CESSIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si per aliquem forensem fiat aliqua cessio alicuius iuris, uel actionis alicui ciui Spalati contra alium ciuem, quod talis cessio non ualeat, nec teneat ullo modo, quia non est conueniens, quod ciues Spalati contra suos uicinos a forensibus redimant actiones. Si uero cessio fiat a ciue Spalati in alium ciuem, aut quod concedat sibi ius, roborem uel uigorem alicuius iuris, uel alicuius publici instrumenti, ualeat ipsa cessio; sed si ipsa cessio fiat de aliqua re litigiosa, de qua sit[6]

---

[1] Cod. acad. B et ap Ljub.: „etiamsi". [1] Ap. Ljub.: „possederit". [3] Deest in cod. acad. A. [4] Cod. acad. B: „dampnum". [5] Deest ap. Ljub. [6] Deest in cod. acad. A.

in iuditio aliqua quęstio incoata per petitionem, uolumus, quod talis cessio non ualeat.

CAP. LXXVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ciuis Spalatensis cedat aliquod ius, quod haberet ex quacumque causa uel titulo alicui forensi, uel uniuersitati, uel speciali personę contra communę, uel contra aliquas personas speciales ciuitatis Spalati, uel de suo districtu. Et si quis contra fecerit, puniatur in duplum illius quantitatis, de qua cessionem fecerit, quę pęna, uel bannum applicetur communi Spalati et talis cessio non ualeat ipso iure.

CAP. LXXIX. DE ARBITRIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqui arbitri, uel arbitratores, aut amicabiles compositores, electi a partibus, receperint compromissum, aut fuerint pręsentes ipsi compromisso et non contra dixerint, quod pręcise compellantur[1] ad finiendum et determinandum ipsas quęstiones inter eos compromissas; et omne laudum et arbitrium eorum, uel amicabilis compositio de his, quę sunt in compromisso redacta, ualeat et teneat et executioni mandetur.

Et si duo essent arbitri, uel arbitratores et non concordarent in determinando quęstionem, tunc partes compellantur ad assumendum tercium; et si eligendo tercium non concordauerint, potestas et rector ciuitatis ponat tercium.

Et quicquid per duos ex dictis tribus arbitris, uel arbitratoribus, uel per maiorem partem arbitrorum, uel arbitratorum factum fuerit, plenam obtineat firmitatem; ut si unus sententiauerit de decem et duo de xx^ti^, tunc xx^ti^ teneant, prout per duos extiterit diffinitum, iure aliquo non obstante. Et si tres essent et unus sententiaret de decem, alter dę uiginti et tercius de xxx^ta^, sententia medij, scilicet qui sententiauerit de xx^ti^, ualeat ex auctoritate pręsentis statuti, licet forte de iure stricto aliter dici posset; sed hic uia media eligatur, dummodo ipsum laudum, uel arbitrium feratur pręsentibus omnibus, in quos extitit compromissum.

Et ipsum laudum uel arbitrium fieri possit diebus feriatis[2], etiam si ferię introductę essent ad honorem dei, et dummodo arbitrium

---

[2] Cod. acad. A: „compleantur". [1] „et non feriatis" deest ap. Ljub.

feratur partibus pręsentibus uel citatis, nisi in compromisso dicatur, quod partibus pręsentibus, uel absentibus fieri possit.

CAP. LXXX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quęstio sit a decem libris supra et partes uelint de ea compromittere, quod debeat de hoc per scripturam notarij fieri instrumentum et[1] compromissum. Et laudum, uel arbitrium similiter fieri debeat per scripturam notarij, alias id, quod fit, non ualeat ipso iure.

De minori uero qnantitate prędicta fieri ualeant sine scripturis.

CAP. LXXXI. DE SUBPIGNORATIONIBUS BONORUM STABILIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis pignoraret alicui aliquam domum, uel aliquam terram, uel uineam pro aliquo debito, quod ille, qui recipit tale pignus, debeat excomputare sibi in sortem, quicquid commode possit recipere de comptura[2] domus, uel de fructibus, quos perciperet, quia istę expensę debent extrahi ante omnia et quod sibi remanet, uel remanere potest communiter de comptura[3] domus, uel de dictis fructibus in sortem, computare teneatur ad hoc, ut non incurrat peccatum[4] usurę.

CAP. LXXXII. DE FIDEIUSSORIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ciuis Spalatensis possit esse fideiussor pro aliquo forense in causa ciuili et criminali, nisi dictus ciuis Spalatensis[5] haberet tantum de bonis dicti forensis, quod sufficeret ad quantitatem, pro qua petitur fideiussio, et si confiteatur se tantum habere penes se de bonis dicti forensis, quod sufficiat fideiussionem, uel promissionem, recipiatur eius promissio, uel fideiussio tam in causa ciuili, quam in criminali et hoc scribatur in actis per notarium, qui recipit eius fideiussionem, uel obligationem, quod dictus ciuis Spalatinus confitetur tantum habere penes se de bonis dicti forensis, quod bene sufficit ad obligationem uel promissionem prędictam; quia satis esset[6] iniustum, si aliquis forensis conueniretur in ciuitate Spalati ciuiliter uel criminaliter

---

[1] „Instrumentum et“ deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „contura“. [3] ibid. s. m. [4] ibid: „pęnam“. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub: „Spalatinus“. [6] Ap. Ljub.: „est“.

et haberet in bonis suis, de quibus posset satisfacere petenti, si non inuenerit fideiussorem uel defensorem in ciuitate prędicta et oporteret eum in carceribus[1] detineri.

CAP. LXXXIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod filius familias[2], qui est in potestate patris, in causa ciuili uel criminali non recipiatur in fideiussorem; et curia quando in causa criminali recipit[3] fideiussores, exquirat diligenter, si fideiussor habet patrem nec ne: et si habet patrem, non recipiat eum in fideiussorem, nisi ostendat instrumentum emancipationis; et si interrogaretur ab offitialibus curię, si haberet patrem nec ne, et negaret, se habere patrem, et in rei ueritate patrem haberet, condemnetur[4], tamquam falsarius in xxv. librarum Venetorum paruorum sine aliqua remissione.

CAP. LXXXIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis fideiussor recipiatur in causa criminali, si repręsentauerit[5] principalem, pro quo fideiussit personaliter coram potestate et sua curia et eum miserit in uim uel forciam[6] domini potestatis et suę curię, sit liberatus et absolutus ab ipsa fideiussione, si repręsentauerit[7] post condemnationem[8] factam de illo, pro quo extitit fideiussor.

CAP. LXXXV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod minor xviij annis, ac fęmina in causa ciuili non recipiantur in fideiusores et si recipirentur, eorum fideiussio non ualeat ipso iure.

CAP. LXXXVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si plures sunt fideiussores in solidum obligati siue in causa ciuili, siue in causa criminali, nullus eorum possit conueniri, uel constringi ad soluendum, nisi pro rata parte; saluo, quod si aliquis fideiussor esset pauper et non habilis[9] in soluendo, tunc alius, uel alij possint in solidum con-

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „carcere". [2] Deest ap. Ljub. [3] ibid.: „recipiuntur". [4] Cod. acad. B: „condempnetur". [5] Ap. Ljub.: „pręsentauerit". [6] „uel forciam" deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [7] cf. adn. 5) [8] Cod. acad. B: „condempnationem". [9] Cod. acad. B et ap. Ljub: „esset".

stringi ad satisfaciendum in totum et in solidum totum id, pro quo promissio, uel obligatio facta esset.

CAP. LXXXVII. DE EODEM

Item statutum et ordinatum est, quod si principalis, uel fideiussor non solueret id, pro quo fideiussio uel obligatio facta esset, tunc fideiussor realiter et personaliter compellatur ad satisfactionem eius, pro quo fideiussio, obligatio, uel promissio facta esset.

CAP. LXXXVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis fideiussor in causa ciuili, uel criminali soluit aliquam pecunię quantitatem pro illo, pro quo fideiussit, tunc ad petitionem fideiussoris soluentis potestas et rector dictę ciuitatis et eius curia teneantur principalem facere capi et personaliter detineri, donec satisfaciat fideiussori de pecunia, quam soluit pro eo et de expensis legitimis.

CAP. LXXXIX. DE PACTUALIBUS RECEDENTIBUS A SERUITIO DOMINI.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis pactualis, seu famulus[1] masculus, uel fęmina promiserit alicui stare ad seruiendum pro aliquo certo[2] tempore, de quo appareat publicum instrumentum, uel per bonos testes, et ipse famulus uel pactualis ante terminum discesserit de seruitio domini seu patroni sui; quod licitum sit ipsi domino, uel patrono suo, ipsum, uel ipsam impune ad suum seruitium ducere; et si eum uerberauerit, non puniatur, dummodo non uerbauerit cum armis et effusione sanguinis, nec cum membri debilitate: saluo quod uxor sine consensu mariti sui non possit promittere et se obligare ad standum et ad seruiendum alicui sine uiro, quum talis promissio esset contra deum et contra canonicas sanctiones: cum uxores a uiris non debeant separari[3]; et etiam a tali promissione uxor nullatenus obligetur.

CAP. XC. DE COMMODATIONE EQUI, UEL BARCHELI LOCATIONE[4].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis commodauerit, uel locauerit alicui aliquem suum equum, roncinum, uel aliud animal,

---

[1] „seu famulus“ deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „et cetera“. [4] Ap. Ljub.: „De com. e. uel barchę, uel locatione.“

uel barcham ad eundum ad aliquem locum, uel ad faciendum aliquod opus, uel seruitium; et ille, qui recipit dictum equum, roncinum, uel aliud animal, diuertit ipsum ad alium locum, uel ad aliud opus, et equus, roncinus, uel aliud animal, uel barcha perierit, uel deteriorata fuerit, totum periculum sit illius, qui recipit dictum equum, roncinum, uel aliud animal: tam periculum barchę et bestię, quam etiam ligaturę[1] uel conturę; saluo si per fortunam maris, uel aliquod iustum impedimentum interuenerit in prędictis.

CAP. XCI. DE NOUI OPERIS NUNTIATIONE[2].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis faciat aliquod nouum opus et uicinus suus credat, quod illud nouum opus fiat in sui prejuditium, quod ipse teneatur ire ad potestatem et rectorem et offitiales communis[3] Spalati et facere precipi et iuberi ipsi hedificanti, quod non debeat hedificare. Et tunc dictus hedificator, facta sibi prohibitione per curiam non possit hedificare; eo saluo, quod si hedificator uelit dare ydoneos fideiussores de destruendo et demoliendo quicquid hedificauerit; et si apparuerit eum iniuste hedificare, tunc recepta tali fideiussione licitum sit hedificatori facere et hedificare illud opus, quod facere uoluerit. Et tunc potestas et eius curia teneantur dare terminum octo dierum continuorum illi, qui hedificauerit, uel coquestus fuerit de hedificatione dicti noui operis ad probandum omnia iura propter quę dictum nouum opus fieri non possit de iure. Et si probat[4] de iure suo infra dictum terminum, audiatur et fiat sibi iusticia. Si uero non probaret[5] aliquid legitime propter quod dictum nouum opus deberet rationabiliter impediri, condemnetur[6] sine remissione communi Spalati in xl soldis et nihilominus refficiat ei, qui dictum nouum opus hedificabat, in ea quantitate, quę per potestatem et eius curiam fuerit declarata.

CAP. XCII. DE DOMIBUS RUINOSIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis haberet aliquam domum ruinosam et aliquis ex uicinis suis timeret, ne dicta domus ruinosa possit aliquod facere[8] periculum uel damnum[9] in rebus et

---

[1] Cod. acad. A: „logierę". [2] Cod. acad. B: „renuntiatione". [3] Ap. Ljub.: „ciuitatis". [4] ibid.: „probet". [5] ibid.: „probauerit". [6] Cod. acad. B: „condempnetur". [7] ibid.: „dampna". [8] Ap. Ljub.: „afferre". [9] Cod. acad. B: „dampnum".

personis uicinorum, tunc potestas et eius curia ad petitionem cuiuslibet uicini conquerentis teneatur mittere duos uel tres magistros ad uidendum oculata fide ipsam domum ruinosam. Et si dicti magistri muratores intellexerint et[1] retulerint, quod ipsa domus ruinosa possit affere aliquod periculum in personis uel rebus; ille cuius est dicta domus, in continenti sine aliqua tarditate in termino sibi prefigendo per potestatem et eius curiam cum consilio dictorum magistrorum teneatur ipsam[1] domum aptare, murare et taliter facere cum effectu, quod dicta[2] domus non possit alicui personę afferre periculum in personis, uel rebus. Et si infra dictum terminum non repararet, ut dictum est, potestas et eius curia, dicto termino elapso, teneatur uinculo sacramenti ipsam domum facere destrui, ita quod nulli personę possit afferre periculum in rebus eorum expensis domus.

CAP. XCIII. DE PARIETE COMMUNI, QUOD MURETUR.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqui haberent domus lapideas conuicinas et coniunctas, inter quas sit paries de lignamine, si aliqua pars eorum uult facere murum conuenientem in loco et circa locum, ubi erat dicta paries de lignamine, licitum sit sibi hoc facere dummodo requirat prius uicinum suum, si uult quod murus predictus fiat communibus expensis. Et si uicinus tunc non posset uel uolet contribuere expensas ad faciendum dictum murum, licitum sit illi, qui uult illum murum facere, ipsum murum hedificare suis expensis. Et dictus uicinus anno elapso a die hedificationis dicti muri compellatur per curiam realiter et personaliter ad contribuendum et dandum dicto uicino suo medietatem omnium expensarum quas fecerat in fabrica et hedificatione dicti muri; et ipse murus communis remaneat inter eos.

CAP. XCIV. DE RAMIS ARBORUM PENDENTIBUS SUPER TERRENO[4] ALIENO.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis habeat aliquam arborem in suo terreno cum rami pendeant super alieno terreno, tunc sit licitum illi, super cuius terreno pendent dicti rami uel percipere fructus dictorum ramorum pendentium super suo[5] terreno, uel si dictos fructus nolet habere, teneatur dominus arboris in

---

[1] „inellexerint et“ deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „dictam“. [3] ibid.: „talis“. [4] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [5] Ap. Ljub.: „dicto.

certum terminum sibi statuendum per potestatem et eius curiam incidere et incidi facere omnes ramos pendentes super terreno alieno.

Et si infra dictum terminum ipsos ramos pendentes non inciderit, licitum sit illi, super cuius territorio pendent dicti rami, ipsos ramos in sui utilitatem conuertere sine aliqua pęna uel banno.

Et si aliqua arbor haberet ramos pendentes super uiam publicam, tunc ad petitionem cuiuscumque potestas seu rector ciuitatis Spalati teneatur pręcipere illi, cuius est dicta arbor, quod dictos ramos pendentes super uiam publicam infra tercium diem debeat incidere; et si infra dictum terminum dictos ramos non inciderit, condemnetur[1] communi in xl^ta^ soldis, siue sit arbor fructifera, siue infructifera. Et nihilominus potestas et rector dictę ciuitatis dictos ramos pendentes super uiam publicam faciat incidi ad expensas illius, cuius est dicta arbor.

CAP. XCV. DE DIUISIONIBUS PONENDIS AD DIUIDENDUM COMMUNEM HEREDITATEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque fratres, socij uel consortes aliquam hereditatem communem haberent et ipsi non possent se concordare ad diuidendum ipsam hereditatem et bona, quę sunt communia inter eos, tunc potestas et eius curia, uel curia communis Spalati teneatur eis dare tres nobiles et fideles uiros non inimicos, neque suspectos ipsarum partium, qui ipsam hereditatem et bona communia inter eos fideliter diuidant. Et ipsorum diuisionem utraque pars firmam et ratam habere debeat et tenere[2]. Et potestas ciuitatis Spalati et rectores et offitiales dictę ciuitatis ipsam diuisionem faciant firmiter obseruare.

CAP. XCVI. DE ARRIS DATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si in ciuitate Spalati, uel suo districtu aliquod mercatum factum fuerit siue de possessionibus et rebus stabilibus, siue de mercimonijs, siue de alijs quibuscumquę rebus et sibi arrę datę fuerint in pręsentia duorum testium et uenditor ipsas arras receperit, siue fuerint datę in pecunia, siue in quibuscumque rebus alijs; dictum mercatum sit firmum et ratum. Et nec uenditor nec emptor possit dictum mercatum dimitere; et

---

[1] Cod. acad. B: „condempnetur". [2] „et tenere" deest ap. Ljub.

potestas ciuitatis Spalati et rectores et offitiales dictę ciuitatis teneantur uinculo sacramenti dictum mercatum facere obseruari et compleri et executioni mandari. Et si per alteram partium remaneat, quod dictum mercatum non posset executioni mandari: tunc ille, pro quo remanet, teneatur illi, qui uult obseruare mercatum et pactum satisfacere, de omnibus damnis[1], expensis et interesse, quę sustinet ille, qui uult dictum mercatum obseruare. Quę damna[2] et expensę et interesse debeant declarari et determinari per potestatem et suam curiam, uel rectorem aut offitiales communis Spalati, quia nihil tam contingit[3] fidei humanę congruum, quam ea, quę iuste per pactum inter aliquos interuenerint, obseruari.

CAP. XCVII. DE QUESTIONIBUS FACIENDIS ANTE MESSES, UEL UINDEMIAS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque uult placitare, uel litem aut quęstionem facere alicui de proprietate agri, hoc faciat et facere debeat ante Kalendas Julij, postea uero litem et quęstionem facere non possit usque ad tempus, quo fruges et messes fuerint collectę. Similiter quicumque uult placitare, uel facere alicui aliquam[4] litem, uel quęstionem de proprietate alicuius uineę, ipsam litem, uel quęstionem faciat et facere debeat ante Kalendas Augusti; postea uero litem uel quęstionem facere non possit usque ad tempus, quo uindemię fuerint recollectę; eo saluo, quod si tempore messium aliquis uoluerit facere quęstionem de blado, hoc facere possit; et si tempore uindemiarum uelit facere quęstionem de mulsto[5], de uegetibus et de omnibus et singulis, quę pertinent ad uindemias, hoc libere facere possit etiam tempore feriato, introducto per ferias messium et uindemiarum. Ferię autem messium et uindemiarum fieri debeant secundum quod per generale consilium dictę ciuitatis fuerit ordinatum.

CAP. XCVIII. DE CLAUIBUS COMMUNIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si in ciuitate uel burgo, siue in orto, siue in terris, siue in uineis fuerit aliqua clauis communis et partes inter se non possent[6] concordare, quis illorum debeat retinere dictam clauim; tunc potestas Spalati et eius curia

---

[1] Cod. acad. B: „dampnis". [2] ibid.: „dampna". [3] Deest ap. Ljub. [4] Deest ibid. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „mustum". [6] Cod. acad. B et ap. Ljub: „possint".

debeant ponere et ordinare tres bonos et ydoneos uiros, qui ipsum factum expediant et determinent, prout eis uidebitur conuenire. Et quicquid per eos factum et ordinatum fuerit, plenam obtineat firmitatem et debeat executioni mandari.

CAP. XCIX. DE HIS, QUI UOLUNT PER SE, UEL ALIOS LITIGARE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis uult agere contra aliquem in aliqua causa ciuili, uel se defendere contra aliquem in aliqua causa ciuili, quę sibi mouetur, licitum sit ipsi principali, si uult personaliter asistere in iudicio ad agendum, uel defendendum causam suam et per se dicere, uel respondere in iuditio, quęcumque sibi uidebuntur pro utilitate suę causę; siue cum aduocato curię, siue sine aduocato ut sibi placuerit, et tam pro se, quam pro fratre, patre et filio, uel pro nepote carnali in causis eorum. Si uero non uult personaliter interesse causę suę, licitum sibi sit, facere procuratorem quemcumque uoluerit in suis quęstionibus*; et nisi ipse personaliter interesset, uel nisi appareat per acta notarij, uel per publicum instrumentum, quod aliquis agat, uel defendat procuratorio, syndicario, tutorio, uel curatorio nomine, non audiatur in aliqua causa ciuili, siue in petendo, siue in respondendo; etiam si fuerit aduocatus curię; quia non est conueniens, neque iustum, quod aliquis agat, uel respondeat in iuditio pro aliquo, nisi appareat manifeste, quod hoc faciat de uoluntate illius, pro quo uult in iuditio agere, uel etiam respondere: et adminus mittatur riuarius uel bucarius communis de mandato potestatis, rectoris, uel curię communis Spalati ad illum hominem, uel fęminam, cuius nomine aduocatus curię uult agere, uel etiam respondere, si uult, quod ipse aduocatus agat, uel respondeat nomine suo. Et si uult, quod aduocatus curię agat, uel respondeat nomine suo, hoc referrat ad notarium actorum et scribat hoc in actis et tunc id, quod fit per talem aduocatum curię nomine illius, pro quo agit, uel respondet, ualeat et teneat, ac si ipse principalis personaliter pręsens esset; eo saluo, quod si aliquis citatus ad iuditium esset absens a ciuitate Spalati et aliquis eius consanguineus, uel amicus uult se offere ad defensionem pro eo, et uult promittere in iuditio et ydonee satisfacere de iuditio sisti et[1] iudicato soluendo; si absens fuerit conuictus[2], uel condemnatus[3]

* Cod. acad. A habet glossam marg: „Nullus procurator in iuditio compareat, nisi habuerit mandatum. Sic in libro reformationum cap. xxxiij:“ Cf. reform. cap. lxxj. huius editionis. [1] Cod acad. B et ap. Ljub.: „de“. [2] ibid: „conuinctus“. [3] Cod. acad. B: „condempnatus“.

per rectorem et offitiales ciuitatis Spalati, quod talis defensor pro absente audiatur et iuditium fiat et fieri possit cum eo, qui se ad defensionem obtulerit pro absente.

Additum est, quod procurator, tutor, curator, uel syndicus in iuditio non possit aliquid dicere, uel allegare coram rectore, sed extra iuditium dicat cum aduocato suo quicquid uult: et aduocatus ea dicat et proponat coram rectore et offitialibus communis Spalati.

Et si procurator, tutor, uel curator contrafaceret, qualibet uice puniatur in x l^{ta} soldis.

CAP. C. DE PROCURATORIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua persona uult litigare per procuratorem, sufficiat si procurator habeat generale mandatum ad litigandum in agendo, uel defendendo.

In quibusdam autem casibus non sufficit, si procurator generale habeat mandatum, sed opportet, quod habeat speciale mandatum; et licet de hoc multi casus sunt expressi in iure canonico et ciuili, tamen hic ponuntur aliqui casus, qui sufficiunt in ciuili foro ciuitatis Spalati, in quibus exigitur speciale mandatum in procuratione. Unus est: si aliquis uult petere filium, uel filiam alicuius nomine alterius, opportet, quod ad hoc habeat a patre speciale mandatum. Secundus[1] est: si aliquis uult facere aliquod pactum, transactionem[2], finem, quietationem, uel refutationem de iure alicuius; opportet, quod habeat ad hoc speciale mandatum. Tercius casus est: si aliquis uult deferre, uel referre sacramentum alicui de aliqua re in iuditio petita, debeat ad hoc habere speciale mandatum. Quartus casus est: quod si aliquis uult contrahere sponsalitia, uel matrimonium nomine alterius, ad hoc debet habere speciale mandatum. Quintus casus est: quod quando aliquis uult petere uxorem alterius quod reuertatur ad domum mariti sui, quod super hoc debet habere speciale mandatum. Sextus casus est: si aliquis uult petere nomine alterius, quod fiat exemplificatio de instrumentis, quę per uetustatem consumentur[3], debet habere ad hoc speciale mandatum. Septimus casus est: in prestatione iuramenti calumnię, ubi exigitur speciale mandatum. Octauus casus est, quando minor xxv annis uel etiam ecclesia petit in integrum restitutionem, tunc requiritur speciale mandatum. Nonus casus est, quod quando plures sunt procuratores

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „casus". [2] ibid. „transitionem". [3] ibid.: „consumerentur".

in solidum, unus non potest agere sine speciali mandato domini contra alium. Decimus casus est in pace facienda nomine alterius; ubi ad hoc exigitur speciale mandatum.

CAP. CI. DE ADUOCATIS COMMUNIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod aduocati communis Spalati, qui pro tempore fuerint in dicta ciuitate, siue obtineant questionem, siue non, teneantur uinculo sacramenti aduocare et aduocationem facere fideliter et legaliter pro omnibus hominibus et personis, qui eos requisiuerint pro aduocatione facienda, pena et banno quadraginta soldorum paruorum pro qualibet uice; saluo et reseruato, quod non compellatur facere aduocationem contra patrem, matrem, auum, auiam, uel alios ascendentes, nec contra filios uel alios coniunctos ex linea descendenti, aut fratres carnales, nec contra patruos aut auunculos carnales, nec contra amitas. uel marterteras carnales, nec uitricus contra priuignum, uel priuignam, nec priuignus contra uitricum, nec socer contra generum uel nurum, nec gener contra socerum aut socram[1], nec contra cognatum aut cognatam carnalem.

Nec compellatur facere aduocationem contra inimicos suos capitales.

Sed si aliquis requireret aliquem aduocatum, quod debeat sibi facere aliquam aduocationem et aduocatus coram rectore uult iurare ad sancta Dei euangelia, quod ipse credat, quod ille, qui eum requirit ad aduocationem faciendam, habeat malam causam et iniustam et ideo non uult aduocare pro eo in ipsa causa; tunc non compellatur ad suscipiendam aduocationem ipsam.

Et dicti aduocati, si sit questio a quinque libris infra et ultra decem soldos, habeant et[2] habere debeant unum groscium et non plus, ad hoc, ut fideliter et solicite faciant ipsam causam; quia, si nihil haberet ad ipsam causam, non attenderet[3] diligenter, et sic iura pauperum hominum possent faciliter deperiri. A quadraginta uero soldis infra nihil habere debeant; a quinque libris usque ad decem recipiant pro salario duos groscios; a decem libris supra usque ad quinquaginta habeant et habere debeant quatuor groscios; a quinquaginta libris usque ad centum habeant octo groscios; si uero

---

[1] Cod. acad. A: „socium". [2] „habeant et" deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „intenderet".

ultra centum fuerit quęstio, habeant pro quolibet centenario xl^ta^ soldos.

Et dictum salarium habeat aduocatus, si in causa fiat contestatio litis et procederetur in causa usque ad sententiam diffinitiuam et uincat aduocatus quęstionem et tunc totum dictum salarium habeat, ut dictum est. Si uero partes se concordauerint post litis contestationem, aduocatus habeat medietatem dicti salarij; si uero per contumaciam fuerit pronunciatum contra aliquem, habeat aduocatus suum groscium tantum et non plus; eo saluo, quod si racione contumacię creditor uel petitor fecerit tenutam bandiri et incantari, et eam uendiderit et deliberauerit pro debito suo, tunc habeat aduocatus totum dictum salarium, ac si uicerit in ipsa quęstione.

Et hoc statutum intelligatur, quando esset quęstio in curia ciuitatis Spalati de ciue ad ciuem in curia Spalati. Et[1] ipsi aduocati a forensibus aliquam causam habentibus cum aliquo ciue Spalatino in curia ipsius ciuitatis pro suo salario possint percipere et debeant duplum tantum, quantum perceperint[2] a ciue Spalatino pro dicta aduocatione pręstanda. Prędicti autem aduocati in principio eorum offitij coram potestate seu milite domini potestatis, seu coram offitialibus dictę ciuitatis debeant iurare corporaliter ad sancta Dei euangelia, tactis euangelijs[3], ipsum offitium aduocationis facere et exercere fideliter et legaliter, bona fide, sine aliqua fraude et quod pro eorum salario aduocationis nihil ultra perciperent[4], nisi quantitates superius denotatas, nec publice, nec priuate, nec directe, nec indirecte; et quod nullum pactum facient cum clientulo suo de lucrando certam partem litis uel quęstionis, si uincerint ipsam quęstionem, nisi tantum de salario superius ordinato. Et si ultra hęc aliquod sibi promissum fuerit, talis promissio non ualeat. Et si ultra prędictam summam aliquod receperit, restituere compellatur duplum[5] eius, quod acceperit et in xl^ta^ soldos nihilominus qualibet uice condemnetur[6] et priuetur offitio suo.

Item iurabunt dicti aduocati corporaliter ad sancta Dei euangelia, quod ipsi nullum pręstabunt impedimentum alicui partium, si uellent inter se concordare de ipsa lite et quęstione; nec docebunt, nec informabunt partes ad cęlandum ueritatem, sed semper infor-

---

[1] Ap. Ljub.: „si“. [2] ibid.: „perciperent“. [3] Deest ibid. [4] ibid.: „percipiunt“. [5] Cod. acad. A. „in duplum“. [6] Cod. acad. B: „condempnetur“.

mabunt partes ad[1] confitendum ueritatem, tam in causa ciuili, quam in causa criminali.

Item iurabunt dicti aduocati, quod ipsi falsam allegationem contra eorum conscientiam non facient in prejudicium ueritatis, et quod statim, quando ipsi cognouerint in ueritate, quod clientulus suus habeat falsam et iniustam causam, eam totaliter derelinquet.

CAP. CII. QUOD NULLUS ADUOCATUS NON SUSCIPIAT ADUOCATIONEM CONTRA COMMUNE.

Item statutum et ordinatum est; quod nullus aduocatus suscipiat, uel faciat[2] aliquam aduocationem contra commune Spalati in aliqua causa contra honorem iurisdictionis et libertatem ciuitatis Spalati, sine expressa licentia potestatis siue rectoris dictę ciuitatis: et qui contrafecerit, in xxv libras qualibet uice puniatur.

Sed pro se quilibet possit petere et prosequi et defendere ius suum contra omnem hominem[3] et etiam[4] contra commune Spalati.

CAP. CIII. DE ABIARIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si fratres fuerint, qui essent abiarij et haberent aliquam possessionem inter se, partem de possessionibus indiuisis non possint uendere alicui, nec donare, nec obligare, nec aliquo modo alienare, nisi pro anima sua conferre. De lucro uero suo possit omnimodo facere suam uoluntatem.

CAP. CIV. DE POSSESSIONIBUS INDIUISIS[5].

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque habuerit possessiones, uel merces indiuisas in societate, et quilibet eorum, qui eas habere et emere uoluerit, pro quanto alijs uendi possunt, nequeant alijs uendere; nisi suo socio si eas habere uoluerit.

---

[1] Verba: „cęlandum“ usque ad „ad“ desunt áp. Ljub. [2] Cod. acad. A. „faciet“. [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Deest ibid.

[5] Tenor praesentis capituli inscribitur ap. Ljub: „De mercimonijs indiuisis“ numeroque cap. CV. signatur. Cap. CIV. ap. Ljub.: „De possessionibus indiuisis,“ deest in cod. acad. A et B.

Tenor ipsius capituli sequens est:

Item statutum et ordinatum est, quod si frater, nepos, uel carnalis consobrinus siue consanguineus uellet uendere de possessionibus indiuisis, non possit alius uendere, nisi fratri, nepoti uel carnali nepoti, siue con-

*

CAP. CV. DE CONSORTIBUS HABENTIBUS UINEAS PASTINATAS.

Item statutum et ordinatum est, quod si fratres uel sorores habeant uineam pastinatam inter se et aliquis eorum haberet necessitatem uendendi partem suam: si frater uel soror partem ipsius sui fratris pro eodem pręcio emere uoluerit, pro quo alij homines emere uellent, alijs uendere non possit, nisi ipsi suo fratri uel sorori; nec etiam dominus terrę possit contra hoc sibi aliquid deuitare; excepto, si frater uel soror ipsam emere uolent, tunc alijs uendere non possit sine licentia et uoluntate domini terrę. Si dominus terrę eam, pro quanto uendere pręcio posset, emere noluisset, alijs licitum sit sibi eam uendere cuicumque uoluerit.

CAP. CVI. DE NON LABORANTIBUS UINEAM, UT DEBENT.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis laborator acceperit[1] terram alicuius ad pastinandum et non laborat eam sicut conuenit, id est duabus uicibus fodere, ita quod prima foditura et zappatura fiat de mense Marcij et Aprilis, secunda uero fiat per totum mensem Junij, et quod putare fiat[2] per totum mensem Februarij, alias[3] ammittat fructus ipsius anni, qui deueniant in dominum terre et

---

sanguineo pro eodem pręcio, pro quo alijs uendere posset, si emere uoluisset, tunc res diuidantur et postea uendantur cuicumque uenditori placuerit. Curia uero, si ipsi inter se diuidere nequissent, teneatur dare diuisores ad diuidendum.

§. I. Quod si propinquiores uenditores uellent ipsam possessionem in se habere pro pręcio, pro quo est uondita, possint eam accipere ab emptore, qui eam emisset, infra annum unum, computando a tempore uenditionis et emptor teneatur ipsam possessionem relaxare soluta sibi pecunia. Et ultra dictum annum propinquiores non possint dictam possesionem petere, dum tamen dicti propinquiores, qui dictam possessionem uolunt emere, iurent corporaliter ad sancta Dei euangelia, quod ipsam possessionem uolunt et redimunt pro se et non pro alia persona et neque ad tres annos computandos a tempore suę emptionis ipsam possessionem non possint uendere alicui personę.

§. II. Item addimus, quod de possessione uendita, siue alienata, si aliquis de propinquioribus uenditoris, uel alienantis quocumque tempore infra annum uenerit et uellet ipsam possessionem in se habere pro pręcio, quo fuit uendita, quod ipse emptor ualeat et possit percipere fructus unius anni de ipsa possessione. Et si domus fuerit uendita, quę sit alienata et uendita fuisset, habeat conturam, quę possit percipi de ipsa domo pro uno anno auctoritate et ex uigore pręsentis statuti.

[1] Ap. Ljub.: „acceperat". [2] In cod. acad. B inter marg.: „alias faciat". [3] ibid. et ap. Ljub.: „alioquin".

soluat quatuor libras; medictatnm communi, aliam medietatem domino terrę.

Et quilibet laborator teneatur ponere sex pedes oliuarum in quolibet ureteno; qui uero contrafecerit, soluat quatuor soldos. Et nullus laborator pastinet aliquod malnm ad pęnam xl^{ta} soldorum: alias uero arbores pastinare possit cum uoluntate domini terrę. Et quousque uites durauerint, habeat eandem partem laborator de arboribus, sicut de uitibus. Consumptis uero uitibus, arbores existentes in terra remaneant patrono et domino terrę, satisfaciendo laboratori pro extimatione partis sibi contingentis de dictis arboribus, sicut de lignis, seu[1] pro lignis incisis pro igne.

Et si quis acceperit ab aliquo uineam pastinatam ad laborandum et non fodit eam duabus uicibus[2], neque putat eam, ammittat partem suam illius anni et soluat quatuor libras; medietatem communi et aliam domino terrę, nisi haberet iustum impedimentum.

Et quicumque acceperit uineam alicuius ad laborandum super se pro fine dati pręcij et non laborauerit eam fideliter et bene sicut conuenit, sed fraudem commiserit, soluat communi xx^{ti} soldos et totidem domino uineę et reddat pręcium acceptum. Si uero non habuerit unde soluere, possit uerberari[3] etiam circumcirca ciuitatem. Et si quis effoderit uites alicuius ueteris uineę uel arbores inciderit, teneatur eandem partem dare de ipsis lignis pro terra, quam de fructibus dare solebat. Et hoc etiam[4] idem dicimus tam de ortis, quam de uineis.

Et quicumque acceperit terram alicuius ad pastinandum, obseruet conuentionem et pactum cum domino terrę, et licet in pacto fuerit, uel non, teneatur laborator pastinare annuatim ad minus unum uretenum de terra sibi data. Si uero eam seminasset, similem partem ut de uino sibi dare debeat. Si uero laborator ipsam terram seminare nequiuisset, dominus terrę eam laborare et fructiferare possit, relinquendo sibi tantum, quantum pastinare deberet.

CAP. CVII. DE PLANTANTE UINEAM ET EAM POSSIDENTE PER XX^{ti} ANNOS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis plantauerit uineam aliquam[5] suo nomine in possessione alicuius et ipsam possessionem tenuerit per xx^{ti} annos continuos sine lite et quęstione: postea non possit sibi de hoc aliqua quęstio fieri per dominum terrę, uel

---

[1] „de — seu“ deest ap. Ljub. [2] ibid. et cod. acad. B.: „et“. [3] Ap. Ljub.: „uerteretur“. [4] Deest ibid. [5] Deest ibid.

per alium, qui diceret, se ius habere in dicta terra; sed ipsam uineam teneat et possideat eo modo, quo eam tenuit et possedit per dictos[1] xx^ti annos.

Et si[2] dominus terrę ipsam possessionem uendiderit, emptor nouus non possit frangere uel mutare pacta, quę habuit laborator, qui plantauit dictam uineam, sed illa prima pacta debeant totaliter esse firma.

Et si pastinator uel laborator aliquam uineam pastinauerit uel laborauerit eam uel aliquam terram, non pręsumatur ipsam possessionem turbare alicui, qui acceperit dictam uineam in tenutam contra alium, quam contra laboratorem, quia semper debet pręsumi, quod pro iure suo possiderit uel laborauerit possessionem prędictam.

CAP. CVIII. DE OBLIGATIONE FACTA PER FILIUM FAMILIAS.

Item statutum et ordinatum est, quod si filius familias se obligauerit ad aliquid faciendum, dandum uel soluendum alicui ex aliqua iusta causa, quod ipse compellatur ad soluendum ei, quod promisit, in bonis et super bonis suis et non super bonis patris sui, uel matris suę.

Et si non haberet unde satisfacere possit, exbanniatur[3] de ciuitate Spalati et suo districtu, et si postea capi poterit, personaliter detineatur, donec satisfecerit et se concordauerit cum creditore suo in eo et de eo, super quo se obligauerit.

CAP. CIX. DE DEBITORIBUS FUGITIUIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis habeat aliquem[4] suum debitorem fugitiuum, qui non possideat bona immobilia in ciuitate Spalati uel suo districtu sufficientia ad id, quod petitur, tunc potestas et eius offitiales, facta eis fide de debito principali, teneatur[5] recipere fideiussores idoneos ab eo, qui conuenitur de iuditio sisti et de iudicato soluendo.

Et si dictus conuentus[6] tales fideiussores dare non poterit, detineatur in carcere communis Spalati, donec uel det dictos fideiussores, uel[7] iudicium ex causa finem accipiat et donec satisfecerit de eo, quod petitum fuerit, si ad hoc fuerit condemnatus[8]; quum[9] generalis

---

[1] Ap. Ljub.: „ipsos. [2] ibid.: „dictus". [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „exbandiatur". [4] Deest ap. Ljub. [5] ibid.: „teneantur". [6] Cod. acad. B. et ap. Ljub.: „conuinctus". [7] ibid.: „donec". [8] Cod. acad. B: „condempnatus". [9] Ap. Ljub.: „quoniam".

consuetudo Italię et aliarum prouintiarum hoc obseruat, quod debitores de debitis eorum, si non possunt satisfacere, bandiuntur, uel etiam[1] in carceribus detineri debeant.

CAP. CX. DE FRATRIBUS CONSORTIBUS SIMUL HABITANTIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si fratres uel consortes habeant bona communia et simul habitent, quod teneantur et sint obligati ad satisfaciendum omnia et singula credita et debita, quę sunt contracta et conuersa in communem utilitatem eorum.

Et si fratres carnales uel cum eorum nepotibus simul habitent et habeant bona communia et alter eorum de bonis communibus faciat expensas transeuntes ultra[2] summam decem librarum, uel in uestimentis aut ornamentis uxoris, uel alijs proprijs expensis, licitum sit cuilibet fratrum uel consortium suorum ante partem accipere, quantum alter eorum expenderit ultra dictam quantitatem decem librarum.

Et[3] si fratres aut consortes simul habitent et habeant bona indiuisa et aliquis eorum habeat[4] uxorem, uel filios, alius uel alij non habeant uxorem, uel filios, tunc expensę cibi et potus, quę fierent pro uxore et filijs, nullo modo debeant computari, sed de communi fiant, ita quod nulli eorum expensę debeant computari[5].

CAP. CXI. DE PASTINANTIBUS UINEAM IN TERRA NON DIUISA.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus debeat pastinare uineam in aliqua terra, quam terram aliquis haberet communem cum aliqua persona, nisi prius ipsa terra diuidatur inter eos, seu termini, uel signacula essent missa per ipsas partes in ipsa terra.

Et si accideret, quod aliquis ipsorum consortium non esset in ciuitate Spalati uel suo districtu, et ille, qui esset pręsens uellet[6] laborare, uel pastinare partem suam de dicta terra, ipsam terram pastinare non possit, nisi prius ueniat ad curiam ciuitatis Spalati et petat diuisores sibi dari per curiam ad diuidendum dictam terram seu possessionem; et rector et officiales dictę ciuitatis teneantur ei dare diuisores, qui ipsam diuisionem faciant; et hoc omnino[7] debeat scribi in actis per notarium actorum.

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „secundum". [4] Ap. Ljub.: „habet". [5] Verba: „sed de communi" usque ad: „computari" desunt ap. Ljub. [6] Ap. Ljub.: „uult". [7] ibid.: „omnimodo".

Qui diuisores uinculo sacramenti facere teneantur ipsam diuisionem pure[1] et legaliter tam pro pręsente, quam pro absente, bona fide sine fraude.

Et mittatur et fiat ipsa diuisio per ipsos diuisores ad sortem, ita, quod sors per sortem[2] illa pars, quę obuenerit ei, qui est pręsens in ciuitati Spalati sit et esse debeat sua et eam partem possit pastinare ad suam uoluntatem; alia uero pars remaneat socio suo absenti: ita tamen, quod de ipsa diuisione fieri debeant publica instrumenta, ita, quod fraus ibi commiti non possit.

Et si aliquis ex socijs ipsam terram pastinet prędicto ordine non obseruato[3], teneatur dare consorti suo partem sibi contingentem tam de dicta terra pastinata, quam de terra non pastinata.

CAP. CXII. DE BLADO ET MUSTO ACCEPTIS PER DOMINUM COMITEM, UEL SUOS OFFICIALES.

Item statutum et ordinatum est, quod si de terris aut uineis alicuius ciuis Spalati sit acceptum, uel ablatum aliquod bladum uel mustum[4] aut alij fructus per dominum comitem, uel eius offitiales, tale damnum[5] sit et esse debeat commune inter dominum et laboratorem. De residuo autem quilibet eorum debeat habere partem sibi contingentem.

CAP. CXIII. QUOD TERRE ET UINEE, QUE UENDUNTUR, PRIMO MENSURENTUR.

Item statutum et ordinatum est, quod omnes terrę et uineę, quę uenduntur, primo debeant mensurari et per notarium in instrumento scribatur, quot ureteni sunt.

CAP. CXIV. DE EMENTIBUS RES FURTIUAS A SCLAUIS, UEL AB ALIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis emerit aliquam rem furtiuam ab aliquo Sclauo, uel ab aliquo extraneo; si emptor poterit ostendere uenditorem, uel nomen eius iudicare, uel manifestare siue non, talis res empta perueniat ad manus perditoris, dummodo probet legitime, rem esse suam et etiam probet per manifesta indicia, dictam rem sibi fuisse furatam: dummodo dominus rei[6] soluat emptori tantum pręcium, quantum ipse emptor probauerit se emisse dictam rem.

---

[1] Ap. Ljub.: „bene“. [2] Verba: „ita — sortem“ desunt ibid. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „seruato“. [4] Cod. acad. A: „mulstum“. [5] Cod. acad. B: „dampnum“. [6] „dominus rei“ deest ap. Ljub.

Et in hoc casu admittatur testimonium Sclauorum, aliquo alio capitulo non obstante.

CAP CXV. DE INSTRUMENTIS RENOUANDIS INFRA XXX^ta ANNOS.

Item statutum et ordinatum est, quod ab hodie in antea nullum instrumentum debiti, dationis, uel solutionis alicuius quantitatis pecunię, uel alicuius alterius rei, quod excederet tempus xxx^ta annorum, non ualeat, nec teneat, nisi infra dictum tempus renouaretur[1].

CAP. CXVI. DE HIS, QUI MALITIOSE REPETUNT PECUNIAM, UEL REM, DE QUA EST EJS[2] SATISFACTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis petit ab aliquo aliquam pecunię quantitatem, uel rem aliquam mobilem ex causa mutui, uel commodati, uel depositi, uel ex alia quacumque causa, quod si ille, qui recipit, uel agit, uult stare sacramento illius, a quo eam rem[3] repetit[4] tam de acceptatione, quam de restutione rei petitę, quod ille, a quo petitur, debeat iurare super utroque, scilicet tam[5] super acceptatione, quam super restitutione stari et credi debeat suo sacramento et responsioni tam supra receptione, quam supra restitutione. Et si iurauerit se habuisse et restituisse rem petitam, in continenti absolui debeat et nec de periurio, nec aliquo alio modo possit ulterius aliquod dici uel peti contra eum, uel eius heredes et bona occasione prędicta.

Si autem actor non uult deferre sacramentum conuento[6] uel citato, tunc oblata petitione interrogetur actor et petitor per rectorem et offitiales communis Spalati, si dictam pecuniam, uel rem aliam dedit coram notario, uel testibus nec ne; et si dixerit, quod eam dederit coram notario[7] et cum instrumento, uel coram testibus, quos testes in continenti notare teneatur, tunc detur sibi terminus quinque dierum tam per testes, quam per instrumenta; uel maior dilatio detur, ut rectori et offitialibus uidebitur conuenire. Et si infra dictum terminum non probauerit de iure suo tunc absoluatur reus et conuentus[8].

---

[1] Cod. acad. A et ap. Ljub.: „renouetur". [2] Deest in cod. acad. A. [3] Deest in cod. acad. A et B. [4] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „recepit". [5] Deest in cod. acad. A. [6] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „conuincto". [7] Verba: „uel testibus" usque ad „notario" desunt ap. Ljub. [8] Cod. acad. B: „conuenctus".

Si uero actor dixerit, quod sine instrumento et sine testibus dictam pecuniam uel rem aliam mutuauit, deposuit, uel alio modo dedit, tunc rector et offitialis dictę ciuitatis debeant dare sacramenta dicto conuento, tam super acceptatione dictę rei uel pecunię petitę, quam super restitutione, ita quod super hoc debeat stari et credi suo iuramento, et si iurauerit se accepisse et restituisse pecuniam, uel rem petitam, in continenti absoluatur, et nulla altera probatio ulterius recipiatur contra eum, uel suos heredes, nec de periurio possit etiam accusari, quia sicut sine testibus et sine instrumento accepit, ita sine testibus et sine instrumento restituere potuit.

Et in prędicto casu dicta forma debeat obseruari et alio modo non compellatur reus conuentus iurare uel respondere, nisi secundum formam superius declaratam.

CAP. CXVII. DE PARATIS AD UIAGIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis sit paratus ad aliquod uiagium faciendum, siue per mare, siue per terram et citetur coram rectore et offitialibus ciuitatis Spalati super aliquo debito, de quo terminus soluendi iam esset transactus, de quo debito appareat publicum instrumentum: tunc si uult dare fideiussores ydoneos de iuditio sisti et de iudicato[1] soluendo et reliquerit procuratorem ad causam, nulla alia molestia sibi realiter et personaliter inferatur, sed causa agitetur et fiat cum procuratore suo et si fuerit condemnatus[2] per sententiam, tunc sententia mandetur executioni in bonis principalis, si reperiantur esse suffitientia, alias executio fiat contra fideiussores ipsius.

Si uero terminus solutionis, contentus in instrumento adhuc non aduenerit et debitor sit paratus maxime per mare ad uiagium faciendum, tunc nulla molestia sibi fieri possit per suum creditorem quia uel non debuit sibi pecuniam, uel quid aliud[3] credere, uel etiam mutuare, uel non debuit se artare[4] ad hoc petendum eo tempore, quo dictus debitor erat paratus ad ipsum uiagium faciendum, maxime per mare, nisi talis debitor esset manifestus fugitiuus et pauper, uel esset forensis, in quo casu uel det fideiussores ydoneos, uel principales solutores de stando iuri et iudicato[5] soluendo usque ad cognitam rationem, uel alias personaliter, ut potestati et eius curię uidebitur conuenire.

---

[1] Ap. Ljub.: „iudicatum“. [2] Cod. acad. B: „condempnatus“. [3] Ap. Ljub.: „est“. [4] ibid.: „arctare“. [5] ibid.: „iudicatum“.

CAP. CVIII. DE CITATO, QUI EST INFIRMUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis fuerit citatus ad iuditium et citatus fuerit infirmus, ita quod non possit commode sine periculo personę in iuditio comparere et de hoc summarie facta fuerit fides coram rectore ciuitatis Spalati, tunc rector teneatur supersedere causę usque ad x dies ad plus. Quo termino decem dierum elapso, rector in ipsa causa procedat secundum iura et formam statuti[1] ciuitatis Spalati; quod si citatus propter infirmitatem, quę durat, non potest in iuditio personaliter comparere, tamen potest constituere procuratorem et potest habere aduocatum, qui causam suam defendet.

CAP. CXIX. QUALITER PROBETUR, QUIS EST FILIUS, PATER, MATER, UEL UXOR.

Item statutum et ordinatum est, quod si fit quęstio de filiatione, uel de[2] paternitate, uel an aliqua uxor fuerit alicuius, an ne[3], tunc sufficiat probatio in prędictis per solam famam, uel per[4] indicia et hoc in causa ciuili, quę uentillatur coram iudice sęculari ciuitatis Spalati, quia in foro ecclesiastico in causa matrimoniali prędicta non uendicant sibi locum.

CAP. CXX. QUOD PANNI DE DORSO NON ACCIPIANTUR PRO TENUTA.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis haberet domum[5], terram, uineam, uel aliquas alias possessiones immobiles[6], sufficientes ad debitum, pro quo agitur contra eum, non accipiantur sibi in tenutam a creditore suo panni de dorso eius, contra quem accipiatur tenuta, nec suę familię, nec panni de lecto. Alia uero bona mobilia, uel se mouentia licite pro debito possint accipi in tenutam.

CAP. CXXI. DE DELIBERATIONIBUS[7] TENUTARUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua res mobilis, uel immobilis fuerit accepta in tenutam et fuerit bandita, uel etiam incantata, quod non possit deliberari, uel uendi, aut permutari, aut[8] alienari per creditorem, nisi prius de sero pro die sequenti citatus fuerit ille, contra quem accepta fuerit tenuta, uel etiam[8]

---

[1] Ap. Ljub.: „statutorum". [2] Deest ibid. [3] ibid.: „nec". [4] Deest ibid. [5] ibid.: „suam". [6] ibid.: „mobiles". [7] Cod. acad. A: „delibracionibus": [8] Ap. Ljub.: „uel mutari, uel". [9] ibid. „eius".

heredes coram curia, si uult satisfacere debitum, uel consentire, uel in aliquo contradicere dictę deliberationi et alienationi, et si consenserit, possit uendi et alienari.

Si uero contradixerit et iustam causam contradictionis assignauerit, quare deliberari non debeat, tunc rector statuat sibi terminum trium dierum ad opponendum et probandum, quare dicta res non debeat deliberari et alienari. Et si nihil legitime probauerit infra terminum supra dictum, tunc possit deliberari et alienari ad uoluntatem creditoris.

CAP. CXXII. DE CREDENCIJS SOCIORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod socij possint facere credentias et debita recipere et id, quod per aliquem illorum factum fuerit siue in dando, siue in recipiendo, perpetuam obtineat[1] firmitatem, quia postquam sunt socij et publice emunt et uendunt et contrahunt tamquam socij, satis iustum est, quod id[2] quod per unum eorum factum fuerit, ab alio debeat esse ratum et firmum ad hoc, ut homines, qui contrahunt cum eis, non decipiantur, nec decipi ualeant ullo modo.

CAP. CXXIII. DE EXPENSIS FACTIS IN REBUS DOTALIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si constante matrimonio maritus fecerit aliquas expensas in rebus dotalibus uxoris suę, si dictę expensę fuerint necessarię, ut quia maritus reffecit et reparauit domum dotalem suę uxoris, quę erat ruinosa; uel dictę expensę fuerint utiles, ut quia in terra dotali uxoris suę plantauit uineam, uel in solo pratu[3] uxoris suę hedificauit domum, tunc si dos in casu esset restitutionis: omnes dictę expensę debeant refici et restitui marito, uel heredibus mariti, quia tales expensę debeant[4] rationaliter extimari et diminuere[5] dictam dotem.

Similiter[6] ętiam, si maritus fecisset expensas in iuditio pro recuperandis aut defendendis iuribus uxoris suę; similiter tales expensę debeant fieri et computari super bonis et rebus uxoris suę[7].

---

[1] Ap. Ljub.: „teneat". [2] „quod id" deest ap. Ljub. [3] Verba: „plantauit" usque ad: „pratu" desunt ap. Ljub. [4] ibid.: „debent". [5] ibid.: „dimittere". [6] Ap. Ljub.: „Similiter tales expensę debeant fieri et computari, etiam si" etc. [7] Deest ibid.

Si uero maritus alias expensas uoluntarias fecisset in rebus suę uxoris[1], ut quia fecisset depingi[2] domum suę uxoris uel similia: tales expensę super bonis uxoris non debeant computari.

CAP. CXXIV. DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO QUI SUNT DE CONTRAHENDO.

Item statutum et ordinatum est, quod pro sponsalibus et[3] matrimonio contrahendo per uerba de futuro, siue[4] contractus fiat per ipsas principales personas, siue per patrem uel matrem pro filio uel filia, siue per fratrem pro sorore, siue pro alijs personis; tunc per utramque partem dentur pignora uel in pecunia, uel in rebus mobilibus, aut per utramque partem obligetur aliqua domus, uel aliqua possessio, quę quidem appellantur arrę sponsalicię, ut si per aliquam partem remaneret, quod dictum[5] matrimonium non compleatur, tunc illa pars, per quam remaneret[6] matrimonium, debeat perdere pignora, uel bona stabilia, quę obligauit[7] pro dicto matrimonio contrahendo et deueniant in aliam[8] partem, quę uult matrimonium adimplere, facta primo protestatione per illum, qui uult adimplere matrimonium alteri parti, quod paratus est ipsum[9] matrimonium adimplere secundum conuentiones et pacta habita inter eos.

Pęna autem in dicto contractu apponi non potest, quoniam de iure metu pęnę matrimonia non ligantur.

Et pro prędictis omnibus obseruandis quęlibet pars promittat alteri excalumniare[10] et defendere rem a se concessam et datam et pro his una pars alteri obliget omnia sua bona; ita tamen quod pręsens statutum ad pręterita instrumenta facta super dicta matrimonia[11] neque noceat, neque prosit: pro futuris uero sponsalibus ualeat. Pręterita uero instrumenta in suo esse debeant remanere, saluo quod si propter aliquod impedimentum iuris dictum matrimonium non posset perfici, quod ad dictam obligationem nullatenus teneatur.

CAP. CXXV. DE POSSESSIONIBUS EORUM, QUI SUNT DE EADEM CONSANQUINITATE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis petierit aliquam partem patrimonij, uel possessionem, dicens, se esse[11] natum ab

[1] Verba: „Si uero“ usque ad „uxoris“ desunt ap. Ljub [2] ibid.: „pingere“. [3] ibid.: „uel pro“. [4] ibid.: „uerba et“. [5] ibid.: „prędictum“. [6] Cod. acad. B: „remanet“; ap. Ljub.: „remanet ipsum“. [7] Ap. Ljub.: „obligauerit“. [8] ibid.: „illam“. [9] Deest ibid. [10] Cod. acad. B: „excalumpniare“. [11] Ap. Ljub.: „materia“. [12] Deest ap. Ljub.

eadem consanquinitate cum eo, a quo petierit, teneatur probare per ydoneam probationem, quod patrimonium petitum, uel possessio fuit suorum antecessorum, scilicet auorum suorum et quod patrimonium non fuit diuisum; tunc possidens petenti teneatur respondere et iusticiam facere. Si uero petens supradicta non probauerit, tunc possidens teneatur duodecima manu infra secundum arbitrium curię iurare, quod ipsum patrimonium nescit esse commuue, nec unquam a suo patre audiuit, illud esse indiuisum; et suum obtineat patrimonium.

CAP. CXXVI. QUOD FILIJ NON POSSINT EXPELLERE PARENTES.

Item statutum et ordinatum est, quod filij uel filię nequeant expellere suos parentes, scilicet patrem et matrem, auum uel auuiam uel superiores ex linea ascendente[1] de sua domo, nec eis necessaria uitę[2] denegare, usque dum habuerint, cum quo eos[3] regere: et si eos[4] regere et sustentare noluerint, perdant partem hereditatis patris, matris et aliorum ascendentium; et ipsi pater, mater, auus uel auia uel alij ascendentes possint ipsam hereditatem dare[5], distribuere pro anima et pro corpore, cuicumque eis placuerit.

Et si ipsi pater, mater, auus, auia uel alij ascendentes non haberent[6] aliqua bona, de quibus possent se regere et gubernare: potestas et rector dictę ciuitatis uinculo sacramenti teneantur compellere[7] filios et nepotes eorum ad regendum et sustentandum eos secundum possibilitatem et facultatem filiorum et nepotum suorum.

CAP. CXXVII. QUOD MULIER NON ACCIPIAT MARITUM SINE[8] UOLUNTATE PATRIS UEL MATRIS[9].

Item statutum et ordinatum est, quod nulla mulier possit accipere maritum sine uoluntate patris[10] et matris suę. Et quęcumque mulier contrafecerit, perdat partem de bonis paternis et maternis.

CAP. CXXVIII. QUANDO FIDEIUSSOR POTEST PETERE, UT PTINCIPALIS LIBERET EAM A FIDEIUSSIONE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis de aliquo debito interuenerit pro aliquo ut fideiussor, uel principalis solutor, quod

---

[1] Ap. Ljub.: „ascendentes". [2] ibid.: „inde". [3] ibid.: „ipsos possint regere et sustentare". [4] ibid.: „ipsos". [5] ibid.: „et". [6] ibid.: „habent". [7] Cod. acad. A: „suos". [8] Ap. Ljub.: „non nubat". [9] ibid.: „parentnm". [10] ibid.: „sui".

in his casibus iuste potest agere contra principalem debitorem, ut eum liberet a fideiussione.

Primus[1] est, si fideiussor steterit diu in obligatione, quod relinquatur arbitrio iudicantis ultra unum annum a tempore factę fideiussionis, quia in isto casu sic[2] uarias sententias uolumus temperare.

Secundus est, si principalis post fideiussionem inciperet[3] alienare bona sua.

Tercius casus est, si ipse fideiussor est propterea condemnatus[4], uel coactus per curiam soluere debitum, in continenti possit agere contra principalem debitorem, ut eum indemnem debeat conseruare.

Quartus casus est, si ab ipso principio fuit appellatum, ut quandocumque uoluerit fideiussor possit petere a principali, se a debito et obligatione liberari, et si aliquod propterea damnum sustinuerit fideiussor[5], quod per principalem, pro quo fideiussit, hoc sibi debeat emendari.

CAP. CXXIX. DE RECOGNITIONE SENTENTIARUM IN CAUSIS CIUILIBUS.

Item statutum et ordinatum est, additum et declaratum ad omnem dubitationem penitus amputandam, quod si in aliqua causa ciuili aliqua sententia fuerit data per rectorem forensem dictę ciuitatis et iudices et consiliarios, qui debent propositis et sententijs interesse, aut per ipsos iudices et consiliarios[6], quando ciuitas careret rectore forense et ipsa sententia alicui[7] displiceret, ita quod per appellationem uel protestationem contradiceret ipsi sententię et diceret se grauatum ex ea, quum diceret, quod est lata contra statuta[8], uel capitulum ciuitatis Spalati, tunc talis ordo seruetur, uidelicet: quod pars, contra quam fuerit lata sententia infra[9] terciam diem a die latę sententię teneatur et debeat appellare uel protestari coram rectore, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate, si se grauatum senserit ab eadem; et aliter ipsa appellatio siue protestatio non audiatur neque admittatur. Et proxime sequens curia sententiam, a qua fuerit infra dictos tres dies appellatum, teneatur uinculo sacramenti cognoscere et terminare; quod si eam sententiam non cognosceret et terminaret, tam potestas, qui pro tempore

[1] Ap. Ljub.: „equidem casus". [2] Deest ibid. [3] ibid.: „incipiat". [4] Cod. acad. B: „condempnatus". [5] Verba: „possit petere" usque ad: „fideiussor" desunt in cod. acad. A et B. [6] Verba: „qui debent" usque ad: „consiliarios" desunt ap. Ljub. [7] ibid.: „partium". [8] ibid.: „statutum". [9] Cod. acad. A: „in".

fuerit, quam etiam iudices et consiliarii et quilibet ipsorum auctoritate pręsentis statuti sint periuri et infames et pro periuris in omnibus habeantur.

Et si ipsa sententia fuerit confirmata per dictam sequentem curiam, quod pars, quę appellauerit, teneatur et cogatur per rectorem ciuitatis prędictę dare et soluere quatuor soldos pro qualibet libra quantitatis, in dicta sententia contentę[1]; duos soldos uidelicet parti, pro qua[2] sententia lata fuerit et duos soldos communi ciuitatis Spalati.

Et quod ille, qui contradicet sententię appellando uel protestando, debeat declarare et specificare illud statutum uel capitulum, contra quod dicit, quod dicta sententia est[3] lata et hoc faciat scribi[4] in sua appellatione, protestatione, uel contradictione, alias sua contradictio, appellatio uel protestatio non audiatur et non ualeat.

In quo quidem casu, facta prius dicta declaratione et specificatione, sequens proxima curia debeat de illa sententia cognoscere et sequens proxima curia teneatur uinculo sacramenti omnino ipsam sententiam cognoscere et examinare diligenter ipsam sententiam et omnia et singula instrumenta, testes et quęcunque sunt acta in ipsa causa[5] et prout eis iustum uisum fuerit[6], teneantur ipsam sententiam confirmare uel cassare in totum[7], uel in partem[8] et ea[9] facere, ut[10] eis secundum Deum et iustitiam et secundum formam statuti[11] dictę ciuitatis melius et iustius uidebitur conuenire.

Et quidquid per secundam curiam factum et deliberatum et sententiatum fuerit, plenam obtineat firmitatem, prima sententia non obstante; et ille, contra quem sententia lata est, sit sollicitus et attentus, ut dictam sententiam per proximam sequentem curiam faciat cognosci[12], ut dictum est.

Et si per proximam sequentem curiam ipsa sententia non fuerit cognita[13] et diffinita et determinata, ut dictum est, prima sententia obtineat[14] firmitatem.

Et postquam aliquis contradixerit sententię appellando, uel protestando, ut dictum est, tunc dicta sententia prima nullo modo

---

[1] Sic ap. Ljub. Cod acad. A et B: „quantitate .... contenta". [2] Ap. Ljub.: „ipsa". [3] ibid.: „sit". [4] ibid.: „scribere". [5] ibid.: „et omnia et singula in ea actitata". [6] ibid.: „uidebitur fore". [7] ibid.: „toto". [8] ibid.: „parte". [9] ibid.: „eam". [10] ibid.: „prout". [11] ibid.: „sec. statuta". [12] ibid.: „cognoscere". [13] ibid.: „recognita". [14] ibid.: „roboris".

mandetur executioni nec fiat[1] aliqua nouitas super ea, donec fuerit recognita per proximam sequentem curiam, ut est dictum.

Et omnia alia statuta superiora, quę darent aliam formam, uel alium ordinem, uel aliud tempus in recognitione dictarum sententiarum, auctoritate pręsentis statuti sint cassa, irrita et nullius ualoris et pręsens statutum perpetuam obtineat firmitatem.

INCIPIUNT CAPITULA QUARTI LIBRI DE MALEFICIJS.

De ordine procedendo in maleficijs . . . . . j.
Infra quem terminum accusatio debet fieri . . . . . ij.
Quod criminales causę finiantur infra mensem . . . . . iij.
De ordine in maleficijs seruando[2] . . . . . iiij.
In quibus maleficijs debeat quis personaliter detineri . . v.
De confessione in maleficijs . . . . . vj.
De pace in maleficijs . . . . . vij.
De maleficijs commissis extra ciuitatem Spalati[3] . . . . viij.
De maleficijs, quę probantur per unum testem . . . . . ix.
De maleficijs commissis per mulieres inter se . . . . . x.
De maleficijs commissis inter clericos et laycos . . . . xj.
De uerbis iniuriosis . . . . . xij.
De insultu . . . . . xiij.
De pęnis imponendis secundum formam statuti . . . . . xiiij.
De reimproperatione alicuius iniurię . . . . . xv.
De percussionibus et alijs offensionibus . . . . . xvj.
De homicidio et debilitate membri . . . . . xvij.
De nobili interficiente popularem . . . . . xviij.
De spincta et alijs maleficijs . . . . . xix.
De percussionibus super tabulam . . . . . xx.
De ostendentibus instrumenta ad euadendum maleficium . xxj.
Quod[4] de similibus ad similia procedatur . . . . . xxij.
De diuersis pęnis . . . . . xxiij.
De diuersis et contrarijs statutis . . . . . xxiiij.
De conuenticulis et conspirationibus . . . . . xxv.
Quod laborator non perdat partem de bonis homicidę . . xxvj.
De habitantibus domum uel turrim communem . . . . . xxvij.
De blasphemantibus Deum uel[5] sanctos . . . . . xxviij.
De mutatione nominis . . . . . xxix.

[1] Cod. acad. A: „fuerit“. [2] Cod. acad. B: „obseruando“.
[3] Deest ibid. [4] Deest ibid. [5] ibid.: „et“.

De offensionibus factis inter familiares . . . . . xxx.
De rixa facta inter ciuem et forensem . . . . . xxxj.
De forensibus offendentibus ciues Spalatinos . . . . . xxxij.
De percussionibus cum forficibus, uel cum acu, uel similibus . . . . . xxxiij.
De furtis, uiolentijs et truncationibus bursarum et robatoribus . . . . . xxxiiij.
De incediarijs . . . . . xxxv.
De intrantibus uiolenter domum alienam . . . . . xxxvj.
De adulterijs et uiolatoribus mulierum . . . . . xxxvij.
De uxorato retinente amasiam . . . . . xxxviij.
Quod mulieres malę famę non stent iuxta bonas dominas xxxix.
De illo qui percutit se[1] ipsum . . . . . xl.
De concubinis monachorum . . . . . xlj.
Quod nullus teneat drudam uel concubinam in domo . . xlij.
De portantibus arma de die uel de nocte per ciuitatem Spalati . . . . . xliij.
De extrahentibus arma in platea sancti Laurentij, uel sancti Domnij[2] . . . . . xliiij.
De eo, qui offendit ad suam deffensionem . . . . . xlv.
De inuadentibus et occupantibus iniuste possessiones alienas xlvj.
De fideiussoribus dandis de non offendendo . . . . . xlvij.
De ascisinis . . . . . xlviij.
De euntibus do nocte post tercium sonum campanę . . . xlix.
De negantibus maleficium . . . . . l.
De maleficijs commissis extra territorium[3] Spalati . . . . lj.
De occidentibus bestias alienas . . . . . lij.
De usuris maledictis . . . . . liij.
De falsitatibus reprimendis . . . . . liiij.
Quod falsatores et fures non habeant offitium, nec recipiantur in testes . . . . . lv.
De furtis offitialiun . . . . . lvj.
De maleficijs puerorum et puellarum . . . . . lvij.
De apportantibus ligna uel olera de foris . . . . . lviij.
De sordantibus ante domum alienam . . . . . lviiijj.
De occupantibus uias et possessiones communis Spalati lx.
De confinibus dandis . . . . . lxj.

---

[1] Cod. acad. B: „semet“. [2] ibid.: „Dompnjj“. [3] ibid. „ciuitatem“.

De forbannitis[1] communis Spalati . . . . . lxij.
De exbanditis non extrahendis de bando . . . . . lxiij.
De exbanditis, si de alio maleficio proceditur contra eos lxiiij.
Quod nullus osculetur mortuum . . . . . lxv.
Quod omni mense potestas faciat condemnationes[2] . . . lxvj.
De termino dando condemnatis[3] ad soluendum . . . . . lxvij.
De porcis non tenendis . . . . . lxviij.
De rixantibns superueniente potestate . . . . . lxix,
De rixantibus cum seruitore potestatis . . . . . lxx.
De placitantibus et rixantibus coram curia . . . . . lxxj.
De filijs uerberantibus patrem uel matrem . . . . . lxxij.
De maleficijs uxorum . . . . . lxxiij.
De proditoribus ciuitatis Spalati[4] . . . . . lxxiiij.
De ludo azardorum[5] . . . . . lxxv.
De citatis coram potestate et non comparentibus . . . . lxxvj.
De iniuriantibus et offendentibus potestatem . . . . . lxxvij.
De his, qui promittunt aliquid dare de bonis communis . lxxviij.
Quod nullus capiat suum debitorem sine licentia curię . . lxxix.
De rumpentibus murum ciuitatis Spalati[6] . . . . . lxxx.
De maleficijs commissis per filium familias . . . . . lxxxj.
De accipientibus bladum de molendinis Salonę . . . . . lxxxij.
De artificibus, quod compleant opera, quę acceperint facienda . . . . . lxxxiij.
De muliere pręgnante committente homicidium . . . . . lxxxiiij.
De muliere pręgnante non tormentanda . . . . . lxxxv.
De extrahentibus metam de agro alicuius . . . . . lxxxvj.
De magicalibus artibus . . . . . lxxxvij.
De illo, qui committit fraudem in uenditione . . . . . lxxxviij.
De damnis[7] datis . . . . . lxxxix.
Quod nullus debeat seccare ligna in monte Seruandę, nec incidere, nec incisa auferre . . . . . lxxxx.
Quod nullus teneat uiridarium uel prothensum super domum, uel terreno alicuius . . . . . lxxxxj.
De maleficijs commissis de nocte . . . . . lxxxxij.
De furnarrijs . . . . . lxxxxiij.
Quod in molendinis non auferantur ordea[8] . . . . . lxxxxiiij.

[1] Cod. acad. B: „forbanditis“. [2] ibid.: „condempnationes“. [3] ibid.: „condempnatis“. [4] ibid: „Spaleti“. [5] ibid.: „axiardorum“. [6] Deest ibid. [7] ibid.: „dampnis“. [8] ibid.: „aufferratur ordo“.

*

Quod tabernarius non teneat de nocte tabernam apertam lxxxxv.
Quod maluendulę non filent . . . . . lxxxxvj.
Quod nullus emat res de cursu, nec uadat in cursu . . . lxxxxvij.
De eodem . . . . . lxxxxviij.
De furantibus aratrum . . . . . lxxxxix.
De impetrantibus literas . . . . . c.
Quod nullus reuellet secreta consilij . . . . . cj.
De institutione heredum . . . . . cij.
In quibus casibus potestas habeat arbitrium inquirendi . ciij.
Quod dominus non possit accipere terram laboratori . . ciiij.
Quod laborator non dicipiat conductorem, nec e conuerso cv.
De frangente bucharium uel riuarium . . . . . cvj.
Quod nullus emat, uel depositum faciat a seruo, ancilla uel famulo . . . . . cvij.
Quod ciuis non suscipiat procurationem pro[1] aliquo forense cviij.
Quod nullus det barcham ad maleficium committendum . cviiij.
De eo, qui conducit boues, uel somerios alienos ad arandum cx.
De tractantibus iniuriam ciuitatis Spalati . . . . . cxj.
De uino forensi uon conducendo ad ciuitatem Spalati . . cxij.
Quod nullus det barcham alicui pro uino conducendo Sardonam, uel Narentum . . . . . cxiij.
De uigilibus, uel custodibus uinearum . . . . . cxiiij.
Quando nobilis habet colloquium cum populari . . . . . cxv.
De piscatoribus et uendentibus pisces . . . . . cxvj.
De becharijs et uendentibus uolatilia . . . . . cxvij.
De bestijs non portandis ad insulam Lesinę[2] . . . . . cxviij.
Quod nullus accomodet remos uel sartinas communis . . cxix.
De proclamatione, quę fit in campo Spalati . . . . . cxx.
De aurificibus . . . . . cxxj.
Quod nullum lembum[3] oneretur[4], uel exoneretur[5], nisi in portu sancti Nicolaij . . . . . cxxij.
De eo, qui per uiolentiam prohibet alicui facere testamentum . . . . . cxxiij.
De modo procedendi ad tormenta . . . . . cxxiiij.
De campana non pulsanda ad rumorem sine licentia communis . . . . . cxxv.
De offendentibus dominum potestatem uel eius socium . cxxvj.
De contemptu mandati . . . . . cxxvij.

[1] Cod. acad. B: „ab“. [2] ibid.: „Lexinę“. [3] ibid.: „limbum“. [4] ibid.: „honeretur“. [5] ibid.: „exhoneretur“.

Incipiunt statuta quarti libri de ordine procedendi in maleficijs.

CAP. I. DE ORDINE PROCEDENDI IN MALEFICIJS[1].

Statuimus et ordinamus, quod si aliquis uult denunciare, uel accusare aliquem de aliquo maleficio, compareat coram potestate et rectore et offitialibus communis Spalati et suam accusationem uel denuntiationem scribi faciat in actis communis[2] Spalati.

In qua accusatione uel denuntiatione scribi faciat nomen et cognomen denuntiati uel accusati et mensem commissi maleficij et locum, in quo dicitur dictum[3] maleficium esse commissum; qui locus ad minus designetur per duo confinia; et quod contineatur tenor[4] commissi maleficij et similiter contineatur ibi, si maleficium esset commissum de die, uel de nocte; et accusator uel[5] denuntiator, quando facit suam denuntiationem uel accusationem, debeat iurare tacto libro corporaliter ad sancta Dei euangelia, quod dictam accusationem uel denuntiationem non facit animo calumnię[6], sed quia credit uera esse, quę continentur in ipsa accusatione uel denuntiatione.

Et per notarium, qui recipit accusationem uel denuntiationem, scribatur in actis, quod accusator, uel denunciator ipsam accusationem, uel denuntiationem non facit animo calumnię[7], sed credit et asserit[8], uera esse, quę in sua accusatione uel denuntiatione continentur.

Et ipse denuntiator uel accusator, quando denuntiatum[9] denuntiat uel accusat, det et assignet nomina testium, per quos intendit probare suam accusationem uel denuntiationem et nomina testium scribantur in actis per notarium, qui recepit ipsam accusationem, uel denuntiationem. Postea uero testes alij non recipiantur, nisi illi qui fuerunt nominati et scripti tempore denuntiationis uel accusationis oblatę, quia testes possent de facili subornari per falsitatem et corrumpi; antequam quis denuntiat et accusat, potest et debet nomina testium diligenter explorare, qui dicunt fuisse pręsentes, aut uidisse maleficium perpetrari.

---

[1] Deest in cod. acad. A et B. [2] Ap. Ljub.: „communitatis". [3] Cod. acad. A: „factum". [4] Ap. Ljub.: „ipsi". [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „seu". [6] Cod. acad. B.: „calumpnię". [7] ibid. e. m. [8] „credit et asserit" deest ap. Ljub. [9] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub.

CAP. II. INFRA QUEM TERMINUM ACCUSATIO DEBET FIERI.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla accusatio, uel denuntiatio recipiatur ab aliquo[1] de aliquo maleficio, quod diceretur esse commissum ante xv dies a tempore factę accusationis, uel denuntiationis, quia postquam aliquis recipit ab aliquo iniuriam aliquam, uel offensam, satis habet magnum[2] terminum xv dierum ad accusandum, uel denuntiandum.

Et si infra dictum terminum non uult accusare, uel denuntiare, sibi debeat imputari. Saluo, quod in homicidio, tradimento ciuitatis et combustione domorum uel segetum possit quis procedere usque ad annum a tempore commissi maleficij, dummodo appareat denuntiatio facta infra xv dies, licet in denuntiatione non fuerit expressa persona, quia forte tunc ignorabatur[3] persona, quę dicta maleficia, uel aliquod eorum fecisset, uel commisisset.

Et hoc[4] capitulum intelligatur de ciuibus ciuitatis Spalati; sed de forensibus committentibus maleficia contra ciues Spalatinos etiam post xv dies, ymo quandocunque possit accusatio fieri, dicto statuto aliquatenus non obstante.

Et hoc capitulum de accusatione, uel denuntiatione facienda infra dictos xv dies intelligatur de iniurijs et maleficijs et accusis calumnię[5], quas[6] et quę aliqua persona committeret contra aliquem uel[7] aliquam specialem personam et post offensas commissas contra aliquam specialem personam.

CAP. III. QUOD CRIMINALES CAUSE FINIANTUR INFRA MENSEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et offitiales[8] Spalati teneantur omnes processus criminales finire et terminare per sententiam infra unum mensem, computandum a die dictę accusationis uel denuntiationis, uel[9] factę aut formatę inquisitionis condemnando[10], uel absoluendo.

Et si ultra dictum terminum lata fuerit[11] aliqua sententia condemnatoria[12], uel absolutoria in causis criminalibus, non ualeat ipso iure, saluis illis casibus, in quibus propter absentiam princi-

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid.: „longum". [3] ibid.: „de". [4] Deest in cod. acad. A. [5] Cod. acad. B: „calumpnię". [6] Ap. Ljub.: „quascumque". [7] „aliquem uel" deest ibid. et in cod. acad. B. [8] Ap. Ljub.: „ciuitatis". [9] Deest ibid. [10] Cod. acad. B: „condempnando". [11] Deest ap. Ljub. [12] Cod. acad. B: „condempnatoria".

palis personę, aut propter absentiam testium dictus processus non posset infra dictum terminum legitime terminari.

CAP. IV. DE ORDINE IN MALEFICIJS OBSERUANDO[1].

Item statutum et ordinatum est, quod in processu maleficiorum talis ordo seruetur, uidelicet: quod siue procedatur per accusationem, siue per denuntiationem, siue per inquisitionem, citetur per riuarium, siue platearium[2] dicti[3] communis accusatus, denutiatus uel inquisitus, quod sequenti die post citationem personaliter compareat et comparere debeat coram domino potestate et curia, uel offitialibus dicti communis ad se excusandum et defendendum ab accusatione, uel[4] denuntiatione, uel inquisitione, quę fit contra eum.

Et si in termino dictę citationis non comparuerit, si personaliter fuerit citatus, elapso dicto termino per riuarium, siue platearium[5] dicti communis publice et alta uoce in platea dicti communis, quę est ante ecclesiam sancti Laurentij, ponatur in bando dicti communis, in quo bando terminus trium dierum sibi debeat assignari ad comparendum personaliter coram rectore et offitialibus dicti communis ad se excusandum et defendendum ab accusatione et denuntiatione, uel inquisitione prędicta.

Et si infra prędictum[6] terminum non comparuerit, tunc habeatur pro confesso et conuicto super maleficio, de quo proceditur contra eum et tamquam confessus et conuictus possit condemnari[7], computato ipso banno in condemnatione[8].

Si uero citatus in causa criminali non fuerit personaliter inuentus et aliquis suus consanguineus, coniunctus, amicus, uel[9] uicinus comparuerit infra terminum dicti bandi coram rectore uel offitialibus ciuitatis Spalati et allegauerit, quod dictus citatus est absens a ciuitate Spalati et districtu eius et de hoc fiat fides in iuditio, tunc rector seu offitiales dictę ciuitatis statuant terminum competentem secundum loci distanciam[10] ad comparendum ipsi citato personaliter in iuditio ad se excusandum et defendendum in dicta causa criminali.

Et si non comparuerit in dicto termino, tunc propter contumaciam eius habeatur pro confesso et conuicto et procedatur contra eum ad condemnationem[11] secundum pęnas, contentas in statuto dictę

[1] Ap. Ljub.: „seruando". [2] ibid.: „plazarium". [3] Deest ibid. [4] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [5] Cf. adn. 2 [6] Ap. Ljub.: „dictum". [7] Cod. acad. B: „condempnari". [8] ibid.: „condempnatione". [9] Deest ap. Ljub. [10] ibid.: „locum distantem". [11] Cod. acad. B: „condempnationem".

ciuitatis, nisi propter[1] infirmitatem, uel aliam iustam causam, quę legitime fuerit in iuditio comprobata, non potuerit in iuditio comparere.

Si uero se absentauerit post citationem de eo factam, tunc dicta dilatio sibi dari non debeat, nisi sola dilatio dicta trium dierum, quę in dicto bando fuerit assignata, quia si post citationem se absentauerit, pręsumendum[2] est, quod se absentauerit timore maleficij per eum commissi.

Si uero accusatus, denuntiatus, uel inquisitus infra terminum comparuerit personaliter, teneatur in continenti respondere et se excusare ab accusatione, uel denuntiatione, uel inquisitione, quę fit contra eum. Et siue neget, siue confiteatur, promittat et det fideiussores ydoneos de stando et comparendo mandato[3] domini potestatis et rectoris dicti communis et suę curię et de eo personaliter respondendo, quoties propterea fuerit requisitus et de soluendo omnem condemnationem[4], quę fieret de eo occasione accusationis, denuntiationis, uel inquisitionis prędictę. Et statuatur sibi terminus quinque dierum per rectorem et offitiales dicti communis ad omnes[5] defensiones faciendas[6].

Et testes possint in maleficijs recipi pręsente, uel absente accusato, denuntiato, uel inquisito, dum tamen dicta testium publicentur; et in publicatione debeat citari ille, contra quem testes sunt recepti ad hoc, ut ipse possit aperte et manifeste uidere, si maleficium est probatum uel[7] non probatum contra eum; et in publicatione testium statuatur per curiam, seu rectorem, uel offitiales ciuitatis Spalati terminus trium dierum illi, contra quem testes sunt recepti ad accipiendum copiam ipsorum testium et ad opponendum et[8] probandum[9] omnes legitimas exceptiones, propter quas dicta et testimonia ipsorum testium non ualeant contra eum, contra quem dicti testes sunt recepti.

Dicto autem tempore elapso potestas et curia seu offitiales dictę ciuitatis infra dictum terminum[10] et usque ad dictum mensem completum procedant ad condemnationem[11] uel ad absolutionem pro-

---

[1] Ap. Ljub.: „per". [2] Cod. acad. B: „pręsumendus". [3] ibid. et ap. Ljub.: „mandatis". [4] Cod. acad. B: „condempnationem". [5] ibid.: „suas". [6] Ap. Ljub.: „omnem suam defensionem faciendam". [7] Cod. acad. A: „et". [8] Deest ibid. [9] Ap. Ljub.: „opponendum et allegandum et prob." [10] ibid.: „mensem". [11] Cod. acad. B: „condempnationem".

ut[1] eis[2] rationabiliter uidebitur procedendum, nisi propter absentiam principalis, uel testium dictus processus infra dictum mensem non potuerit terminari.

CAP. V. IN QUIBUS MALEFICIJS QUIS DEBEAT PERSONALITER DETINERI.

Item statutum et ordinatum est, quod in omnibus maleficijs, in quibus aliquis esset personaliter tantummodo puniendus siue in corpore, siue in abscisione alicuius membri, debeat personaliter detineri uel in carcere[3] dicti communis, uel in alio loco, ubi uidebitur potestati et suę curię et offitialibus ciuitatis Spalati[4] debere[5] personaliter[6] custodiri et ad expensas custoditę personę, inspecta conditione personę et qualitate criminis usque ad cognitam rationem et quousque testes sint recepti contra eum. Itaque, si probaretur maleficium contra eum, de quo esset personaliter puniendus, possit personaliter puniri, ut postulat ordo iuris. Si uero esset tale maleficium, de quo non esset quis personaliter puniendus[7], si uult dare et det fideiussores ydoneos, ut est dictum, non detineatur personaliter.

CAP. VI. DE CONFESSIONE IN MALEFICIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis sit accusatus, uel denuntiatus de aliquo maleficio, aut per inquisitionem procederetur contra eum: et ipse accusatus, uel denuntiatus uel inquisitus a principio, quando se excusat uel respondet ipsi accusationi, denuntiationi uel inquisitioni, confiteatur maleficium; tunc propter dictam confessionem et de maleficio, quod confessus fuerit, debeat in condemnationem[8] sibi minui quarta pars eius, quod deberet condemnari de ipso maleficio, ut propter suam confessionem dictum maleficium consequatur.

CAP. VII. DE PACE FACTA[9] IN MALEFICIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si de aliquibus maleficijs pax et concordia fuerit inter partes et ipsa pax ostendatur et presentetur curię in forma publica infra quinque dies post excusa-

---

[1] Cod. acad. A: „pro". [2] Ap. Ljub.: „sibi". [3] ibid.: „carceribus". [4] ibid.: „dicti communis". [5] Deest ibid. [6] ibid.: „detineri et". [7] Verba: „possit personaliter" usque ad: „puniendus" desunt ap. Ljub. [8] Cod. acad. B: „condempnatione". [9] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub.

tionem[1]: uel accusator, uel denuntiator, uel ille, qui recipit iniuriam uel offensam, compareat coram curia et faciat pacem illi, qui dicitur maleficium commisisse. Illa pax debet[2] scribi in actis per notarium actorum, dicendo breuiter: talis fecit pacem[3] de tali iniuria uel offensa et accusatione uel inquisitione, propter quam proceditur contra eum.

Tunc propter talem pacem sic factam pęna sibi debeat minui, scilicet quarta pars de eo, de quo esset aliquis condemnandus[4].

Et quod dictum est in accusatione et denuntiatione, idem etiam et in inquisitione debeat obseruari.

CAP. VIII. DE MALEFICIJS COMMISSIS EXTRA CIUITATEM SPALATI[5].

Item statutum et ordinatum est, quod pęnę et banda omnia debeant dimidiari in omnibus maleficijs, quę committuntur extra muros et ianuas ciuitatis Spalati[6], prętęr quam in homicidio, tradimento, derobatione stratarum et infractione et debilitatione membri et omnibus maleficijs, in quibus sanguis fuerit ex percussionibus armorum; in quibus uolumus prędictas pęnas integras[7] locum habere.

CAP. IX. DE MALEFICIJS, QUE PROBANTUR PER UNUM TESTEM.

Item statutum et ordinatum est, quod in omnibus maleficijs, si maleficium probatur per unum testem tamen[8] ydoneum; ille, contra quem dictum maleficium est probatum per unum testem, debeat condemnari[9] in medietate pęnę, in qua condemnaretur[10], si maleficium esset probatum legitime contra eum.

CAP. X. DE MALEFICIJS COMMISSIS PER MULIERES INTER SE.

Item statutum et ordinatum est, quod si mulier aliqua[11] commiserit aliquod maleficium contra aliam[12] mulierem, puniatur in medietate pęnę et bandi, quod uel qua[13] masculus puniretur, si dictum maleficium commisisset.

---

[1] Cod. acad. B: „excusas". [2] ibid.: „debeat". [3] Verba: „qui dicitur" usque ad: „pacem" desunt ap. Ljub. [4] Cod. acad. B: „condempnandus"; ap. Ljub.: „condemnatus". [5] „Spalati" deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [6] Cod. acad. B: „prędictę". [7] Ap. Ljub.: „integre". [8] Cod. acad. B: „testem". [9] ibid.: „condempnari". [10] ibid.: „condempnaretur". [11] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [12] Ap. Ljub.: „aliquam". [13] Cod. acad. A: „quam".

CAP. XI. DE MALEFICIJS COMMISSIS INTER CLERICOS ET LAYCOS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis laycus habuerit aliquam rixam cum aliquo clerico, uel persona ecclesiastica, in qua rixa interuenerint offensiones, siue uerbis, siue factis et clericus accusauerit laycum in curia sęculari et laycus accusauerit clericum in curia domini archiepiscopi[1]: si probatum fuerit maleficium contra clericum, quod donec clericus de dicto maleficio non fuerit condemnatus[2] per dominum archiepiscopum Spalati, uel eius curiam et fuerit facta executio condemnationis[3] contra eum, quod curia sęcularis ciuitatis Spalati non possit, nec debeat procedere contra eum, talem laycum[4] masculum uel fęminam offendentem clericum. Et si procederetur, tam processus, quam sententia non ualeat ipso iure, nec debeat mandari executioni.

Sed postquam clericus fuerit condemnatus[5] et exacta fuerit condemnatio[6] contra eum per curiam domini archiespiscopi et de hoc fuerit facta plena fides in curia domini potestatis Spalati; tunc demum potestas et curia et offitiales ciuitatis Spalati infra xv dies postea sequentes teneantur procedere contra eum laycum offendentem clericum, prout de iure et secundum formam statuti[7] dictę ciuitatis fuerit procedendum.

Et si in una et eadem rixa, quę esset inter clericum et laycum clericus fuerit inceptor rixę facto, non uerbis; ut puta percutiendo manibus uel armis laycum: si in eadem rixa ab eodem layco fuerit clericus offensus uel percussus, nullo modo talis laycus puniatur.

Et illa pęna, quam dictus dominus archiepiscopus facit clerico de maleficijs, quę committuntur contra laycos, eadem pęna inferratur laycis, committentibus maleficia contra clericos, habita tamen semper distinctione personarum nobilium hominum ciuitatis Spalati ad uillanos, ut in statuto Spalati plenius continetur; ita tamen, quod si nobilis committeret maleficium contra clericum minorem eo, uel parem, nullo modo propter hoc ualeat carcerari, sed cum ydoneis testibus fideiussoribus debeat relaxari.

CAP. XII. DE UERBIS INIURIOSIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis dixerit contra aliquem uerba iniuriosa, ut puta: tu non dicis uerum et tu men-

---

[1] Ap. Ljub.: „Spalati". [2] Cod. acad. B: „condempnatus". [3] ibid.: „condempnationis". [4] Deest ap. Ljub. [5] Cf. adn. 2) [6] ibid.: „condempnatio". [7] Ap. Ljub.: „statutorum".

tiris, uel tu es stultus, aut similia uerba leuioris iniurię, puniatur in xx^ti soldis; ita tamen, quod inceptor malorum uerborum puniatur in duplum; et pręsumatur uerbum iniuriosum, quotiescumque dicitur aliquod[1] uerbum alicui, quod ex sui natura importet iniuriam.

Si uero aliquis dixerit contra aliquem aliqua uerba iniuriosa et maioris iniurię, ut puta: rauoliosus et proditor, falsator, fur, latro, uel similia, puniatur in xl soldis.

Si uero dicta uerba iniuriosa dicta fuerint coram rectore uel offitialibus dictę ciuitatis, uel in palatio dicti communis, puniatur delinquens in duplum.

Et si[2] aliqua mulier ignobilis, uel malę famę dixerit uerba iniuriosa alicui nobili mulieri, soluat pro bando decem libras.

Et si aliquis ignobilis dixerit alicui nobili uerba iniuriosa, soluat pro bando centum soldos. Et si aliquis ignobilis condemnatus[3] fuerit pro aliquo uerbo iniurioso dicto alicui nobili et ipsam condemnationem[4] nequiuerit soluere, uel non potuerit soluere, uel distulerit soluere infra unum mensem a die latę sententię computandum, quod post dictum mensem fustigetur per totam ciuitatem et burgum: dummodo in ipsa sententia contra eum[5] lata, ipsa fustigatio nullatenus inseratur, sed pro sententia lata et inserta in ipsa sententia habeatur et intelligatur et executio fieri possit per rectorem ex uigore et auctoritate pręsentis statuti, non obstante, quod in ipsa sententia fustigatio non fuerit similiter declarata.

Et si aliquis nobilis homo, uel aliqua nobilis mulier dixerit alicui nobili uerba iniuriosa, soluat pro bando quadraginta soldos.

CAP. XIII. DE INSULTU.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis fecerit insultum contra aliquem sine armis uel[6] sine collecta hominum, puniatur in xl soldis. Si uero cum collecta duorum hominum, uel plurium et sine armis, puniatur in centum soldis. Si uero quis fecerit insultum contra aliquem cum armis et sine collecta hominum, puniatur in decem libris pro solo insultu. Si uero cum armis et cum collecta duorum uel plurium[7], propter personam insultantis in xx^ti libris puniatur. Si uero in dicto insultu aliquem offenderit cum armis uel

---

[1] Cod. acad. A: „aliud". [2] Deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. B: „condempnatus". [4] ibid.: „condempnationem". [5] Deest ap. Ljub. [6] Cod. acad B et ap. Ljub: „et". [7] Ap. Ljub.: „hominum".

sine armis, tunc pręter pęnam insultantis puniatur pro percussione et offensa tunc secundum pęnas inferius declarandas.

Et apellatione armorum[1] intelligantur etiam fustes, baculi et lapides et omnis alia materia, cum qua quis grauiter offendi posset. Et similiter insultus intelligatur et pręsumatur, quoties quis irato animo iuerit et mouerit se de uno loco ad alium locum contra aliquem, cum quo haberet uerba, uel facta iniuriosa.

Si uero aliquis fecerit insultum ad domum habitationis alicuis, uel ad possessionem propriam alicuius, uel quia haberet ad laborandum ab aliquo, uel in palatio communis, uel coram potestate, uel uicario, uel rectore dictę ciuitatis: tunc pęna insultantis[2] debeat duplicari. Et quicumque associauerit aliquem ad faciendum insultum, puniatur in medietate pęnę illius, qua punitur principalis de dicto insultu; sed pro offensione quilibet eorum puniatur secundum pęnas, declaratas in pręsenti uolumine statutorum.

Et idem dicimus de omnibus et singulis maleficijs, quę comittentur in palatio communis Spalati, uel coram potestate, seu rectore dictę ciuitatis, quod pęnę debeant duplicari.

CAP. XIV. DE PENIS IMPONENDIS SECUNDUM FORMAM STATUTI[3].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rectores[4] et offitiales dicti communis teneantur uinculo sacramenti et debeant facere condemnationes[5] in causis criminalibus et pęnas imponere secundum quod sunt ordinatę pro[6] singulis maleficijs in pręsenti uolumine statutorum[7] et non plus neque minus.

Et si[8] in plus uel minus condemnarent[9], quam contineat forma pręsentis statuti[10], semper pęna et condemnatio[11] reducatur ad illam summam, quę in pręsenti uolumine statutorum plenius continetur.

Et dictum[12] commune non teneatur, nec debeat aliquod restituere, uel satisfacere condemnato[13], et quod[14] si potestas uel rector, qui pro tempore fuerit, in condemnando[15] et absoluendo excesserit formam statutorum, contentorum in pręsenti uolumine statutorum[16] et

---

[1] Cod. acad. A et B: „armarum". [2] Ap. Ljub.: „insultus". [3] ibid.: „statutorum". [4] ibid.: „rector". [5] Cod. acad. B: „condempnationes". [6] Ap. Ljub.: „omnibus et". [7] ibid.: „contentis". [8] Deest in cod. acad. A. [9] Cod. acad. B: „condempnarent". [10] Ap. Ljub.: „pręsentium statutorum". [11] Cod. acad. B: „condempnatio". [12] ibid. et ap. Ljub.: „quod". [13] Cod. acad. B: „condempnato". [14] Deest ap. Ljub. [15] Cod. acad. B: „condempnando". [16] Deest ap. Ljub.

siue in maiori, siue in minori quantitate, teneatur et debeat refundere et satisfacere de suo proprio totum, quod excederet formam statutorum prędictorum communi, uel condemnato[1], prout excessisse reperiretur.

CAP. XV. DE IMPROPERATIONE ALICUIUS INIURIE.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis reimproperauerit[2] alicui aliquam iniuriam uel offensam sibi factam, uel alicui de sua cognatione, uel uxori, uel marito, uel alicui ex linea ascendenti uel descendenti, uel etiam ex linea transuersali consanguinitatis, uel affinitatis usque in tercium gradum et tam reimproperatio[3], quam maleficium reimproperatum sit probatum in iudicio, puniatur in qualibet uice in decem libris.

CAP. XVI. DE PERCUSSIONIBUS ET ALIJS OFFENSIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis manum contra aliquem irato animo leuauerit et aminauerit, licet non percusserit, puniatur in quadraginta soldis. Si uero baculum, uel cipellum uel aliud lignum in manibus habuerit, quando aminauerit, puniatur in v libris.

Et prędicta locum habeant, si ad iniuriam alicuius aliquid eorum factum fuerit et intelligatur ad iniuriam factum esse.

Si quis uero manu, uel pede, uel leui arundine, uel corriga, uel lapide, uel similibus aliquem percusserit in aliqua parte corporis, pręter in uultu; pro qualibet percussione nobilis ad nobilem puniatur in decem libris. Si uero ignobilis percusserit ignobilem, puniatur in quinque libris paruorum. Si autem ignobilis percusserit nobilem, puniatur in xx libris, nec possit allegare, quod continuato tempore id factum sit; si uero in uultu, duplicetur pęna.

Sed si ex percussione sanguis, uel liuor fuerit[4], si fuerit nobilis et percusserit nobilem, puniatur in xx^{ti} libris; et si ignobilis[5] percusserit ignobilem, puniatur in decem libris; et si ignobilis percusserit nobilem cum manu, pede, lapide, corriga, uel leui arundine cum sanguine uel liuore et condemnationem[6] de se factam occasione dictę percussionis soluere nequiuerit, uel non poterit[7], uel distulerit infra unum mensem a die latę sententię computando[8]: quod

[1] Cod. acad. B: „condempnato". [2] Cod. acad. A: „repropreraueri". [3] ibid.: „reproperatio". [4] Deest in cod. acad. A. [5] Ap. Ljub.: „nobilis". [6] Cod. acad. B: „condempnationem". [7] Ap. Ljub.: „poterit". [8] ibid.: „computandum".

manus sibi amputetur, dummodo in sententia contra eum lata amputatio nullatenus inseratur, tacite tamen in ipsa sententia ipsius manus amputatio intelligatur, ac si in ipsa sententia expressum fuisset: et executio possit fieri per rectorem ex uigore et auctoritate pręsentis statuti, non obstante, si non fuerit in dicta sententia dictę manus amputatio declarata. Et si ignobilis percusserit ignobilem, puniatur in decem libris.

Si uero aliquis[1] percusserit aliquem cum baculo, uel cum quocumque alio ligno, in quo ferrum non fuerit; si ex percussione sanguis, uel liuor, uel ossis fractio, uel membri debilitatio non fuerit: si fuerit ignobilis, qui percusserit nobilem, puniatur in quinquaginta libris.

Et idem ut supra intelligatur et obseruetur in omnibus et per omnia, si prędictus ignobilis percusserit nobilem aliquem cum ligno, uel baculo, uel quocumque[2] alio ligno, in quo ferrum non fuerit, si ex ipsa percussione sanguis, uel liuor, uel ossis fractio, uel membri debilitatio non fuerit. Et si nobilis percusserit ignobilem, puniatur in x libris et si nobilis percusserit[3] nobilem, puniatur in xxv libris; et si ignobilis percusserit ignobilem, puniatur in xx[ti] libris.

Si uero sanguis uel[4] liuor aut ossis fractio, uel membri debilitatio sequuta fuerit, puniatur[5] pro sanguine et liuore in quinquaginta libris, pro alijs in centum libris: et hoc locum habeat de nobili ad nobilem.

Ex si aliquis irato animo contra aliquem extraxerit, siue euaginauerit in aliqua rixa cultelum, spontonem, spatam, stochum[6]: pro sola extractione et euaginatione condemnetur[7] in quinque libris. Si uero aminauerit cum dictis armis, uel aliqua ipsarum contra aliquem, licet non percusserit, in quindecim libris condemnetur. Si uero cum dictis armis, uel aliqua eorum aliquem percusserit in aliqua parte corporis, si cum plaga et sanguinis effusione, condemnetur in centum libris; si sine[8] sanguine et plaga in xxv libris condemnetur et hoc de nobili ad nobilem. Si uero ignobilis nobilem[9]: si cum plaga[10] et sanguine, in ducentis libris communi irremissionabiliter

---

[1] Cod. acad. B: „quis". [2] Ap. Ljub.: „quoque". [3] Ver ba „ignobilem — percusserit" desunt in cod. acad. A. [4] Cod. acad. A „et". [5] Deest in cod. acad. A. [6] Cod. acad. B: „extochum"; ap. Ljub.: „siue stodium". [7] Cod. acad. A et B: „condempnetur". [8] Deest in cod. acad. B. [9] ibid.: „percusserit". [10] ibid: „percusserit".

condemnetur, si sine plaga[1], in centum libris. Si uero ignobilis percusserit ignobilem cum plaga et sanguinis effusione, in quinquaginta libris condemnetur. Si uero nobilis percusserit ignobilem, in medietate pęnę de centum et quinquaginta libris condemnetur.

CAP. XVII. DE HOMICIDIO ET DEBILITATIONE MEMBRI.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis aliquem percusserit cum ense, cultello, lancea, uel spontone, uel similibus, ita quod per ussus inde mortuus fuerit, uel qui[2] opem ad prędicta dederit, puniatur capite, si capi poterit et si non poterit capi, ducentas libras quilibet eorum persoluat et eorum omnia bona deuastentur et semper sint inculta et deserta et communi applicentur, ubicumque inuenirentur in districtu huius ciuitatis et extra; prętereа in ciuitate non reuertantur, donec acceperint quietationem a propinquioribus, parentibus, seu consanguineis interfecti; in quo casu restituantur ei bona culta et inculta, solutis primo communi ducentis libris. Et prędicta locum habeant perpetuo in homicidijs factis et faciendis inter terrigenas huius ciuitatis.

Si uero idem non perierit, sed membri alicuius habilitatem perdiderit, puniatur in centum libris. Et si in uultu plagam fecerit, duplicetur pęna.

CAP. XVIII. DE NOBILI INTERFICIENTE POPULAREM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis nobilis interfecerit aliquem popularem, soluat heredi, uel propinquis ipsius centum libras et tantumdem communitati. Quod si non soluerit infra decem dies, pęna capitis puniatur.

CAP. XIX. DE SPINTA ET ALIJS MALEFICIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis aliquem iniuriose[3] per pannos, uel quamcumque partem[4] corporis ceperit, pro qualibet uice puniatur in xl soldos; si pannos lacerauit, pro captione et laceratione puniatur in quinque libras[5]; si traxerit eum mouendo, in decem libris puniatur.

Si quis ailquem iniuriose spinxerit, pro qualibet uice puniatur in xl soldis; si uero impulsus uel tractus inde ceciderit, pro impulsu

---

[1] Verba: „in ducentis — plaga“ desunt in cod. acad. B. [2] Deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. B: „et“. [4] Ap. Ljub.: „quacunque parte“. [5] ibid. desunt verba: „si pannos — libras“.

et casu[1] puniatur in quinque libris; sed si, postquam ceciderit, impulsor uel tractor iuerit supra eum, duplicetur pęna.

Si uero ex tali offensa alicui uiro uel mulieri capitis hornamenta ceciderint, prętęr dictam pęnam puniatur in decem libris nobilis ad nobilem; si fuerit ignobilis ad ignobilem, in xl soldis; si ignobilis ad nobilem in xx^ti libris.

Si quis[2] lutum uel aliquod turpe in aliquem iniuriose proiecerit, si non percusserit, in soldos centum paruorum puniatur, habita semper distinctione uultus ad alias partes corporis; et si in uultu[3] percusserit, duplicetur pęna.

Si quis aliquem per capillos traxerit et ceperit, puniatur in decem libris; et si traxerit eum per terram, in decem libris[4], uidelicet nobilis ad nobilem; et nobilis ad ignobilem in quadraginta soldis; et si ignobilis nobilem, in xxv libris. Et si ignobilis ceperit per capillos ignobilem, condemnetur in quinque libris. Si uero per capillos et per terram traxerit, in decem libris condemnetur.

CAP. XX. DE PERCUSSIONIBUS SUPER TABULATUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis percusserit aliquem super tabulatum uel scutum, uel super aliud, quod quis teneret in manu et ratione illius percussionis tabulatum uel scutum, uel aliud, quod quis teneret in manu, daret in caput, uel in uultum[5] uel in aliud membrum, ita quod uulnus faceret, uel sanguis[6] exiret, talis percussor puniatur secundum pęnas contentas in prętęsenti uolumine statutorum, ac si directe eum in persona offendisset.

CAP. XXI. DE OSTENDENTIBUS INSTRUMENTA AD EUADENDUM[7] MALEFICIA.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis commiserit homicidium, uel aliud maleficinm, propter quod bona sua deberent destrui et publicari communi Spalati et post maleficium commissum aliquis ostenderet aliquod instrumentum, in quo contineretur, se ante dictum maleficium commissum emisse aliquam rem de bonis dicti malefactoris, quod si dictus malefactor rem illam publice ac palam habebat, tenebat et possidebat tempore commissi[8] dicti maleficij, et ante quod tale instrumentum habeatur pro uitioso, ficticio et fraudulento et nullius ualoris.

---

[1] Cod. acad. B: „tractu". [2] Ap. Ljub.: „uero"; cod. acad. B: „enim". [3] Deest in cod. acad. A. [4] „et si — libris" deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. A: „uultu". [6] Ap. Ljub.: „sanguisue". [7] ibid.: „euadenda". [8] Deest ibid.

CAP. XXII. QUOD DE SIMILIBUS AD SIMILIA PROCEDATUR.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis commiserit aliquod maleficium contra aliquem, de quo non esset aliqua pęna ordinata in uolumine pręsentium statutorum, tunc procedatur ad impositionem pęnę de dicto maleficio de similibus ad similia, inspecta conditione personę et qualitate facti.

Et rector semper procedat magis in alleuiando, quam in agrauando[1] pęnas[2].

CAP. XXIII. DE DIUERSIS PENIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si de aliquo maleficio in pręsenti nolumine statutorum reperirentur diuersę pęnę, semper rector imponat minorem pęnam et non maiorem.

CAP. XXIV. DE DIUERSIS ET CONTRARIJS STATUTIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si in pręsenti uolumine statutorum essent aliqua statuta contraria uel diuersa, uel essent ibi aliqua uerba obscura uel ambigua, semper interpretatio fiat et fieri debeat in benigniorem partem et magis in alleuiando, quam in agrauando, uel in condemnando, omni subtilitate malitię remota.

CAP. XXV. DE CONUENTICULIS ET CONSPIRATIONIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod cum dicatur[3], quod quidam audaces faciunt conspirationes, conuenticula et[4] societates ad mala committenda, statutum et ordinatum est, quod quicumque fecerit societates[5], conspirationes, coniurationes et conuenticula ad faciendum et pręstandum sacramentum inter se unus pro alio, aut ad rapiendum mulieres, aut ad alia maleficia committenda; quod quilibet eorum puniatur pro sola tali conuenticula et coniuratione uel conspiratione in quinquaginta libris. Et si aliquod aliud maleficium committeret, puniatur de maleficio secundum pęnas contentas in pręsenti uolumine statutorum.

Et de prędictis rector, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate, possit inquirere, dum tamen non excedat in condemnando pęnas contentas in statuto.

---

[1] Cod. acad. B: „grauando". [2] Deest ap. Ljub. [3] ibid.: „dicitur". [4] „conuenticula et" deest ibid. [5] ibid. et cod. acad. B: „societatem".

CAP. XXVI. QUOD LABORATOR NON PERDAT PARTEM DE[1] BONIS HOMICIDE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis commiserit homicidium uel maleficium aliud, propter quod bona sua[2] destrui, uel publicari communi Spalati deberent[3] et aliquis colonus, uel laborator laborauerit, donec percipiat suam partem de dictis bonis, seu de fructibus, quos debet habere pro dicto laborerio, uel fiat extimacio, fructuum et secundum quod fructus fuerint extimati tantumdem commune satisfaciat laboratori; et postea[4] commune de dictis bonis faciat uelle suum.

Similiter si uxor esset usufructuaria bonorum sui mariti et filius, uel filia aut heredes defuncti committerent aliquod maleficium propter quod bona deberent destrui uel[5] publicari communi Spalati, tunc ante commune prouideat mulieri, quod possit commode habere alimenta usque in[6] mortem suam; et tunc de bonis faciat commune quicquid uult, aut bona non destruantur uiuente uxore ita, quod uxor de dictis bonis possit possidere thorum suę uiduitatis et se alimentare de dictis bonis.

CAP. XXVI. DE HABENTIBUS DOMUM UEL TURRIM COMMUNEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqui habeant aliquam domum communem et unus habet[7] partem superiorem et alter habet[8] partem inferiorem et ille, qui habet partem inferiorem, committeret aliquod maleficium, propter quod bona sua deberent destrui, uel publicari communi Spalati: tunc aut commune non destruat partem inferiorem, uel per[9] bonos et legales homines faciat extimari partem superiorem et quantum fuerit extimata, dare debeat illi, cuius est pars superior et postea de tota domo commune faciat quicquid uult, quia alteri per alterum iniqua[10] conditio non debeat afferi[11].

Et idem statuimus et censemus in illis, qui habent aliquam turrim, uel domum communem, quę commode non possent diuidi[12]: si alter ex socijs dicta maleficia committeret, tunc procedi debeat ad extimationem et satisfactionem faciendam illi consorti, qui non commisit maleficium, prout superius est expressum.

---

[1] Ap. Ljub.: „in“. [2] Cod. acad. B: „debeant“. [3] Deest ibid. [4] ibid.: „pręterea“. [5] ibid.: „et“. [6] Ap. Ljub.: „ad“. [7] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „habeat“. [8] ibid. e. m. [9] Deest ap. Ljub. [10] Cod. acad. A: „unquam“. [11] ibid.: „auferri“. [12] Cod. acad. B: „uendi“.

CAP. XXVIII. DE BLASPHEMANTIBUS DEUM ET SANCTOS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus audeat blasphemare, seu maledicere deum uel sanctos suos dicendo: maledictus sit Deus, uel beata uirgo, uel alij sancti, uel similes blasphemias. Et qui contrafecerit, in decem libris pro qualibet uice debeat condemnari. Et cuilibet sit licitum denuntiare uel accusare et habeat medietatem banni.

CAP. XXIX. DE MUTATIONE NOMINIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus audeat sibi mutare nomen suum, cum[1] ab eo quęritur de suo nomine per rectorem uel offitiales communis Spalati, sed debeat eis dicere uerum et consuetum nomen suum, ne sub mutatione nominis possit pęnam uitare de aliquo maleficio per eum commisso. Et qui contra fecerit, in xxv libris debeat condemnari.

CAP. XXX. DE OFFENSIBUS FACTIS INTER FAMILIARES.

Item statutum et ordinatum est, quod si pater uel mater correxerit, uel[2] castigauerit[3], uel percusserit aliquem ex suis in linea descendentibus, uel dominus siue domina percusserit ex[4] seruis uel ancillis, siue cum sanguinis effusione, siue non, quod ad pęnam aliquam nullatenus teneatur. Et similiter si dominus uel domina percusserit aliquem ex seruitoribus[5], quos haberent[6] in conductu ad certam mercedem, si sanguinem de ore, uel de nasu[7] ex aliqua percussione extraxerit, quod in aliquo non teneantur[8]. Et similiter seruientes et famuli, si inter se percusserint, quod in eisdem intelligantur omnia et singula supradicta.

CAP. XXXI. DE RIXA FACTA IRTER CIUEM ET FORENSEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis Spalatinus habuerit rixam cum aliquo forense et dictus Spalatinus fuerit accusatus a dicto forense[9] et Spalatinus petat, quod dictus forensis non debeat ydonee satisdare, uel facere cautum et securum[10] massarium communis Spalati de stando iuri et de respondendo cum

---

[1] Cod. acad. B: „siue cum“. [2] Deest in cod. acad. B. [3] „uel castig.“ deest ap. Ljub. [4] Cod. acad. B: „ex suis“. [5] ibid.: „suis“. [6] Ap. Ljub.: „haberet“. [7] ibid.: „ex naso“. [8] ibid.: „teneatur“. [9] Verba: „et dictus“ usque ad: „forense“ desunt ap. Ljub. [10] Deest in cod. acad. A et ap. Ljub.

effectu dicto ciui Spalatino coram rectore ipsius[1] ciuitatis, quod dictus forensis teneatur dictam cautionem et satisdationem facere et pręstare, alias non audiatur contra ciuem Spalatinum super accusatione et denuntiatione prędicta.

Et quicumque habitator fuerit in ciuitate per tres annos continuos, pro forense in criminalibus causis minime habeatur et ad cautionem in dicto statuto contentam[2] pręstandam nullatenus teneatur.

CAP. XXXII. DE FORENSIBUS OFFENDENTIBUS CIUES SPALATI[3].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis forensis percusserit, uel offenderit ubique[4] locorum aliquem ciuem ciuitatis Spalati, si sine armis, tunc[5] sine armis possit impune percuti et offendi a dicto ciue Spalatino et a suis consanguineis[6].

Et si dictus forensis in quocumque loco percusserit[7] cum armis et sine sanguine[8], dictus forensis[9] possit impune percuti et offendi a dicto ciue Spalatino et a suis consanguineis.

Et si dictus forensis percusserit cum armis et cum sanguinis effusione aliquem ciuem Spalatinum, tunc dictus forensis cum armis et cum sanguinis effusione possit impune percuti et offendi a dicto ciue Spalatino et a suis consanguineis; dummodo ille[10] ciuis, qui offenderit forensem, legitime probet coram rectore Spalati, quod forensis prius percusserit dictum ciuem[11].

Et generaliter de omni offensione reali et personali, quę fieret[12] per forensem contra ciuem Spalatinum hoc statutum debeat inuiolabiliter obseruari.

CAP. XXXIII. DE PERCUSSIONIBUS CUM FORFICIBUS, UEL[13] ACU, UEL SIMILIBUS[14].

Item statutum et ordinatum est, quod si quis percusserit aliquem cum forficibus ferreis, ita quod ex uno ictu fecerit duas percussiones; si ambę erunt cum sanguine, pro qualibet percusione puniatur se-

---

[1] Cod. acad. B: „huius". [2] ibid.: „faciendam et". [3] ibid.: „Spalatinos". [4] Ap. Ljub: „ubicumque". [5] ibid. et cod. acad. B: „et tunc". [6] Cod. acad. B: „possit eum percutere et offendere dictus ciuis Spalatinus et eius consanguinei". [7] Deest in cod. acad. A et B. [8] Ap. Ljub.: „cum sanguinis effussione". [9] „dictus forensis" deest ibid. [10] Cod. acad. B: „dictus". [11] ibid.: „Spalatinum". [12] Cod. acad. A: „fient". [13] Deest ap. Ljub. [14] Deest in cod. acad. B.

cundum pęnas superius declaratas. Si uero sine sanguine, pro una percussione tantum[1] puniatur.

Si uero aliquis aliquem percusserit cum aliquo alio[2] genere armorum, uel cum acu, uel cum anulo, quem quis tenet in manu, uel similibus, ex quibus modica lęsio fieret, tunc in talibus temperetur pęna secundum prouidentiam[3] rectoris et offitialium[4] Spalati, considerata conditione personę et qualitate facti.

CAP. XXXIV. DE FURTIS, UIOLENTIJS ET TRUNCATIONIBUS BURSARUM ET ROBATORIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis furtum fecerit alicui usque ad quantitatem decem soldorum, puniatur in centum soldis; si uero res furata ualuerit usque ad quantitatem decem soldorum condemnetur malefactor in decem libris; si uero ualuerit ultra decem soldorum[5] usque ad xx^ti soldos, condemnetur malefactor in xxv libris. Si uero res furata ualuerit ultra xx^ti soldos usque ad xl soldos, condemnetur in quinquaginta libris, abinde uero supra, si res ualuerit ultra xl soldos[6], condemnetur arbitrio potestatis, inspecta conditione personę et qualitate facti. Et cogatur summarie, sine libello et sine strepitu et figura iuditij emendare damnum ei, qui passus est furtum, uel uiolentiam in duplum, satisfatiendo[7] de dicto damno.

Et dictarum rerum extimatio fiat per illum, qui passus est damnum cum iuramento ipsius; et si talis malefactor dictam condemnationem soluere non posset, in persona puniatur arbitrio rectoris siue in incidendo[8] et mutilando sibi manum uel pedem, uel aliter in corpore puniatur, prout ipsi rectori uidebitur conuenire, inspecta conditione personę et qualitate facti.

Et si dictus fur uel raptor consueuerit plus ultra duas uices talia mala committere, furchis[9] suspendatur, ita quod penitus moriatur.

Similiter robatores stratarum et illi, qui consueuerunt aliquos derobare in stratis et uijs publicis, uel piratę in mari et habeant famam seu infamiam de prędictis, furchis suspendantur, ita quod

---

[1] Cod. acad. B: „tantummodo". [2] Deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. B: „potestatis et". [4] ibid.: „dictę ciuitatis". [5] Ap. Ljub.: „solidos"; in cod. acad. B deest: „decem soldorum". [6] Verba: „condemnetur — ultra xl soldos" desunt in cod. acad. B. [7] ibid.: „satisfacere". [8] ibid.: „cedendo". [9] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „per gulam".

penitus moriantur et ad dictam emendationem damnorum perpetuo teneantur.

Truncatores autem bursarum puniantur arbitrio potestatis et ad similitudinem dictorum furtorum, inspecta conditione personę et qualitate facti. Si autem aliquis acceperit per uim rem mobilem, ualentem usque ad quantitatem quinque soldorum, condemnetur in xl[1] soldis; abinde supra condemnetur in decem libris et emendet damnum.

CAP. XXXV. DE INCENDIARIJS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis studiose et malo animo miserit ignem in aliqua domo, causa ipsam domum comburendi in ciuitate Spalati, uel in burgo[2] dictę ciuitatis: igne[3] comburatur ita, quod penitus moriatur. Si uero extra ciuitatem in loco habitationis hominum dictum ignem in aliqua domo uel blado immiserit studiose et malo modo, puniatur usque ad trecentas libras et in minori quantitate ad arbitrium rectoris, considerata conditione personę et qualitate facti.

Si uero uineam aliquam inciserit, similiter usque ad quinquaginta libras condemnetur et in minori quantitate, si studiose prędicta non fecerit, inspecta conditione personę et qualitate facti.

Si uero in aliena blada malitiose quis ignem miserit, soluat bannum centum librarum et plus et minus, inspecta conditione personę et qualitate facti.

Et in omnibus dictis casibus emendet damnum patienti integre, cum effectu.

CAP. XXXVI. DE INTRANTIBUS DOMUM ALIENAM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis intrauerit domum alienam, propriam uel conductam, contra uoluntatem habitatoris; si de die, pro solo introitu condemnetur in decem libris et si de nocte, duplicetur pęna.

Si quis hostium fregerit domus alicuius per uiolenciam, si de die, condemnetur in xx[ti] libris et si de nocte, etiam duplicetur pęna.

Si uero maleficium perpetraret in dicta domo, puniatur etiam in maleficio secundum pęnas, contentas in pręsenti uolumine statutorum.

---

[1] Ap. Ljub.: „quinquaginta“. [2] Cod. acad. B: „burgis“.
[3] Deest in cod. acad. A.

CAP. XXXVII. DE ADULTERIJS ET UIOLATORIBUS MULIERUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis corruperit, uel[1] carnaliter cognouerit aliquam uirginem, uel sanctimonialem, uel nuptam mulierem, uel uiduam; si talis mulier sit bonę famę et bonę opinionis, in ducentis libris puniatur. Et semper intelligatur corruptio, si per uim cognouerit aliquam ex fęminis et mulieribus, in dicto statuto contentis.

Si uero fuerit alia[2] mulier honestę uitę, quę non fuerit uirgo, nec[3] sanctimonialis[4], nec nupta, nec uidua, in quinquaginta libris puniatur: si autem talis mulier cognita esset mulier[5] malę famę, tunc malefactor in decem libris puniatur.

Sed si quis per uiolentiam cognouerit publicam meretricem, in centum soldis puniatur.

Et nihilominus, qui corruperit aliquam uirginem, ultra dictam pęnam teneatur eam capere in uxorem et si noluerit eam capere in uxorem[6], teneatur eam dotare de tanta quantitate, quantum uerisimile esset, patrem suum sibi in dotem dare, ita quod conuenienter nubere possit, inspecta conditione personę patris dictę mulieris et ualore bonorum suorum.

CAP. XXXVIII. DE UXORATO RETINENTE AMASIAM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis uxoratus publice et palam in domo sua uel conducta retinuerit aliquam amasiam, drudam uel concubinam et de hoc facta fuerit quęrela per parentes, uel uxorem, uel fratres carnales ipsius uxoris; quod procedatur contra ipsam amasiam, drudam uel concubinam secundum pęnas in dicto statuto contentas coram potestate et rectore ciuitatis Spalati per consanguineos dictę uxoris; et si hoc probetur, quod talis concubina, amasia uel druda condemnetur in decem libris et omnino per pęnas et banna expellatur de ciuitate Spalati; et quod nunquam ad ipsam ciuitatem[7] redire possit.

Similiter si uxor alicuius commiserit adulterium et de hoc fit denuntiatio uel accusatio uel quęrela coram rectore dictę ciuitatis, per maritum tantum, tunc dicta mulier perdere debeat dotem suam et tota dos et omnia iura dotalia mulieris applicentur marito suo,

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „et". [2] ibid.: „alias". [3] Cod. acad. B: „uel". [4] Deest ap. Ljub. [5] Deest ibid. [6] Verba: „et si — uxorem" desunt in cod. acad. B. [7] Cod. acad. B: „Spalati".

si de adulterio ipsa mulier fuerit condemnata; et quod de bonis dicti sui mariti nihil possit habere nec in uita, nec in morte et omnino per graues pęnas et grauia banna expellatur de ciuitate Spalati, ita quod in ipsam ciuitatem nullis temporibus reuertatur.

CAP. XXXIX. QUOD MULIERES MALE FAME NON STENT IUXTA[1] BONAS DOMINAS.

Item statutum et ordinatum est, quod mulieres forenses malę famę et malę conditionis, quę turpiter et luxuriose uiuerent, iuxta aliquas bonas dominas in ciuitate Spalati nullo modo debeant habitare. Et si habitarent et de hoc quęrela facta fuerit coram rectore et offitialibus dictę ciuitatis, expellantur per pęnas et banna a dicta habitatione, ita quod iuxta bonas dominas et iuxta bonas et iustas mulieres nullo modo debeant habitare, quia malarum mulierum consortia[2] bonos mores corrumpunt.

CAP. XL. DE ILLO, QUI PERCUTIT SE IPSUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis se ipsum percusserit cum aliquo genere armorum cum sanguinis effusione siue ad infamandum alium de dicto maleficio, siue non[3], puniatur in duplo illius pęnę, quam consequeretur de dicto maleficio, si alium percussisset.

Et de hoc maleficio potestas habeat plenum arbitrium inquirendi, dummodo non possit excedere dictam pęnam, quia ille, qui sibi non parcit, non est uersimile, quod alijs debeat parcere[4] ullo modo.

CAP. LXI. DE CONCUBINIS MONACHORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua mulier publice esset concubina alicuius monachi, uel religiosę personę, fustigetur per ciuitatem et expellatur omnino de ciuitate Spalati.

CAP. XLII. QUOD NULLUS TENEAT DRUDAM UEL CONCUBINAM IN DOMO.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus homo, etiam si sit solus[5] et non habeat uxorem, audeat uel pręsumat tenere aliquam drudam, amasiam uel concubinam in domo sua, seu habitatione[6] ipsius masculi. Et si eam tenuerit ultra octo dies, puniatur concu-

---

[1] Cod. acad. B: „pęnes". [2] ibid.: „conuersatio". [3] Deest in cod. acad. A. [4] Deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „solutus". [6] ibid.: „habitationis".

bina in decem libris et pręcipiatur ei per potestatem et rectorem dictę ciuitatis, quod ipsa recedat de domo sua prędicta et si non recesserit in termino sibi assignando per rectorem dictę ciuitatis, fustigetur per ciuitatem et de ipsa ciuitate expellatur ita, quod in ea nullo tempore possit habitare.

CAP. XLIII. DE ARMA PORTANTIBUS[1] DE DIE UEL NOCTE PER CIUITATEM[2].

Item statutum et ordinatum est, quod si quis inuentus fuerit per familiam potestatis, uel rectoris portare arma per ciuitatem, credatur soli inuentioni seu relationi alicuius ex familia potestatis uel rectoris dictę ciuitatis, sine aliqua probatione; et si inuentus fuerit cum armis ciuis, uel habitator Spalati ita, quod in ipsa ciuitate habitet cum familia sua et habere arma inuentus fuerit offensoria, puniatur qualibet uice in xl^ta^ soldis et perdat arma et ueniant in commune. Si uero fuerint arma defensoria, puniatur in xx^ti^ soldis et perdat arma et deueniant in commune Spalati. Et si aliquis non permiserit se circari et scrutari pro armis, condemnetur in tribus libris et si de nocte erit[3] duplicetur pęna.

Si uero aliquis aufugerit ante familiam potestatis et rectoris ciuitatis Spalati, quando uadit per ciuitatem circando uel scrutando pro armis, in xl^ta^ seldis puniatur et condemnetur, saluo si[4] in eundo uel redeundo foras extra ciuitatem Spalati aliquis fuerit inuentus arma portare, ad dictam pęnam non teneatur.

In forensibus propter Sclauos et alios forenses, qui ueniunt cum armis ad ciuitatem Spalati, maxime quia hospicia non inueniunt in ciuitate Spalati commode, quod[5] hoc remaneat in prouidentia rectoris dictę ciuitatis in condemnando ipsos forenses.

Illi autem, ad quorum domum uel domos ipsi forenses descedunt et hospitantur, seu morantur, teneantur denuntiare coram testibus ipsis pręsentibus, quod arma non portent per ciuitatem nec offensoria, nec defensoria; quod si facere negligerent[6] et forenses cum armis inuenti fuerint in ciuitate Spalati per familiam potestatis, ille, in cuius domo ipse forensis descenderit uel hospitatus fuerit, in xx^ta^ soldis qualibet uice condemnetur, exceptis familiaribus domini bani et domini comitis Georgij et comitis Petri, qui remaneant in prouidentia potestatis et offitialium dictę ciuitatis.

---

[1] Ap. Ljub.: „portante“. [2] Cod. acad. A: „De extrahentibus arma in platea sancti Laurentij uel sancti Domnij“. [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] ibid.: „quod si“. [5] Cod. acad. B: „et“. [6] Ap. Ljub.: „neglexerint“.

Et si aliquis forensis uenerit ad ciuitatem Spalati et habeat iustam causam et iustum timorem, propter quam, uel quem[1] petat licentiam portandi arma offensoria uel defensoria per ciuitatem et de hoc faciat fidem et probationem uerisimilem coram potestate uel rectore dictę ciuitatis Spatati: rector cum consilio et deliberatione iudicium et consiliariorum, qui debent sententijs interrese, si eis uidebitur conuenire ex aliqua iusta causa, possit sibi dare licentiam portandi ipsa arma offensoria per ciuitatem[2], dummodo dictus forensis promittat et super hoc det et pręstet fideiussores ydoneos de ciuitate Spalati, quod se obligent principaliter, uel quod confiteantur habere in deposito de bonis dicti forensis, uel quocumque modo se[3] melius de iure poterit obligare, quod cum dictis armis nullum offendet in ciuitate Spalati uel suo districtu sub pęnis contentis in[4] pręsenti uolumine statutorum, aliter dicta licentia portandi arma nullo modo sibi detur.

CAP. XLIV. DE EXTRAHENTIBUS ARMA IN PLATEA SANCTI LAURENTIJ, UEL SANCTI DOMNIJ.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis traxerit ensem, uel spontonem in platea sancti Laurentij, uel sancti Domnij ad offendendum aliquem, in quinquaginta libras irremissionabiliter condemnetur pro sola extractione ensis, uel spontonis; et si aliud maleficium ibi committeret, nihilominus de alio maleficio uel maleficijs, quę committeret, puniatur secundum pęnas contentas in pręsenti uolumine statutorum.

CAP. XLV. DE EO, QUI OFFENDIT ALIQUEM[5] AD SUAM DEFENSIONEM.

Item statutum et ordinatum est, quod in omnibus maleficijs, de quibus fit mentio in pręsenti uolumine statutorum, quod si aliquis aliquem offenderet[6] ad sui et suorum defensionem, dummodo in continenti, flagrante adhuc maleficio et cum moderamine inculpatę tutelę, id est cum ęqualitatę armorum et ęqualitate uirium; et hoc legitime probauerit, ad pęnam nullatenus teneatur, quia, quod quicumque ad cautelam sui corporis fecerit, iure fecisse pręsumatur[7] et uim ui repellere omnes leges, omniaque iura permittunt.

---

[1] Ap. Ljub.: „propter quod". [2] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „Spalati". [3] Cod. acad. A et B: "si". [4] Ap. Ljub.: „in hoc". [5] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [6] ibid.: „offenderit". [7] Ap. Ljub.: „existimatur".

CAP. XLVI. DE INUADENTIBUS ET OCCUPANTIBUS ALIENAS POSSESSIONES.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis inuaserit, seu occupauerit auctoritate sua propria, sine licentia et auctoritate curię communis Spalati aliquam possessionem rei stabilis alicuius, pretextu alicuius iuris, quod contenderet[1] se habere in ipsa possessione, puniatur in xxv libris et amittat omne ius, quod haberet in ipsa possessione[2]. Et quilibet, qui cum eo iuerit, puniatur in xx libris, nisi aliquam iustam causam probabilem habuerit, propter quam a tali pęna debeat excusari. Et semper intelligatur possidere ille, qui primo possidebat dictam rem stabilem ante dictam inuasionem uel occupationem et tempore dictę occupationis et inuasionis possessionis prędictę, nisi talis inuadens, uel occupans habuerit titulum, uel causam a possidente, nam tunc in nullo penitus puniatur.

Si uero uicinus aliquam partem[3] terrę siue particulam[4] uicini sui super apprehenderit uel occupauerit zapando uel cauando, uel simili modo de ea apprehendendo, soluat communi soldos centum et emendet damnum[5] uicino et infra octo dies postquam sibi pręceptum fuerit per rectorem, reducat rem in pristinum statum sub pęna prędicta.

CAP. XLVII. DE FIDEIUSSORIBUS DANDIS DE NON OFFENDENDO.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis habeat aliquem suspectum, ne ipsi offendat et suspitio sit de leui iniuria commissa inter eos, quod ipse, qui habet eum suspectum, si petat accipiat[6] fideiussores de non offendendo de xxv libris; si autem suspitio sit de aliqua percussione, facta inter eos, teneatur sibi dare fideiussores de non offendendo de ducentis libris. Si autem suspitio sit de homicidio inter eos commisso ut puta de patre, filio aut fratre carnali, aut nepote carnali, uel fratre consobrino, uel patruo, uel[7] auunculo carnali, teneatur dare fideiussores de non offendendo de mille libris, dummodo dicta suspitio offensionis probetur. Si uero ex alia causa sit suspitio inter eos, teneatur dare fideiussores de illa quantitate, quę potestati seu rectori dictę ciuitatis uidebitur eonuenire.

Et potestas et rector et offitiales communis Spalati teneantur uinculo sacramenti quod[8] per omne bonum offitium, quod commode

[1] Ap. Ljub.: „pretenderet“. [2] Deest in cod. acad. B. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „particulam“. [4] „siue part.“ deest ibid. [5] Cod. acad. B: „dampnum“. [6] Deest in cod. acad. A et B. [7] Deest ap. Ljub. [8] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „et“.

fieri potest, compellere discordantes huius ciuitatis ad pacem et concordiam faciendam. Et si discordia esset talis, quod non possent partes ad concordiam perduci, tunc rector dictę ciuitatis faciat discordantes stare in certislocis infra ciuitatem uel extra ad suum arbitrium, donec ad concordiam peruenerint. Et rector dictę ciuitatis per pęnas et banna[1] constringat prędictos[2] ciues Spalati ad dandum et prestandum dictos fideiussores seu recoltas. Et si quis contempserit dare dictas recoltas seu fideiussores, exbannietur de ciuitate et districtu Spalati et ad bannum impositum nihilominus condemnetur[3].

Si uero aliquis forensis esset in ciuitate Spalati et aliquis ciuis Spalatinus haberet eum suspectum, quod eum non offendat, dictus forensis teneatur dare et prestare bonos et ydoneos fideiusores, quod non offendat dictum ciuem Spalatinum, de tanta quantitate, quę potestati et rectori dictę ciuitatis uidebitur conuenire inspecta conditione personarum et qualitate negotij. Et si prędicti fideiussores dare noluerint uel non potuerint, per pęnas et banna imponenda eis per potestatem et rectorem dictę ciuitatis de dicta ciuitate Spalati[4] et suo districtu efficaciter expellantur et si post prohibitionem eis factam reperti fuerint in ciuitate Spalati, uel eius districtu per rectorem dictę ciuitatis uel[5] eius familiam, capiantur et in carcere dictę communis[6] detineantur et cogantur ad solutionem dictę pęnę et banni. Et similiter de dicta ciuitate et suo districtu super eisdem pęnis et bannis postea[7] protinus expellantur et quotiescumque postea reuersi fuerint in dictam ciuitatem uel[8] eius districtum, semper dictas pęnas et banna eis imposita soluere compellantur et nihilominus de dicta ciuitate Spalati et suo districtu efficaciter expellantur, quia quotiescumque quis delinquit, toties est legitime puniendus: donec[9] discordantes ad concordiam peruenerint.

CAP. XLVIII. DE ASSESSINIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis percuti fecerit aliquem per aliquem assessinum, tam assessinus, quam ille, qui eum[10] percuti fecerit, in trecentis libris ultra pęnas contentas in pręsenti uolumine statutorum penitus condemnetur[11] pro solo[12] asses-

[1] Ap. Ljub.: „compellat et". [2] ibid.: „dictos". [3] Cod. acad. B: „condempnetur". [4] Deest ap. Ljub. [5] ibid.: „et". [6] ibid.: „in carceribus". [7] Deest ibid. [8] ibid. et ap. Ljub.: „et". [9] Ap. Ljub.: „ipsi". [10] Deest ibid. [11] Cod. acad. B: „condempnetur". [12] Ap. Ljub.: „suo".

sinatu[1]. Et talis assessinus nullo tempore possit in ciuitatem Spalati, uel suum territorium et districtum reuerti. Nec intelligatur assessinus ille, qui percusserit[2] aliquem, qui percussus[3] prius percusserit patrem, matrem, filium, fratrem, sororem carnalem, uel nepotem carnalem, aut patruum, aut auunculum carnalem, uel cognatum carnalem, aut fratrem consobrinum dicti offendentis[4], quia assessinus[5] in talibus[6] coniunctis personis non uendicat sibi locum.

Et ille intelligatur assessinus, qui forensis fuerit et per pecuniam conductus ad maleficium committendum.

CAP. XLIX. DE BUNTIBUS DE NOCTE POST TERTIUM SONUM CAMPANE[7].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis per familiam potestatis uel rectoris dictę ciuitatis inuentus fuerit de nocte per ciuitatem Spalati post tertium sonum campanę, quę pulsari consueuit per custodiam ciuitatis, longe a domo sua per tres domos sine aliquo lumine, soluat bannum decem solidorum, sed si cum lumine inuentus fuerit, proficiat, qui uadit cum illo, qui lumen portat. Eo saluo, quod si ille, qui fuerit inuentus post sonum tertium campanę ire per ciuitatem Spalati siue cum lumine, siue sine, et esset persona suspecta et malę famę et aliquod malum ea nocte committeretur in ciuitate Spalati, quod ex tali pręsumptione potestas et rector possit procedere contra eum, prout ipsi domino potestati, seu rectori, seu offitialibus suis uidebitur conuenire, inspecta conditione personę et qualitate negotij, ita tamen, quod si aliquis inueniretur plus quam semel de nocte cum lumine per familiam potestatis, non possit condemnari, sed possit sibi pręcipere, quod non uadat ulterius etiam cum lumine. Et si postea fuerit inuentus ire cum lumine post sonum tertium campanę, puniatur in decem solidis, nisi iustam causam habuerit et eam probauerit.

CAP. L. DE NEGANTIBUS MALEFICIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis negat pręcisse, se maleficium aliquod commisisse, cuius occasione proceditur contra eum; si postea uelit probare, quod ad sui defensionem dictum

---

[1] Ap. Ljub. et cod. acad. B: „assassinatu". [2] Ap. Ljub.: „percussit". [3] Deest ibid. [4] ibid.: „assassinatoris". [5] Deest ibid. [6] ibid.: „casibus". [7] Praesens capitulum, cujus inscriptio continetur in tabula capitulorum, quae est in capite quarti libri hujus statuti, deest in cod. acad. A et B et tantummodo ap. Ljub. invenitur.

maleficium perpetrauit[1], non audiatur, nisi in prima sui[2] responsione dixerit se dictum maleficium commisisse. Sed si appareret eum aliquod commisisse[3] uel fecisse de his, propter quę proceditur criminaliter contra eum, quod hoc fecit ad sui defensionem, uel similia uerba dicat.

Et idem in omnibus similibus est censendum; quam quidem responsionem propter fauorem defensionis censemus et dicimus admittendam[4].

CAP. LI. DE MALEFICIJS COMMISSIS EXTRA TERRITORIUM SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis Spalatinus contra aliquam specialem personam commiserit aliquod maleficium extra territorium et districtum ciuitatis[5] Spalati: quod potestas et rector dictę ciuitatis non possit de dicto maleficio per inquisitionem ex suo offitio procedere contra eum.

Sed si ille, cuius interesset, uellet dictum malefactorem denuntiare, uel accusare in curia et foro ciuitatis Spalati: potestas et rector dictę ciuitatis super dicta denuntiatione uel accusatione procedant iusticia[6] mediante.

CAP. LII. DE OCCIDENTIBUS BESTIAS ALIENAS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis de die iniuriose et malo modo occiderit animal alicuius, prout est equus, equa, roncinus, somerius, bos[7] uel uacha: puniatur in centum soldis; pro ouibus, pecudibus et similibus puniatur in xx^ti soldis; pro ansere, anete, galina, uel similibus puniatur in quinque soldis et damnum[8] emendet sine aliqua tarditate.

Si uero de nocte prędicta mala perpetrauerit, possit etiam tamquam de furto procedi contra eum.

CAP. LIII. DE USURIS MALEDICTIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus publice, uel priuate in ciuitate Spalati uel suo districtu debeat fęnus exercere et quod nullum pactum usuraticum[9] siue priuate, siue publice debeat ualere,

---

[1] Ap. Ljub.: „perpetrauerit". [2] ibid.: „sua". [3] Verba: „Sed si — commisisse" desunt ibid. [4] ibid.: „faciendam". [5] Deest ibid. [6] ibid.: „semper". [7] Cod. acad. B: „prout equo, equa, roncino, somerio, boue". [8] ibid.: „dampnum". [9] Ap. Ljub.: „usurarium".

quod factum esset, uel fieret inter aliquos. Et qui contra fecerit, dictam[1] usuram siue priuate, siue publice exercendo, soluat communi decem libras.

Et quando curia mutabitur, electores debeant eligere tres legales[2] uiros inquisitores[3], qui[4] examinent omnia instrumenta siue pacta et puncta usuraria et quem inuenerint culpabilem, debeant declarare et pacta et instrumenta usuraria cassare et ad restitutionem usurę acceptę condemnare[5] usurarium et heredes suos et nihilominus usurarius in dicta pęna, soluenda communi Spalati irremissionabiliter debeat condemnari[6].

CAP. LIV. DE FALSITATIBUS OPPRIMENDIS[7].

Item statutum et ordinatum est, quod si quis tulerit falsum testimonium in aliqua causa ciuili uel criminali, condemnetur[8] in quinquaginta libris et emendet damnum[9] in duplum illi, quem lęsit et contra quem tulit testimonium de damno[10], quod recepit.

Si uero aliquis[11] non ut testis, sed ut principalis in causa sua delato tunc sibi sacramento, negauerit ueritatem, uel falsum dixerit et hoc probatum fuerit contra eum, in xxv libris debeat condemnari[12].

Si uero aliquis docuit et subornauit aliqnem testem, ut falsum testimonium perhiberet et talis testis testimonium perhibuit: iste, qui eum docuit uel subornauit, in quinquaginta libris condemnetur[13].

Et si uero[14] aliquis notarius falsum instrumentum fecerit uel in publica forma uel in actis falsam scripturam scripserit uel fecerit, in ducentis libris irremissionabiliter condemnetur[15] et semper in duplum damna[16] reficiat illi, quem lęserit ex sua scriptura; et si dictam condemnationem[17] soluere non poterit, manus dextra, cum qua scripsit, sibi omnino[18] amputetur ita, quod a corpore separetur et postea nunquam audeat intrare ciuitatem et burgum ciuitatis Spalati.

---

[1] Ap. Ljub.: „dictum foenus uel“. [2] ibid.: „bonos“. [3] ibid.: „et examinatores“. [4] ibid.: „inquirant et“. [5] Cod acad. B: „condempnare“. [6] ibid.: „condempnari“. [7] Cod. acad. A glossam habet in margine: „Simili modo habetur in cap. x. libri iij. in fine. Sed per hoc uidetur illud correctum“. [8] ibid.: „cendempnetur“. [9] ibid.: „dampnum“. [10] ibid.: „dampno“. [11] Ap. Ljub.: „quis“. [12] Cf. adn. 6) [13] Cod. acad. B: „condempnetur“. [14] Deest ap. Ljub. [15] Cf. adn. 8) [16] ibid.: „dampna“. [17] ibid.: „condempnationem“. [18] Deest ap. Ljub.

Et qui falsam monetam fecerit, perdat manum dextram sine remissione et expellatur de ciuitate et nunquam postea audeat reintrare ciuitatem et burgum ciuitatis Spalati[1]. Si quis[2] uero falsam monetam expenderit[3] scienter, apparentem de auro uel argento a decem libris supra, puniatur usque ad quantitatem centum librarum et in minori quantitate, prout rectori et offitialibus dictę ciuitatis uidebitur conuenire, inspecta conditione personę et qualitate negotij. Et si quis expenderit falsam monetam scienter usque ad quantitatem quinque librarum uel infra, condemnetur[4] in centum soldos; si a quinque libris usque ad decem, condemnetur[5] in decem libris.

Si uero aliquis habuerit falsa pondera uel falsas mensuras et eis usus fuerit, puniatur in centum soldis.

Et postquam notarius fuerit de falso instrumento publice condemnatus[6], ex tunc in antea instrumenta per eum cenfecta nullam obtineant firmitatem.

Et si aliquis usus fuerit in iuditio aliquo falso instrumento, in quinquaginta libris condemnetur[7] et sit perpetuo tempore[8] infamis. Et si quis usus fuerit in iuditio aliquo falso teste, in xxv libris irremissionabiliter condemnetur[9].

CAP. LV. QUOD FALSATORES[10] ET FURES NON HABEANT OFFITIUM, NEC RECIPIANTUR IN TESTES.

Item statutum et ordinatum est, quod[11] falsator aliquis de carta et bulla, uel fur manifestus aut periurus non habeat aliquod offitium in curia et qui eum elegerit, soluat communi xxv libras et eius electio non ualeat nec sacramentarius fiat, neque testis et si manifestus[12] apparuerit, exbandiatur in platea de ciuitate Spalati et eius nomen scribatur in capitulari.

CAP. LVI. DE FURTIS OFFITIALIUM MALEDICTORUM[13].

Item statutum et ordinatum est, quod si rector uel aliquis offitialis ciuitatis Spalati aliquid receperit contra formam statutorum ab aliqua speciali persona a decem soldis supra, puniatur in xxv

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] Glossa marg. in cod. acad. A: „Pęna si quis falsam monetam expenderit". [4] Cod. acad. B: „condempnetur". [5] ibid. e. m. [6] ibid.: „condempnatus". [7] Cf. adn. 4) [8] „perpetuo tempore" deest ap. Ljub. [9] Cf. adn. 4) [10] Ap. Ljub.: „falsarij". [11] ibid.: „si". [12] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „manifestior". [13] Ap Ljub.: „offic. et rectorum".

libris[1]; a decem soldis infra puniatur in decem libris et in duplum restituat, quod accepit. Et syndici, qui erunt ad syndicandum rectorem et offitiales communis Spalati, uinculo sacramenti prȩcise teneantur de hoc cum omni subtilitate et sagacitate, qua poterint, facere diligenter inquisitionem ad inueniendum ueritatem et contrafacientes punire debeant in pȩnis prȩdictis ad hoc, ut falsi rectores et falsi offitiales dictȩ ciuitatis de eorum furtis et iniustis acceptionibus uerecundiam et damnum[2] et obprobrium patiantur, ut sit ceteris in exemplum et ut legaliter debeant eorum offitium exercere.

CAP. LVII. DE MALEFICIJS PUERORUM ET PUELLARUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis masculus minor xiiij annis et fȩmina minor xij annis aliquod maleficium commiserit: potestas et rector huius ciuitatis possit et debeat in eo pȩnam imponere uel temperare et minorare, prout conditioni personȩ et qualitati negotij uiderit[3] conuenire.

CAP. LVIII. DE APPORTANTIBUS LIGNA UEL OLERA DE FORIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis apportauerit ligna, olera uel quid[4] aliud de foris et ab aliquo denuntiatus uel accusatus fuerit, quod de suo res sibi[5] ablatȩ essent et prȩdictus accusatus, uel denuntiatus non poterit ostendere, uel probare, quod usto modo prȩdicta habuerit: quod habeatur pro confesso et conuicto et condemnetur[6] in xx soldis et plus et minus, inspecta conditione personȩ et qualitate negotij, ac si per testes, uel propriam confessionem esset legitime probatum malefitium contra eum.

CAP. LIX. DE SECCEDANTIBUS ANTE DOMUM ALIENAM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus seccedat ante domum alienam et qui contra fecerit, in decem soldis uice qualibet puniatur et credatur de hoc sacramento denuntiatoris uel accusatoris cum uno ydoneo teste.

---

[1] Ap. Ljub.: „paruorum“. [2] Cod. acad. B.: „dampnum“. [3] Ap. Ljub.: „uidebitur“. [4] ibid.: „aliquod“. [5] ibid.: „ipsȩ“. [6] Cod. acad. B: „condempnetur“.

CAP. LX. DE OCCUPANTIBUS UIAS, UEL POSSESSIONES COMMUNIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque possederit iuxta uiam publicam communis Spalati et iuxta ipsam uiam fecerit aliquod fossatum, uel ipsam uiam cauauerit, ita quod dictam uiam deuastauerit uel ipsam occupauerit, uel occupatam detinuerit, in centum soldis communi condemnetur[1] et restituat[2] ipsam. Et quicumque super hoc denuntiauerit uel accusauerit aliquem, habeat medietatem banni.

Item si quis inuaserit, uel occupauerit sine iusta causa aliquam possessionem rei stabilis communis Spalati, condemnetur[3] irremissionabiliter in quinquaginta libris et semper possessio remaneat communi Spalati; nam quilibet scire debet, quod suum non est, ad alias modis omnibus pertinere.

Et super omnibus et singulis occupantibus possessiones et iura communis Spalati potestas et rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, teneatur uinculo sacramenti tribus uicibus in anno facere solicitam, fidelem et secretam inquisitionem et quoscumque culpabiles inuenerit, punire et condemnare[4] in pęna prędicta et ad restituendum ipsam possessionem, bona et iura communi Spalati, nisi iustam causam haberet contra commune Spalati.

CAP. LXI. DE CONFINIBUS DANDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod pro uerbis iniuriosis nullus possit ad confinia poni in ciuitate Spalati uel extra; sed pro percussionibus sine armis et sine sanguine possit aliquis poni ad confinia ad domum suam. Pro percussionibus uero cum armis et cum sanguine et pro grauibus maleficijs, pro quibus posset esse turbatio in ciuitate Spalati, possit aliquis confinari extra ciuitatem Spalati prope, uel longe per paruum tempus uel magnum[5], prout potestati et rectori huius ciuitatis, inspecta conditione personarum et qualitate facti uidebitur conuenire.

CAP. LXII. DE FORBANNITIS COMMUNIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod forbanniti seu contumaciter condemnati[6] pro communi Spalati nullo modo possint reintrare ciuitatem Spalati, uel in suum districtum ad pęnam et bannum xxv

---

[1] Cod. acad. B: „condempnetur". [2] Ap. Ljub.: „reficiat". [3] Cf. adn. 1) [4] ibid.: „condempnare". [5] Ap. Ljub.: „per longum". [6] Cod. acad. B: „condempnati".

librarum pro qualibet uice; saluo in festo sancti Domnij[1], prout supra in alio capitulo continetur.

Et si quis receptauerit[2] aliquem exbannitum communis Spalati uel contumaciter condemnatum[3] in domo sua propria uel couducta, uel in qua quis habitauerit[4], qui sit exbannitus, uel contumaciter condemnatus[5] dicti communis: a xxv libris[6] dandis et soluendis[7] communi Spalati irremissionabiliter condemnetur[8] et a xxv libris infra in quinque libris dandis et soluendis communi Spalati irremissionabiliter condemnetur[9].

Et si quis offenderit aliquem exbannitum dicti communis, qui est exbannitus, uel condemnatus[10] contumaciter ultra quantitatem xxv librarum, nullo modo puniatur, dummodo ex tali percussione mors non fuerit subsecuta; quum[11] ex auctoritate pręsentis statuti uolumus, quod tales exbanniti possint impune percuti et offendi, sed non occidi. Et si quis ceperit aliquem exbannitum uel contumaciter condemnatum[12] communis Spalati, qui non dedit aliquos fideiussores pro condemnatione[13] soluenda et ipsum exbannitum cum effectu duxerit et pręsentauerit cum effectu[14] in forciam domini potestatis et communis Spalati: debeat habere a communi Spalati quinque soldos pro qualibet libra illius quantitatis, in qua dictus captus exbannitus esset, uel contumaciter condemnatus[15] esset; tamen personaliter et non in pecunia condemnatus[16]. Tunc si talis condemnatus[17] uel exbannitus deberet ammittere personam, ille, qui eum ceperit, habeat et habere debeat a communi Spalati quinquaginta libras[18]; si uero non deberet[19] perdere personam, sed aliquod membrum, ille, qui eum ceperit et pręsentauerit eum[20] in forciam communis Spalati, habeat et habere debeat a communi xxv libras[21].

Et quod de nominibus omnium exbannitorum et condemnatorum[22] communis Spalati rector dictę ciuitatis uinculo sacramenti faciat fieri et scribi duos libros, quorum unus sit apud examinatorem communis Spalati, alius pęnes camerarium dicti communis, qui pro

---

[1] Cod. acad. B.: „Dompnij". [2] Ap. Ljub.: „receperit". [3] Cod. acad. B: „condempnatum". [4] Ap. Ljub.: „quauis habitatione". [5] Cod. acad. B: „condempnatus". [6] ibid.: „supra in uigintiquinque libris"; ap. Ljub.: „supra". [7] „et soluendis" deest ap. Ljub. [8] Cod. acad. B: „condempnetur". [9] ibid. e. m. [10] ibid.: „condempnatus". [11] Ap. Ljub.: „quoniam". [12] Cod. acad. B: „condempnatum". [13] ibid.: „condempnatione". [14] Deest ap. Ljub. [15] Cf. adn. 10) [16] Cf. l. c [17] Cf. l. c. [18] Ap. Ljub.: „paruorum". [19] ibid.: „debeat". [20] Deest ibid. [21] ibid.: „paruorum". [22] Cod. acad. B: „condempnatorum".

tempore fuerit; ad hoc, ut executio dictarum condemnationum[1] clare et aperte et omni tempore fieri possit et debeat per rectores et offitiales communis Spalati.

CAP. LXIII. DE EXBANNITIS NON EXTRAHENTIBUS DE BANNO[2].

Item statutum et ordinatum est, quod nullus exbannitus, uel condemnatus[3] communis Spalati extrahatur de banno dicti communis, nec extrahi possit aliqua ratione uel causa, nisi suam condemnationem[4] et satisfactionem soluerit et satisfecerit communi Spalati. Nec possit proponi ad consilium generale uel parlamentum, nec in aliquo alio consilio dictę ciuitatis de extrahendo aliquem exbannitum uel condemnatum[5] dicti communis realiter, uel personaliter de suo banno uel condemnatione[6], nec[7] remittendo sibi suum damnum[8] uel condemnationem[9] in totum, uel in partem, nec de prolongando[10] sibi terminum soluendi suam condemnationem[11], uel aliter immutando[12] solutionem, uel satisfactionem aut executionem condemnationis[13], siue sit realis, siue sit personalis[14], siue quocumque modo reperiatur; et si proponeretur, non ualeat, nec teneat ipso iure.

Et si potestas[15], rector seu offitialis dictę ciuitatis, qui contra formam pręsentis statuti aliquam propositam faceret in consilio, uel parlamento dictę ciuitatis, soluat de suo salario sine remissione communi Spalati ducentas libras, quę ducentę librę in suo salario debeant computari; et si salarium non haberet sufficiens[16] ad prędicta, soluat de suo proprio[17] pęnam prędictam, siue sit offitialis dictę ciuitatis Spalati, siue sit forensis offitialis. Et si pęnam et bannum non posset soluere, tam diu detineatur in carcere[18] communis Spalati, donec dictam pęnam soluerit cum effectu et nihilominus id, quod reformaretur contra formam pręsentis statuti, ipso iure non ualeat. Et quicunque in contrarium in aliquo[19] arengauerit, soluat communi Spalati irremissionabiliter centum libras; et pręsens statutum sit truncum[20] et pręcisum ita quod nullo modo, ingenio uel aliquo colore quęsito possit tolli, suspendi uel etiam immutari aliqua ratione uel causa.

[1] Cod. acad. B: „condempnationum". [2] Ap. Ljub.: „domo". [3] Cod. acad. B: „condempnatus". [4] ibid.: „condempnationem". [5] ibid.: „condempnatum". [6] ibid.: „condempnatione". [7] Ap. Ljub.: „de". [8] Cod. acad. B: „dampnum". [9] Cf. adn. 4) [10] Ap. Ljub.: „prorogando". [11] Cf. adn 4) [12] Ap. Ljub.: „sibi". [13] Cod. acad. B: „condempnationis". [14] Ap. Ljub.: „personaliter condemnatus". [15] ibid.: „uel". [16] ibid.: „sufficienter". [17] ibid.: „ad". [18] ibid.: „carceribus". [19] ibid.: „consilio". [20] ibid.: „summum".

CAP. LXIV. DE EXBANNITIS, SI DE ALIO MALO[1] PROCEDITUR[2] CONTRA EOS.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis esset exbannitus uel condemnatus[3] communis Spalati realiter, uel personaliter et de alio maleficio accusaretur, uel denuntiaretur, aut per inquisitionem contra eum procederetur et de isto secundo maleficio, uel alio, de quo inculparetur, uellet se defendere uel[4] excusare, uel[5] comparere coram rectore et offitialibus dictę ciuitatis et parere mandatis ipsius: tunc rector dictę ciuitatis teneatur dare sibi fiduciam[6] et securitatem comparendi pro secundo maleficio et se defendendi ab eo, primo suo banno uel condemnatione[7] quantum ad hunc casum non obstante[8]. Et rector dictę ciuitatis ipsam fiduciam[9] et securitatem sibi seruare omni modo debeat cum effectu.

CAP. LV. QUOD NULLUS OSCULETUR MORTUUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus masculus uel fęmina in funere seu morte alicuius quocumque modo in gradu consanguinitatis, uel affinitatis sibi coniunctus extiterit, capitis ornamenta, bindam, biretum[10], muciam seu infulam, uel aliqua alia ornamenta capitis sibi auffere pręsumat, nec etiam pręsumat mortuum osculari; nec etiam aliquis portet barbam ultra unum mensem occasione alicuius mortui, postquam mortuus fuerit sepultus. Et quicumque contra fecerit, in x x^ti soldos uice qualibet puniatur; et rector ciuitatis Spalati uinculo sacramenti teneatur prędicta firmiter obseruare et teneatur uinculo sacramenti mittere notarium suum sępe sępiusque, quando aliqui mortuum uadunt sepelire, ad uidendum et explorandum prędicta et ad inquirendum, si aliquis masculus uel fęmina faciat contra prędictam formam pręsentis statuti, ita, quod per inquisitionem possit procedere contra eos et quos[11] culpabiles inuenerit, teneatur punire et condemnare[12] in pęna prędicta.

Et stetur in hoc relationi notarij potestatis seu rectoris dictę ciuitatis[13] sine aliqua alia probatione.

---

[1] Ap. Ljub.: „maleficio". [2] ibid.: „procedatur". [3] Cod. acad. B: „condempnatus". [4] ibid.: „et". [5] ibid. e. m. [6] Ap. Ljub.: „fidentiam". [7] Cod. acad. B: „condempnatione". [8] Ap. Ljub.: „sibi aliquatenus". [9] Cf. adn. 6) [10] Ap. Ljub.: „timrecum". [11] ibid.: „quoscunque". [12] Cod. acad. B: „condempnare". [13] „seu — ciuitatis" deest ap. Ljub.

CAP. LXVI. QUOD OMNI MENSE POTESTAS SPALATI FACIAT CONDEMNATIONES[1].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, uinculo sacramenti teneatur omni mense facere condemnationes[2] de maleficijs uentilatis in curia communis Spalati; quas condemnationes[3] faciat uel in consilio generali dictę ciuitatis, uel in parlamento, seu arrengo, uel etiam in palatio dicti communis, sicut sibi melius uidebitur conuenire. Et teneatur uinculo sacramenti exigere et exigi facere bona fide sine fraude per se et suam familiam omnes et singulas condemnationes[4] factas per eum et suos prędecessores, quę exigi possint. Et quod debeant compellere omnes et singulos condemnatos[5] realiter et personaliter tam in logia communis, quam in carcere et quocumque alio modo sibi uidebitur melius conuenire ad solutionem dictarum condemnationum[6]; et quod bona mobilia et stabilia condemnatorum[7] et fructus possessionum et bonorum ipsorum condemnatorum[8] possit accipere et accipi facere et auferre et ea facere deuenire in commune Spalati usque ad integram satisfactionem dictarum condemnationum[9], eo saluo, quod si in bonis dicti condemnati[10] eius uxor, uel aliquis alius creditor haberet anteriora et potiora[11] iura, quam commune Spalati, dictis creditoribus anterioribus et potioribus tempore et iure, eorum iura in bonum et super bonis dicti condemnati[12] integra et salua debeant remanere.

CAP. LXVII. DE TERMINO DATO CONDEMNATIS[13] AD SOLUENDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector dictę ciuitatis, quando facit condemnationes[14], teneatur dare terminum condemnatis[15] decem dierum ad soluendas ipsas condemnationes[16]. Quo termino elapso tam contrá principalem, quam contra fideiussores ipsius[17] teneatur exercere offitium supradictum ad exactionem ipsarum condemnationum[18] realiter et personaliter, prout sibi melius uidebitur faciendum pro executione dictarum condemnationum[19];

---

[1] Cod. acad. B: „condempnationes". [2] Cf. adn. 1) [3] Cf. ibid. [4] Cf. l. c. [5] ibid.: „condempnatos". [6] ibid.: „condempnationum". [7] ibid.: „condempnatorum". [8] ibid.: e. m. [9] Cf. adn. 6) [10] ibid.: „condempnati". [11] Ap. Ljub.: „meliora". [12] Cf. adn. 10) [13] Cod. acad. B: „condempnatis". [14] Cf. adn. 1) [15] Cod. acad. A: „condempnatis". [16] Cf. adn. 1) [17] Deest ap. Ljub. [18] Cod. acad. B: „condempnationum". [19] ibid.: e. m.

ita tamen, quod si fideiussor post condemnationem[1] repręsentauerit principalem condemnatum[2] in forciam potestatis et communis Spalati, sit liberatus a dicta fideiussione et non cogatur ad solutionem dictę condemnationis[3].

Et postquam fuerint dictę condemnationes[4] factę per dictum rectorem camerarij dicti communis, qui pro tempore fuerint, faciant ipsas condemnationes[5] scribi in uno libro, ita quod in duobus libris reperiantur scriptę dictę condemnationes[6], ut nulla fraus in dictis condemnationibus[7] fieri possit.

CAP. LXVIII. DE PORCIS NON TENENDIS[8].

Item statutum et ordinatum est, quod nullus in ciuitate Spalati nec in burgo[9] audeat tenere aliquem porcum uel porcam a carnis priuio usque ad festum omnium sanctorum in domo nec extra domum ad pęnam decem soldorum pro qualibet uice, qua inuenta fuerint. Et si aliquis porcus, uel porca inuentus, uel inuenta fuerit in aliquo laborerio, uel in orto aut in domo, siue in curia, uel in cimiterio alicuius ecclesię, quod possit impune occidi a quocumque. Et qui contra uetaret, quod non occidatur, condemnetur[10] in uiginti soldis, cuius medietas sit communis et alia accusatoris: et porcus uel porca sit occisoris.

CAP. LXIX. DE RIXANTIBUS SUPERUENIENTE DOMINO[11] POTESTATE.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis fecerit aliquam rixam cum aliquo superueniente potestate, uel rectore ciuitatis Spalati et potestas pręceperit ei sub pęna alicuius banni, quod debeat quiescere[12] et stare in pace et ipse sperneret pręceptum potestatis uel rectoris dictę ciuitatis, soluat communi Spalati dictum bannum et semper sit sub pęna sibi imposita.

Et si potestas pręceperit alicui pręstare aliquod sacramentum, et[13] ille propter suam superbiam noluerit dictum sacramentum pręstare, quod teneatur soluere communi Spalati pęnam sibi impositam.

---

[1] Cod. acad. B: „condempnationem". [2] ibid.: „condempnatum". [3] ibid.: „condempnationis". [4] Cf. pag. 167 adn. 1) [5] Cf. l. c. [6] Cf. l. c. [7] ibid.: „condempnationibus". [8] Glossa marg. in cod. acad. A: „Reformatum est hoc capitulum in aliquibus libro reformationum cap. vij". [9] Ap. Ljub.: „burgis". [10] Cod. acad. B: „condempnetur". [11] Deest ap. Ljub. [12] ibid.: „aquiescere". [13] Cod. acad. A: „uel".

Et si quis iurauerit pręcepta potestatis et rectoris dictę ciuitatis et facto sacramento propter suam arrogantiam mandatum sibi factum a potestate et rectore dictę ciuitatis noluerit obseruare, ad pęnam et bannum sibi impositum efficaciter teneatur; eo saluo, quod si super uerbis iniuriosis aliquis nollet iurare[1] pręcepta potestatis et rectoris dictę ciuitatis, quod expectetur usque in diem sequentem ad terciam et si interim non iurauerit, in decem libris debeat condemnari[2] pro qualibet uice.

CAP. LXX. DE RIXANTIBUS CUM SERUITORIBUS DOMINI POTESTATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis rixauerit cum seruitore, uel familiari domini[3] potestatis, uel eum percusserit, seu offenderit, ita puniatur secundum formam statuti[4], sicut pro alio[5]. Et simili modo puniatur seruitor, uel familiaris potestatis.

CAP. LXXI. DE PLACITANTIBUS ET RIXANTIBUS CORAM CURIA.

Item statutum et ordinatum est, quod si qui inter se placitum habentes et coram curia disceptauerint[6] et alter contra aduersarium suum in contumeliam prorumpens manus uiolentas iniecerit contra alium[7], duplum bannum persoluat.

CAP. LXXII. DE FILIJS UERBERANTIBUS PATREM UEL MATREM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis filius uerberauerit, uel percusserit patrem aut matrem aut auum uel auiam, expellatur a ciuitate Spalati per duos annos ita, quod sine expressa licentia patris, matris, aui uel auię, cui iniuriam fecerit, ad ipsam ciuitatem reuerti non possit.

Et pater uel mater, auus uel auia, cui tales iniurias irrogauerint, uel[8] fecerint, possit filios uel nepotes exhereditare, ut de bonis suis non habeant aliquam partem, sicut patri, matri, auo uel auię, qui receperint tales iniurias uel offensas, uidebitur ordinare[9].

---

[1] Ap. Ljub.: „per". [2] Cod. acad. B: „condempnari". [3] Deest ap. Ljub. [4] ibid.: „statutorum". [5] ibid.: „iure". [6] ibid.: „placitauerint". [7] ibid.: „aliquem". [8] „irrogauerint uel" deest ap. Ljub. [9] ibid.: „conuenire". Cod. acad. A: glossam habet hic loco marginalem: „Hęc eadem libertas datur parentibus in libro tertio capitulo xix sub rubrica: Quod pater et mater".

CAP. LXXIII. DE MALEFICIJS UXORUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si uxor alicuius constante matrimonio commiserit aliquod[1] maleficium, propter quod fuerit condemnata[2] in aliqua quantitate pecunię danda et soluenda communi Spalati, quod maritus eius non compellatur soluere dictam condemnationem[3]: sed de dote mulieris et de bonis ipsius mulieris condemnatio[4] soluatur. Et si mulier non haberet dotem, uel alia bona, de quibus posset satisfacere condemnationem[5], detineatur mulier et custodiatur in loco competenti et congruo et honesto ad expensas ipsius mulieris, donec condemnationem[6] prędictam soluerit cum effectu.

CAP. LXXIV. DE PRODITORIBUS CIUITATIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod si ciuitas seu commune Spalati habuerit aliquam guerram cum extraneis et aliquis ciuis Spalati inueniretur esse infidelis, uel proditor, uel quod daret parti aduersę consilium, auxilium, uel fauorem, omnia bona sua deuoluantur et deueniant[7] in commune Spalati et domus eius diruatur a fundamento et in perpetuum sit exul et exbannitus a ciuitate[8] Spalati; et si quo tempore peruenerit in forciam communis Spalati, amputetur sibi caput ita, quod moriatur.

Et si aliquis tempore guerrę et occasione guerrę recederet de ciuitate Spalati et transferret se ad habitandum ad aliam terram et requisitus fuerit per potestatem et rectorem dictę ciuitatis, quod in termino per ipsum potestatem et rectorem statuendo[9] reuertatur ad habitandum ad ciuitatem Spalati et infra ipsum terminum non fuerit reuersus ad ciuitatem Spalati ad manutenendum guerram cum alijs ciuibus dictę ciuitatis, quod puniatur in centum libris et bona sua, quę haberet in ciuitate Spalati et suo districtu, teneantur et sint obligata ad onera dictę ciuitatis: saluo, quod si recederet tempore pacis, ad prędictam pęnam nullatenus obligatur nec[10] teneatur.

CAP. LXXV. DE LUDO ZARDORUM[11].

Item statutum et ordinatum est, quod nullus in ciuitate uel campo Spalati audeat ludere ad azardum, uel ad coderonum uel

[1] Ap. Ljub.: „adulterium et“. [2] Cod. acad. B. „condempnata“. [3] ibid.: „condempnationem“. [4] ibid.: „condempnatio“. [5] Cf. adn 3) [6] Cf. l. c. [7] Ap. Ljub.: „ueniant“. [8] ibid.: „ciuitatis“. [9] Cod. acad. A: „ut“. [10] „obligatur nec“ deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [11] Ap. Ljub.: „azzardorum“.

ad alium ludum taxilorum, nisi cum ludit ad tabulas et ad consuetos ludos tabularum; et qui contrafecerit, si de die, soluat pro banno qualibet uice xl^ta^ soldos; si de nocte, soluat pro banno centum soldos.

Et eadem pęna puniatur dominus uel habitator domus, uel conductor, in qua fieret dictus ludus.

Et licitum sit cuilibet de hoc[1] accusare uel denuntiare et accusator uel denuntiator habeat medietatem dicti banni, exceptis festiuitatibus natiuitatis domini[2] et carnispriuij.

Et quicquid aliquis lucraretur in dicto ludo, compellatur efficaciter restituere perditori.

CAP. LXXVI. DE CITATIS CORAM DOMINO[3] POTESTATE ET NON COMPARENTIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod quandocumque potestas et rector dictę ciuitatis miserit pro aliquo et fecerit eum citari et uocari quod compereat coram ipso et coram sua curia ad certum terminum in citatione contentum et non uenerit, quod pro qualibet uice soluat[4] communi xx^ti^ soldos, nisi iustam causam et excusationem non ueniendi haberet, quam causam probare teneatur infra competentem terminum, per ipsum potestatem, et[5] rectorem, uel suam curiam statuendum.

CAP. LXXVII. DE INIURIANTIBUS ET OFFENDENTIBUS DOMINUM[6] POTESTATEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus audeat aliqua uerba ignominiosa dicere uel proferre contra potestatem, rectorem, uel aliquem offitialem curię; et qui contrafecerit puniatur in decem libris. Et si manus uiolentas iniecerit in eum, uel aliquem suum offitialem, duplicetur pęna contra eum de pęnis contentis in prę-senti uolumine statuti[7] contra illos, qui offenderint aliquam priuatam personam.

Et similiter, si quis dixerit contra rectorem, iudicem, consiliarium de sententijs, examinatorem seu contra notarium actorum aliquod uerbum de aliqua falsitate et dictam falsitatem non probauerit cum effectu, puniatur in decem libris.

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest in cod. acad. A et B. [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Deest in cod. acad. A. [5] Deest ibid. [6] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [7] Ap. Ljub.: „statutorum“.

CAP. LXXVIII. DE HIS, QUI PROMITTUNT DARE ALIQUID DE BONIS COMMUNITATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis ciuis pręsumpserit per se, sine consilio curię et generalis consilij ciuitatis Spalati, uel maioris partis ipsius consilij promittere alicui personę aliquid de bonis communitatis Spalati, uel pecuniam, uel domum aliquam, tunc si necesse fuerit illud, quod promiserit dare[1], det, reddat, soluat uel satisfaciat de suis proprijs bonis ei, cui promisit et soluat communi nomine pęnę uiginti libras.

CAP. LXXIX. QUOD NULLUS CAPIAT SUUM DEBITOREM SINE LICENTIA CURIE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat absque licęntia uel nuntio curię ciuitatis Spalati capere aliquem[2] suum debitorem uel malefactorem, excepto si de nocte, uel extra ciuitatem inuentus fuerit et copiam offitialium curię[3] habere non posset, tunc ipsum curialiter capiat et teneat sine aliqua lęsione et iniuria et statim eum ad curiam ducat. Et si curia pręceperit eum dimittere et res sibi ablatas restituere, statim eum dimittat et res sibi ablatas in continenti eidem restituat et mandato curię pareat. Qui si inobediens fuerit aut rebellis, soluat pro banno XXV libras.

Et si aliquis ceperit aliquem auctoritate sua propria, sine licentia curię et fecerit sibi priuatum carcerem et captum potestati et suę curię non repręsentauerit[4] infra duos dies, ut est dictum, puniatur in quinquaginta libris.

CAP. LXXX. DE RUMPENTIBUS MURUM CIUITATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat rumpere murum ciuitatis Spalati, uel palatij communis. Et qui contra fecerit, puniatur in centum libris et claudat[5] suis expensis dictum murum sicut ante fuerat.

Et potestas et curia dictę ciuitatis non possit alicui dare licentiam contra formam pręsentis statuti.

Et nulli sit licitum aperire portam uel fenestram dictę ciuitatis.

CAP. LXXXI. DE MALEFICIJS COMMISSIS PER FILIUM FAMILIAS.

Item statutum et ordinatum est, quod si filius familias, qui est in potestate patris sui, committat aliqnod maleficium, propter quod

[1] Deest in cod. acad. A et B. [2] Deest ap Ljub. [3] ibid.: „Spalati". [4] ibid.: „pręsentauerit". [5] ibid.: „claudere compellatur".

sit condemnatus[1] communi Spalati in aliqua pecunię quantitate, quod pater non debeat compelli ad dandum aliquam partem de suis bonis communi Spalati pro solutione dictę condemnationis[2], nec legitimam, nec falcidiam, nec aliquam aliam partem; quia iniquum esset, quod propter delictum filij pater dum uiuit, perderet bona sua.

CAP. LXXXII. DE ACCIPIENTIBUS BLADUM DE MOLENDINIS SALONE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat accipere bladum in Salona a molendinis et qui contra fecerit, soluat bannum x l^{ta} soldorum, cuius medietas sit communis, alia[3] accusatoris et ablatum restituat in duplum.

Et hoc idem obseruetur et fiat de omnibus[4] rebus communitatis Spalati[5].

CAP. LXXXIII. DE ARTIFICIBUS, QUOD COMPLEANT OPERA, QUE ACCEPERUNT ALLIS[6] FACIENDA.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus artifex, cuiuscumque artis sit[7], postquam acceperit ab aliquo aliquod opus ad faciendum, hedificandum, uel perficiendum, possit aliud opus ad faciendum accipere, quousque perfecerit illud opus, quod primo acceperit, sine expressa licentia et uoluntate illius, a quo accepit primum opus.

Et qui contra fecerit, in tribus libris condemnetur[8], cuius medietas sit communis, alia accusatoris; et ad faciendum opus pristinum reuertatur et si reuerti noluerit, pro quolibet die, quo reuerti noluerit[9], in quinque soldis, dandis domino primis operis efficaciter compellatur[10].

CAP. LXXXIV. DE MULIERE PREGNANTE COMMITTENTE HOMICIDIUM[11].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua mulier pręgnans commiserit homicidium, uel aliud maleficium, propter quod deberet perdere personam; quod[12] pęna mortis differatur in ea, donec parturierit, sed interim diligenter custodiatur, ne post partum effugere ualeat pęnam corporalem, ad quam fuerit condemnata[13].

---

[1] Cod. acad. B: „condempnatus". [2] ibid.: „condempnationis". [3] Ap. Ljub.: „et altera sit". [4] Deest ibid. [5] Deest ibid. [6] Deest in cod. acad. B; ap. Ljub.: „ad". [7] Deest ap. Ljub. [8] Cod. acad. B: „condempnetur". [9] „pro quolibet — noluerit" deest ap. Ljub. [10] ibid.: „quolibet die". [11] ibid.: „maleficium". [12] Deest ibid. [13] Cod. acad. B: „condempnata".

CAP. LXXXV. DE MULIERE PREGNANTE NON TORMENTANDA.

Item statutum et ordinatum est, quod mulier, dum est pręgnans, pro nullo maleficio debeat tormentari, quia tormenta possent deleui uentri et partui mortis periculum generare. Et si mulier diceret se pręgnantem causa differendi pęnam mortis, uel periculum tormentorum et pręgnans non esset, tunc super hoc iudicium medicorum peritorum et bonarum et legalium dominarum[1] et matronarum specialiter requiratur, ut sub religione sacramenti pręstandi ab eis dicant et prospiciant diligenter, si credunt dictam mulierem esse pręgnantem, uel non et secundum eorum testimonium procedatur ad differendum, uel non differendum[2] mortis supplicium, uel tormenta. Ad tormenta uero procedi possit inditijs, uel pręsumptionibus contra quoslibet dilinquentes, ne maleficia remaneant impunita.

CAP. LXXXVI. DE EXTRAHENTIBUS METAM DE AGRO ALICUIUS[3].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis malo ingenio extrahat aliquam metam de agro alicuius, soluat communi quinquaginta libras et sit infamis et emendet damnum[4] patienti, quam pęnam si soluere non poterit, bulletur in maxillis de[5] tribus bullis.

CAP. LXXXVII. DE MAGICALIBUS ARTIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla persona pręsumat facere artes magicales uel herbarias, nec operam det ad prędicta facienda.

Et qui contrafecerit, igne comburatur ita quod moriatur et si caret filijs heredibus masculis, omnia sua bona deueniant in commune Spalati; si uero habuerit filias fęminas, medietas bonorum sit filiarum fęminarum et alia medietas sit communis.

CAP. LXXXVIII. DE ILLO[6], QUI COMMITTIT FRAUDEM IN UENDITIONE.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis uendiderit uel emerit rem pro aliquo et in ipsa uenditione uel emptione fraudem aliquam commiserit, soluat bannum decem librarum, cuius medietas sit communis, alia accusatoris et emendet totum damnum ei, contra quem commiserit dictam fraudem.

---

[1] Ap. Ljub.: „mulierum“. [2] Deest ibid. [3] ibid.: „alieno“. [4] Cod. acad. B: „dampnum“. [5] Deest ap. Ljub. [6] Deest ibid.

CAP. LXXXIX. DE DAMNIS DATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque inuenerit bouem, uacam, equum, asinum, capram, pecudem et porcum uel porcam in blada sua, uel in uinea sua, siue orto, siue sit sua propria, siue ipsam terram, ortum, uel uineam haberet ad laborandum et siue uinee esset[1] uidemiata, siue non esset uiademiata[2]; si de die eas inuenerit, soluat ille, qui pasculauerit dictas bestias, pro quolibet boue, equo, uaca uel asino xx^ti soldos, pro capra uel pecude, uel qualibet alia bestia minuta duos soldos; si de nocte, duplicetur bannum: cuius banni medietas sit accusatoris et alia communis. Et nihilominus damnum[3] passo debeat emendari; porcus uero uel porca sit illius, qui eum uel eam inuenerit in suo laborerio[4] et credatur ipsi inuentori cum sacramento de inuentione ipsarum[5] bestiarum, scilicet de tot bestijs, pro quibus possit fieri condemnatio[6] secundum dictam formam usque ad quantitatem centum soldorum tantum[7] et non plus. Ab inde uero supra usque ad decem libras credatur sacramento suo cum uno teste de inuentione bestiarum; a decem uero libris supra de inuentione dictarum bestiarum plena et suffitiens probatio per testes ydoneos requiratur, scilicet, quod totum[8] sint pro quibus possit condemnatio[9] fieri secundum pęnas prędictas, ita quod per solum sacramentum alicuius ultra quinque libras nullus ualeat condemnari[10].

Dictum uero damnum[11] emendetur secundum extimationem duorum uirorum ydoneorum, qui mitti debeant ad uidendum et extimandum dictum damnum[12] per potestatem et rectorem et offitiales dictę ciuitatis[13].

CAP. XC. QUOD NULLUS DEBEAT SEÇCARE LIGNA IN MONTE SERANDE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus debeat[14] seccare ligna, uel frondes in monte Serandę; et qui contrafecerit, soluat bannum quatuor librarum, cuius medietas sit communis et alia accusatoris, Et capitanei de logia, qui sunt per mensem ad custodiendum ciuitatem, teneantur omni die mittere duos homines de

---

[1] Ap. Ljub.: „sit". [2] „esset uind." deest ibid. [3] Cod. acad. B: „dampnum". [4] Ap. Ljub.: „territorio". [5] Deest ibid. [6] Cod. acad. B: „condempnatio". [7] Deest ap. Ljub. [8] ibid.: „scilicet, quot sint bestię, tot". [9] Cod. acad. B: „condempnatio". [10] ibid.: „condempnari". [11] ibid.: „dampnum". [12] ibid.: e. m. [13] Ap. Ljub.: „Spalati". [14] ibid.: „audeat".

custodia logię ad custodiendum dictam Serandam; quorum unus stet in Seranda maiori et alius ad caput uineę Macomelęi; qui debeant accusare et denuntiare rectori omnes incidentes seu portantes[1] ex ipsa Seranda ligna, uel frondes et etiam pascentes in ipsa ab ecclesia sancti Anastasij supra incipiendo a festo sancti Georgij usque ad natiuitatem domini. Et rector dictę ciuitatis teneatur in omni festo sancti Georgij facere bandiri prędicta publice in platea.

Et si dicti capitanei logię[2] non mitterent dictos custodes ad dictam custodiam faciendam, aut si dicti custodes non denuntiarent uel accusarent incidentes, portantes seu pascentes, soluat quilibet eorum pro banno xl^ta^ soldos. Et incidentes, portantes seu pascentes pro qualibet uice dictam pęnam soluere teneantur.

Volumus etiam, quod quęlibet persona, quę intrauerit uineam, ortum uel zardinum[3] pro damno[4] aliquo, uel furto faciendo et captus ibi fuerit, uel conuictus, soluat pro banno quinque libras, cuius medietas sit communis, alia damnum[5] passi. Et nihilominus teneatur damnum[6] emendare secundum extimationem dictorum duorum uirorum.

Et si de nocte prędicta commissa fuerint, puniatur in decem libris et si non habuerit, unde soluat, fustigetur per ciuitatem.

Et de prędictis excessibus potestatis arbitrio puniatur, inspecta conditione personę et qualitate facti, eo semper saluo, quod si quis ammiserit aliquam bestiam et causa reinueniendi ipsam bestiam si intrauerit in uineam, ortum uel zardinum[7] alicuius, ipse pro tali suo introitu non puniatur; saluis alijs pęnis prędictis de bestijs intrantibus in alienas possessiones, quę penę pro damno[8] bestiarum ualeant, prout superius sunt expressę.

CAP. XCI. QUOD NULLUS TENEAT UIRIDARIUM UEL PROTENSUM SUPRA DOMUM UEL TERRENUM ALICUIUS.

Item statutnm et ordinatum est, quod nullus habeat uel teneat uiridarium uel aliquod aliud[9] lignum, uel protensum supra domum uel supra[10] terrenum alicuius. Et si ille cuius est domus, uel terrenum, super quo est dictum uiridarium, lignum uel protensum, fuerit protestatus[11] illi, qui habet uel tenet dictum uiridarium, lignum·

---

[1] „seu portantes“ deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] Cod. acad. B: „xiardinum“. [4] ibid.: „dampno“. [5] ibid.: „dampnum“. [6] ibid. e. m. [7] ibid.: „xardinum“. [8] ibid.: „dampno“. [9] Deest ap. Ljub. [10] Deest ibid. [11] ibid.: „protestatur“.

uel protensum, quod ipsum debeat remouere: teneatur ille, qui tenet tale uiridarium, lignum uel protensum, ipsum[1] remouere usque ad quinque dies sequentes post factam sibi dictam protestationem, quę protestatio debeat apparere per publicum instrumentum. Et si infra dictum terminum dictum uiridarium, lignum[2] uel protensum non eleuauerit, seu remouerit, condemnetur[3] communi[4] in xl^tis^ soldis et nihilominus tale uiridarium, lignum uel protensum per rectorem seu offitiales dictę ciuitatis[5] remouere[6] totaliter compellatur.

CAP. XCII. DE MALEFICIJS COMMISSIS DE NOCTE.

Item statutum et ordinatum est, quod in omnibus et singulis maleficijs, commissis de nocte, pęnę presentium statutorum debeant duplicari, pręter quam de uerbis iniuriosis, nec intelligantur maleficia commissa de nocte quę committuntur ad occasum[7] solis inter diem et noctem; sed illa maleficia intelligantur de nocte commissa quoad duplicationem pęnę, quę committuntur post tercium sonum campanę, quę pulsatur de sero pro custodia ciuitatis Spalati usque ad matutinum ecclesię maioris; ita tamen, quod in duplicationibus et multiplicationibus[8] pęnarum, quam pluries contingit pęnam duplicari per formam statutorum, nunquam fiat duplicatio uel multiplicatio dupli sed simpli, hoc est primę pęnę inpositę per statutum; uerbi gratia, ut iste punctus sit omnibus manifestus, qualiter fieri et intelligi debet: pone quod aliquis percusserit aliquem cum manu in personam, cui est pęna centum soldorum, si tamen eum percusserit in uultu, duplicatur pęna. Item statutum et ordinatum est, quod si ignobilis percusserit nobilem, duplicetur pęna[9]. Item statutum et ordinatum est, quod si quis commiserit maleficium in die festiuitatis sancti Domnij[10], duplicatur pęna. Item statutum et ordinatum est, quod si quis commiserit aliquod maleficium de nocte, duplicatur pęna. Modo est casus, quod quidam ignobilis[11] percussit cum manu quemdam nobilem in uultu post tercium sonum campanę, siue de nocte et in die festiuitatis sancti Domnij[12]; qualiter puniri et duplicari pęna prędicta debeat? Certe breue respondetur, quod postquam est facta una duplicatio pro percussione in uultu, pro

[1] Deest ap. Ljub. [2] Cod. acad. B: „ligna". [3] ibid.: „condempnetur". [4] Ap. Ljub.: „Spalati". [5] ibid.: „dicti communis Spalati". [6] ibid.: „ipsum". [7] ibid.: „ab occasu". [8] Deest ibid. [9] Verba: „Item — pęna" desunt in cod. acad. A. [10] Cod. acad. B: „beati Dompnij". [11] Cod. acad. A: „nobilis". [12] Cf. adn. 10)

alijs non debet imponi pęna, nisi pro qualibet duplicatione, quantum est prima pęna, quia duplum non debet duplicari, sed simplum, id est prima pęna. Vnde in dicto casu dictus ignobilis condemnatur[1] primo in decem libris pro percussione in uultu, et quia ignobilis percussit nobilem, crescit condemnatio[2] in alijs centum soldis; et quia fuit in die festiuitatis beati Domnij[3], crescit condemnatio[4] in alijs centum soldis, et ita pro percussione prędicta condemnabitur[5] in xxv libris. Vnde isto modo est facienda duplicatio pęnarum recte intelligenti. Ideo dicit lex, quod duplum est sors et aliud tantumdem et alibi dicit lex, quid id quadruplabitur, quod simplandum est.

CAP. XCIII. DE FURNARESIS[6].

Item statutum et ordinatum est, quod furnaresę coquant bene panes. Et si panis fuerit male coctus, soluat communi decem soldos pro qualibet uice et emendet damnum[7] panis male cocti.

CAP. XCIV. QUOD IN MOLENDINIS NON AUFERATUR CIRIDA[8].

Item statutum et ordinatum est, quod in molendinis cirida[9] non auferatur alicui et qui contrafecerit, soluat pro banno uiginti soldos, cuius medietas sit communis, alia[10] accusatoris.

CAP. XCV. QUOD TABERNARIUS NON TENEAT TABERNAM APERTAM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus teneat tabernam apertam post tercium sonum campanę et bibitores, seu potatores[11] expellat sub banno uiginti soldorum communi[12]; ad quam pęnam soluendam teneatur tam ille, qui fuerit inuentus in ea, quam tabernarius.

CAP. XCVI. QUOD MALE UENDULE NON FILENT.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla mulier neque maluendula, siue quę lac uendit, pręsumat filare uendendo illas res, quę possent contaminari, sub banno duodecim denariorum; et riuarij teneantur frangere caniculas.

---

[1] Cod. acad. A: „condempnatur". [2] ibid.: „condempnatio". [3] cod. acad. B: „Dompnij". [4] ibid.: „condempnatio". [5] ibid.: „condempnabitur". [6] Ap. Ljub.: „fornarijs". [7] Cod. acad. B: „dampnum". [8] ibid: „cerida"; ap. Ljub.: „coreda". [9] ibid. e. m. [10] Ap. Ljub.: „altera". [11] ibid.: „tabernarius". [12] ibid.: „applicando".

Addimus etiam, quod nullus sit ausus emere poma cuiuscumque generis ab aliquo forense ad reuendendum sub pęna decem soldorum dicto communi soluenda.

CAP. XCVII. QUOD NULLUS EMAT RES DE CURSU, NEC UADAT IN CURSUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ciuis uel forensis audeat uel pręsumat in ciuitate Spalati uel in suo districtu emere ab aliqua persona aliquas res, quę fuerint derobatę[1], uel acceptę per Almiscianos uel piratas, qui exercent cursum, nec illas exportare ad ciuitatem Spalati. Qui uero contrafecerit, soluat communi pro banno quinquaginta libras et res emptas perdat et ueniant in commune[2].

Et si quis ciuis seu etiam habitator ciuitatis Spalati iret in cursum, sit in perpetuum exul de ciuitate prędicta et omnia bona sua deueniant in commune et si in fortiam communis peruenerit, manus sibi dextra debeat amputari.

CAP. XCVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ciuis, uel habitator ciuitatis Spalati uendat arma, barchas, clauos, stuppam, sepum, sarzas[3], anchoram, picem, nec aliquid aliud alicui cursaro, quod pertineat ad adiutorium cursi[4] sub pęna xxv librarum; et quilibet possit de hoc accusare et teneatur priuatus accusator[5] et habeat medietatem banni.

CAP. XCIX. DE FURANTIBUS ARATRUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus audeat, uel pręsumat furari aratrum et qui contrafecerit, soluat pro banno centum soldos, cuius medietas sit communis et alia accusatoris et emendet aratrum[6] et si dictam condemnationem[7] soluere non poterit, mittatur in cathenis per tres dies et postea fustigetur per ciuitatem Spalati.

CAP. C. DE IMPETRANTIBUS LITERAS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ciuis uel districtualis ciuitatis Spalati audeat, uel pręsumat aliquam literam impetrare

---

[1] Ap. Ljub.: „rubatę". [2] ibid.: „Spalati". [3] Cod. acad. B: „sarços". [4] Ap. Ljub.: „cursus". [5] ibid.: „accusare". [6] ibid.: „damnum". [7] Cod. acad. B: „condempnationem".

ab aliquo extraneo dictę ciuitatis, seu ab aliquo domino spirituali uel temporali, seu ecclesiastico uel sęculari, per quam petat sibi aliquam remissionem uel gratiam fieri, quę posset esse in damnum[1] et prędiuditium communitatis Spalati, seu in[2] uituperium potestatis, qui pro tempore fuerit in ciuitate prędicta[3]; uidelicet, quod contra eum non procedatur occasione alicuius maleficij per eum commissi, uel quod sibi aliqua condemnatio[4] cassaretur, uel remitteretur contra eum, uel contra aliquem suum consanguineum non fiat. Et qui contrafecerit, in duplum condemnetur[5] de eo, quod deberet condemnari[6], uel de illa condemnatione[7], quam peteretur[8] remitti.

Et si potestas, qui pro tempore fuerit, prędictas litteras in consilio legeret, uel legi faceret, aut sibi faueret, aut aliquid de prędictis proponeret, soluat communi de suo salario centum libras et reformatio, quę super hoc fieret, nullam obtineat firmitatem.

CVP. CI. QUOD NULLUS REUELLET SECRETA CONSILIJ.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis ausus fuerit secreta consilij uel sententias, priusquam prolatę essent, publicare uel aliquod secretum consilij per potestatem uel rectorem impositum alicui pandere, uel reuellare; potestates et rectores sint districti[9] uinculo sacramenti facere super hoc diligentem et solicitam inquisitionem. Et qui inuentus fuerit[10] culpabilis in prędictis, uel in aliquo prędictorum, soluat communi duodecim libras et sit priuatus tempore illius[11] rectoris ab offitio curię; et quicumque de hoc accusauerit, uel denuntiauerit, habeat xl^{ta} soldos et teneatur in credentia.

Qui autem reuellauerit aliquod secretum contra commune Spalati, siue tempore guerrę, siue tempore pacis, potestatis arbitrio puniatur, inspecta autem conditione personę et qualitate facti.

CAP. CII. DE INSTITUTIONE HEREDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis in suo testamento, uel ultima uoluntate instituit, uel fecit[12] filium suum, uel

---

[1] Cod. acad. B: „dampnum". [2] Ap. Ljub.: „posterum". [3] ibid.: „Spalati". [4] Cod. acad. B: „condempnatio". [5] ibid.: „condempnetur". [6] ibid.: „condempnari". [7] ibid.: „condempnatione". [8] Ap. Ljub.: „peteret". [9] ibid.: „potestas et rector sit restrictus". [10] ibid.: „super hoc". [11] ibid.: „ipsius". [12] ibid.: „instituerit, uel fecerit".

alium sibi heredem et dixit, quod quandocumque suus heres institutus decesserit cum filijs, ut testatori placuerit ordinare, quod bona et hereditas sua deueniat in alium: si ille institutus commisit[1] homicidium, uel aliud maleficium, propter quod bona eius deberent destrui uel publicari communi Spalati, quod tunc per commune dicta bona non debeant destrui, sed debeant possideri per commune Spalati[2], quousque uixerit malefactor; mortuo autem malefactore dicta hereditas et bona in continenti perueniant in substitutum, ut uoluntas defuncti modis omnibus adimpleatur.

Item intelligatur et censeri debeat, si aliquis donaret alicui aliquam domum, terram, uel uineam, retento usufructu donatori usque in[3] mortem suam de rebus domus et donator committeret dicta maleficia, tunc dicta bona non destruantur, sed possideantur per commune Spalati usque in mortem[4] donatoris; sed statim mortuo donatore ipsa bona perueniant in illum, cui donatio facta fuit[5].

CAP. CIII. IN QUIBUS CASIBUS POTESTAS HABEAT ARBITRIUM INQUIRENDI.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas et rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati[6], in quatuor infrascriptis maleficijs tantum habeat arbitrium inquirendi et procedendi ad aliquem uel aliquos tormentandos: uidelicet in proditionibus ciuitatis, homicidijs, furtis et combustionibus domorum, uel segetum[7]. Possit etiam inquirere in illis casibus, in quibus per aliquod speciale statutum permittitur sibi et datur licentia inquirendi, dum tamen in condemnatione[8] non excedat pęnas, contentas in statuto dictę ciuitatis.

In alijs autem maleficijs nullo modo possit inquirere, nec procedere contra aliquem, nisi per accusationem uel denuntiationem faciendam ab illo, qui recepit iniuriam.

CAP. CIV. QUOD DOMINUS NON POSSIT ACCIPERE TERRAM LABORATORI

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis receperit aliquam[9] terram[10] ad laborandum et ipse laborator cultiuauerit et laborauerit ipsam terram, dominus non possit eam sibi auferre,

---

[1] Ap. Ljub.: „commiserit". [2] „per com. Sp." deest ibid. [3] ibid.: „ad". [4] Verba: „domus et domus" usque ad: „mortem" desunt ibid. [5] ibid.: „fuerit". [6] Verba: „et rector — Spalati" desunt ap. Ljub. [7] Ap. Ljub. apponuntur hic loco verba: „In alijs uero maleficijs nullo modo possit inquirere, nec procedere contra aliquem", quae principio secundae alineae hujus capituli denuo ponuntur. [8] Cod. acad. B: „condempnatione". [9] Deest ap. Ljub. [10] ibid.: „alicuius".

nisi post receptionem fructuum duorum annorum; excepto si dominus terrę ipsam per semet ipsum[1] uoluerit laborare, tunc possit eam recipere post primam receptionem fructuum primi anni post cultuiam, non dando ipsam terram in alijs personis ad laborandum sub pęna centum soldorum.

Et quicumque habuerit terram ad laborandum ad quamlibet partem, non possit, nec debeat alicui dare aliquid de parte domini terrę, nec manipulos, nec paleam, sed omnes expensas de suo proprio faciat. Qui uero contra fecerit, soluat pro banno centum soldos, cuius medietas sit communis et alia accusatoris.

CAP. CV. QUOD LABORATOR NON DECIPIAT CONDUCTOREM, NEC E CONTRA[2].

Item statutum et ordinatum est, quod nec laborator decipiat conductorem, nec conductor laboratorem. Qui autem contrafecerit, in soldos quadraginta uice qualibet condemnetur[3] et damnum[4] emendet; cuius banni medietas sit communis et alia denuntiatoris, uel accusatoris.

CAP. CVI. DE FRANGENTE BUCCARIUM, UEL RIUARIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque fregerit buccarium, uel riuarium communis in aliqua tenuta, soluat communi pro buccario centum soldos, pro riuario uiginti soldos[5], cuius banni medietas sit communis, alia accusatoris uel denuntiatoris.

CAP. CVII. QUOD NULLUS EMAT, UEL DEPOSITUM FACIAT A SERUO, ANCILLA, UEL FAMULO.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus aliquid emat, uel depositum faciat uel[6] recipiat a seruo, uel ancilla, uel ab aliquo conducto[7], uel famulo uel fantischa, quem, uel quam sciat esse seruum uel ancillam, uel conductitium, uel famulum, uel fantischam[8]. Et qui contrafecerit, soluat bannum communi quinque librarum et emendet damnum[9] domino, in quantum dominus serui, ancillę uel conductitij famuli[10] uel fantischę iurauerit, se in prędictis esse damnificatum[11].

---

[1] Deest ap. Ljub. et in cod. acad. B. [2] Ap. Ljub.: „conuerso". [3] Cod. acad. B: „condempnetur". [4] ibid.: „dampnum". [5] Deest ap. Ljub. [6] ibid.: „in depositum aliquid". [7] ibid: „condititio". [8] Verba: „quem uel quam — fantischam" desunt ibid. [9] Cod. acad. B: „dampnum". [10] Deest ap. Ljub. [11] Cod. acad. B: „dampnificatum".

CAP. CVIII. QUOD CIUIS NON SUSCIPIAT PROCURAM[1] AB ALIQUO FORENSE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ciuis uel habitator[2] Spalati suscipiat aliquam procurationem ab aliquo forense contra aliquem alium ciuem uel habitatorem ciuitatis Spalati. Et qui contrafecerit, in decem libris uice qualibet condemnetur[3].

Et curia non possit alicui ciui uel habitatori dictę ciuitatis dare licentiam exercendi dictam procurationem pro dicto forense et si concederetur ipsa licentia[4], non ualeat[5].

Aduocatus tamen ciuis possit esse pro forense aliquis de aduocatis curię dicti communis et non alius sub pęna superius declarata.

CAP. CIX. QUOD NULLUS DET BARCHAM AD MALEFICIUM COMMITTENDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus det barcham suam nec pro pecunia, nec ad partem aliquam ad aliquod furtum uel aliud[6] maleficium committendum. Qui uero contrafecerit, de toto[7] maleficio, quod cum ipsa barcha factum fuerit, ipse dominus barchę respondere et satisfacere teneatur illi, qui damnum[8] receperit et[9] dominus barcę teneatur de dicto damno[10] ad malefactores. Et nihilominus, si dominus barchę scienter ipsam barcham dederit ad furtum, uel ad aliquod aliud maleficium perpetrandum, in uigintiquinque libris communi Spalati[11] irremissionabiliter condemnetur[12].

CAP. CX. DE EO, QUI CONDUCIT BOUES[13] UEL SOMERIOS ALIENOS AD ARANDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis scienter conduxerit boues uel somerios alicuius ad arandum pro aliquo aratore sine licentia domini bobum uel someriorum, soluat pro banno decem libras, cuius banni medietas sit communis, alia sit domini bobum uel someriorum. Et de dicta condemnatione[14] medietatem soluat arator, aliam[15] conductor.

---

[1] Ap. Ljub.: „procurationem". [2] ibid.: „ciuitatis". [3] Cod. acad. B: „condempnetur". [4] Ap. Ljub.: „ipsa licentia". [5] ibid.: „nec teneat". [6] Deest ibid. [7] ibid.: „illo". [8] Cod. acad. B: „dampnum". [9] Ap. Ljub. desunt verba: „dominus — et". [10] Cod. acad. B: „dampno". [11] Deest ap. Ljub. [12] Cod. acad. B: „condempnetur". [13] Deest in cod. acad. A. [14] Cod. acad. B: „condempnatione". [15] Ap. Ljub.: „uero ipse"

CAP. CXI. DE TRACTANTIBUS INIURIAM CIUITATIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque fecerint uel tractarent aliquam iniuriam, obprobrium uel uerecundiam ciuitatis Spalati, quod ultra pęnas eis statutas in pręsenti uolumine statutorum eorum nomina et cognomina scribantur in uno libro communis ad hoc specialiter ordinato, ut de eis possit in eorum uituperium et damnum[1] esse memoria in ęternum.

CAP. CXII. DE UINO FORENSIUM NON CONDUCENDO AD[2] CIUITATEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat ducere uinum ad ciuitatem Spalati[3], nisi de campo Spalatensi, scilicet ab ecclesia sancti Petri de Gumao et a columna[4] in Dylato posita uersus ciuitatem de uineis; uidelicet ciuium non extraneorum. Et nullus emat uinum a uineis extraneorum ad portandum ad ciuitatem; qui uero contrafecerit, uinum perdat tam conductor[5], quam emptor et soluat pro banno uiginti libras, cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

Et nullus ab alterenis finibus, uel extraneis[6] ciuitatibus uinum ducat, uel cum uino ciuitatem appropinquare debeat, nisi in insula Soltę, Bracię et Boę. Et si acciderit, quod forensis applicaret in districtu Spalati cum uino, potestas et rector dictę ciuitatis teneatur ei pręcipere, quod recedat cum dicto uino usque ad terciam diem; et si contrafaceret, teneatur soluere pro banno uiginti libras, cuius medietas sit communis et alia accusatoris et perdat uinum et ueniat in commune Spalati et de ipso etiam uino accusator, uel denuntiator habeat medietatem. Eo saluo, quod si alicui ciui Spalati esset opus aliquo uino forensium pro infirmitate sua, uel suę familię, possit cum licentia potestatis et rectoris dictę ciuitatis portare et portari facere usque ad quatuor galletas uini. Sine licentia uero[7] nullo modo audeat portare, nec portari facere dictum uinum forensium ad ciuitatem Spalati sub pęna prędicta.

CAP. CXIII. QUOD NULLUS DET BARCHAM ALICUI PRO UINO CONDUCENDO SCARDONAM UEL NARENTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus det barcham suam, uel casselatas ad conturam[8] alicui, qui uellet emere uinum in Tra-

---

[1] Cod. acad. B: „dampnum". [2] Ap. Ljub.: „non". [3] Deest ibid. [4] Cod. acad. B: „columpna". [5] Ap. Ljub.: „ductor". [6] ibid.: „alterius". [7] ibid.: „potestatis seu rectoris dictę ciuitatis". [8] ibid.: „conducturam".

gurio uel in Almiscio, siue in insulis ad portandum Scardonam, uel Narentum. Nec aliquis ciuis conducat barcham uel casselatas ad uinum in prędictis locis emendum et ad prędictum locum portandum ad pęnam quinquaginta librarum, cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

Et hoc intelligatur tam de ciuibus, quam de forensibus, habitantibus in ciuitate Spalati.

CAP. CXIV. DE UIGILIBUS UINEARUM.

Item statutum et ordinatum est, quod in uineis de quinquaginta[1] uretenis in circuitu sit unus uigil, qui fideliter custodiat ipsas uineas dando cuilibet ius suum, tam laboratori, quam domino terrę tam de fructibus, quam de ouis et non plus, quam habere debet. Si uigil contra hoc fecerit, puniatur in quadraginta soldos, cuius medietas sit communis, alia accusatoris. Vigil uero sit solutus a dominis uinearum per rationem de communi.

Laborator uero teneatur conducere salmerium et hominem ad ducendum mustum et dominus terrę refundat sibi per rationem sub pęna decem soldorum, ad quam pęnam teneatur laborator, si non conduxerit et dominus, si non refunderet[2] laboratori, ut prędictum est; nec laborator debeat uindemiare uineam sine licentia domini sub pęna quadraginta soldorum.

CAP. CXV. QUANDO NOBILIS HABET COLLOQUIUM CUM POPULARI.

Item statutum et ordinatum est, quod quandocumque nobilis haberet colloquium cum aliquo populari, dictus popularis teneatur stare pedes, quousque nobilis secum locutus fuerit sub pęna quinque soldorum pro qualibet uice communi Spalati soluenda.

CAP. CXVI. DE PISCATORIBUS ET UENDENTIBUS PISCES.

Item statutum et ordinatum est, quod piscatores uendant omnes pisces recentes in die, in quo applicuerint ad portum ciuitatis et non uendant alibi, nisi in foro piscium, stando in pedibus et quod piscatores pęna et banno in ipso statuto contenta debeant dare et uendere pisces emere uolentibus secundum antiquam consuetudinem, uidelicet salpam pro octo denarijs, sceronem pro duobus denarijs,

---

[1] Ap. Ljub.: „quadraginta“. [2] ibid.: „responderit“.

axerbum pro tribus denarijs, escogo[1] pro duobus denarijs et libram omnium piscium[2] pro duobus denarijs.

Et unusquisque uendat partem suam ad forum, statim cum portum applicuerit. Si uero in die quadragesimę post prandium uenerint tempestiuę, de mane pisces ad forum ducere debeant et eos uendant ut dictum est. Et qui contra fecerit, soluat pro banno uiginti soldos, cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

CAP. CXVII. DE BECHARIJS ET UENDENTIBUS ETIAM[3] UOLATILIA.

Item statutum et ordinatum est, quod carnes animalium et uolatilium isto modo uendantur: imprimis libra carnium bouinarum pro duobus denarijs, de ceruo pro duobus denarijs, de mascelo pro quatuor denarijs; et quod libra carnium salitarum de porco uendatur pro sex denarijs, de scropha uero pro quinque denarijs datur[4]. Quarta castroni pro uno grosso detur[5], de montone, capra, pecude, uel de alijs pecoribus quarta pro uiginti octo denarijs, uenter pecudis pro duodecim denarijs, intramina pro sex denarijs, caput pro sex denarijs[6]. Quarta agni uel capreti pro octo denarijs, par perdicum magnarum pro sexdecim denarijs, paruarum pro duodecim denarijs; lepus pro quadraginta denarijs, par columbarum magnarum pro quinque denarijs, paruarum pro quatuor denarijs.

Et quilibet uendens animalia et uolatilia supradicta et qui ea tenet ad uendendum, teneatur cuilibet emere uolenti dare pro pręcio supradicto; qui autem contrafecerit, pro qualibet uice de quadrupedibus soluat nomine pęnę quadraginta soldos et cuilibet liceat contrafacientes denuntiare et accusator etiam habeat medietatem banni.

Quilibet autem beccharius, qui uult uendere carnes, habeat balancias de ferro iustas et legales ad ponderandum carnes, quę uenduntur ad pondus seu ad libram, quas balanceas ponat longe a bancha uno pede, ad hoc, ut dictę balanceę non incomodantur[7] in aliquo loco, quando ponderantur carnes cum eis. Et ipsas carnes uendant publice et palam ad beccharias et ad banchas beccharię et non priuate, nec alibi, nisi ad dictam beccharium Et qui contra fecerit, quolibet die, quo steterit ad uendendum carnes, in quadraginta soldos condemnetur[8], cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

---

[1] Cod. acad. B: „eschogro". [2] ibid.: „prominę"; ap. Ljub.: „omnis fęmininę". [3] Deest ap. Ljub. [4] Deest ibid. [5] Deest ibid. [6] caput — denarijs" deest ibid. [7] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „incumbantur". [8] Cod. acad. B: „condempnetur".

CAP. CXVIII. DE BESTIJS NON PORTANDIS AD INSULAM QUARRE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de ciuitate Spalati audeat uel pręsumat portare et portari facere de ciuitate Spalati uel suo districtu carnes uiuas, scilicet boues, uacchas, porcos. castratos uel montones ad insulam Huarrę[1] a festo omnium sanctorum usque ad carnispriuium[2]. Et qui contrafecerit, in uigintiquinque libris uice qualibet condemnetur[3], cuius medietas sit communis et alia accusatoris.

CAP. CXIX. QUOD NULLUS ACCOMODET REMOS UEL SARTIA COMMUNIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus debeat accomodare alicui personę de remis uel de sartijs communis Spalati, uel aliquod lembum dicti communis, uel aliquas res pertinentes ad dicta lemba; qui uero contra fecerit, tam dans seu accomodans, quam recipiens in quadraginta soldos condemnetur[4]. Et si quod damnum[5] commune Spalati propterea incurreret, ipsum damnum[6] debeat totaliter emendare. Si uero ea uiolenter acceperit, puniatur arbitrio potestatis, inspecta conditione personę et qualitate negotij.

CAP. CXX. DE PROCLAMATIONE, QUE FIT IN CAMPO SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod ubicumque in campo Spalatino fieret aliqua proclamatio derobationis uel uiolentia[7] uicini alterius contratę, quod illi, qui audierint illam proclamationem, teneantur in continenti ire et succurrere ad defensionem illius, qui reciperet talem iniuriam uel uiolentiam et ad eum adiuuandum et defendendum bona fide, sine fraude. Et qui non iuerit et succurrerit in continenti, ut dictum est, totum damnum[8] resartiet et emendet illi, qui passus est huiusmodi uiolentiam, si hoc probari poterit, et soluat communi Spalati pro banno decem libras.

CAP. CXXI. DE AURIFICIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus aurifex audeat aliquod laborerium facere de auro, quod esset peius auro floreni, nec de argento, quod esset peius argento storlini[9]. Et qui contra:

---

[1] Cod. acad. B: „Chuarrę"; ap. Ljub.: „Quarrę". [2] Ap. Ljub.: „festum carnispriuij". [3] Cod. acad. B: „condempnetur". [4] ibid. e m. [5] ibid.: „dampnum". [6] ibid. e. m. [7] Ap. Ljub. „uiolencię". [8] Cod. acad. B: „dampnum". [9] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „sterlini".

fecerit, soluat communi pro banno uigintiquinque libras et emendet damnum[1] seu laborerium domino operis. Et rector et offitiales dictę ciuitatis uinculo sacramenti faciant inquisitionem de prędictis et contrafacientes punire in pęnis ordinatis[2].

CAP. CXXII. QUOD NULLUM LEMBUM ONERETUR UEL EXONERETUR NISI IN PORTU SANCTI NICOLAI.

Item statutum et ordinatum est, quod de cetero aliquę naues paruę uel magnę cuiuscumque conditionis existant, non debeant in portu Salonę conduci ad onerandum, uel exonerandum, nec alibi in districtu Spalati, nisi in portu sancti Nicolai ciuitatis Spalati, nec per ciues, nec per forenses. Et si contrafactum fuerit, quod quęlibet persona contrafaciens, si deuenerit in fortiam domini potestatis et rectoris dictę ciuitatis, qui pro tempore fuerit, si sit patronus nauis, barcę uel alterius conditionis, in quinquaginta libris condemnetur[3], si marinarius, famulus, seu puer dicti patroni et quilibet prestans ducatum, auxilium, uel fauorem dicto patrono, in uigintiquinque libris condemnetur[4] pro quolibet[5] et res omnes, si capi poterint, deueniant in commune Spalati et nauis, si capi poterit[6], comburatur[7] ex toto in dicto portu sancti Nicolai in terra sicca. Et si prędicti condemnati[8] dictas condemnationes[9] soluere non possent, stent perpetuo in carcere[10] communis Spalati, donec dictas condemnationes[11] soluant; et qui capi non poterit de prędictis, sit in perpetuum exbannitus communis Spalati et in libro exbannitorum dicti communis scribatur ad perpetuam memoriam.

Et istud statutum sit precisum et truncum, ita, quod nullo modo possit suspendi, tolli, cassari, reuocari, uel remoueri per consilium, arrengam, nec alio quoque modo. Et rector, qui aliquam propositam faceret contra formam presentis statuti in aliquo consilio, uel parlamento dictę ciuitatis, in centum libris de suo salario condemnetur[12] sine aliqua remissione; et quicumque arrengaret contra formam presentis statuti, in libris quinquaginta irremissionabiliter condemnetur[13].

---

[1] Cod. acad. B: „dampnum". [2] Ap. Ljub.: „in ciuitate Spalati". [3] Cod. acad. B: „condempnetur". [4] ibid. e. m. [5] Ap. Ljub.: „eorum". [6] „deueniant — poterit" deest ibid. [7] ibid.: „comburantur". [8] Cod. acad. B: „condempnati". [9] ibid.: „condempnationes". [10] Ap. Ljub.: „carceribus". [11] Cf. adn. 9) [12] Cf. adn. 3) [13] Cf. ibid.

Et quilibet de ciuitate Spalati ad omne mandatum rectoris dictę ciuitatis teneatur ire cum armis in nauibus, uel barcis, uel pedes ad capiendum dictas naues, barcas et homines contrafacientes undecumque sint uel essent et eos conducere in fortiam dicti communis. Et qui contrafecerit, in uigintiquinqne libris uice qualibet puniatur[1] et nihilominus rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate prędicta, possit ex suo offitio inquirere et inquisitionem facere contra omnes et singulos, tam ciues, quam forenses, qui facerent contra pręsens statutum et quos culpabiles inuenerit, punire et condemnare[2] debeat secundum pęnas superius declaratas.

CAP. CXXIII. DE EO, QUI PER UIOLENTIAM PROHIBUIT FACERE ALICUI TESTAMENTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis prohibuerit per uiolentiam alicui facere testamentum uel codicillos, uel aliam quamlibet ultimam uoluntatem, quod priuetur et priuari debeat omni commodo bonorum defuncti, cuius uoluntatem fieri impediuit[3] et de[4] bonis ipsius defuncti nihil possit per successionem uel hereditatem aliquatenus obtinere; et nihilominus in quinquaginta libris debeat condemnari[5].

CAP. CXXIV. DE MODO PROCEDENDI AD TORMENTA.

Item statutum et ordinatum est, quod rectores et offitiales, qui pro tempore fuerint in ciuitate Spalati, non procedant ad tormentandum aliquem sine causa legitima. Et in tormentis faciendis isto ordine in causis criminalibus procedatur, cum a tormentis non sit incipiendum: uidelicet, quod nulla persona possit tormentari, nisi pręcedant pręsumptiones, uel indicia contra eum per testes contra eum receptos. Et si aliquis esset tormentandus pręcedentibus pręsumptionibus uel indicijs contra eum, non in tantum[6] debeat tormentari, quod pereat propter tormenta[7], sed ut moderatę rationis temperamenta desiderant, inspecta qualitate personę, quia aliter debiles et aliter fortiores sunt tormentandi. Et in hoc debet esse consideratio rectorum et offitialium dictę ciuitatis, nisi forte esset publicus et famosus fur, uel latro, uel pirata seu cursarius manifestus, in quo etiam casu bene facerent rectores et offitiales dictę terrę, si ante-

---

[1] Ap. Ljub.: „condemnetur". [2] Cod. acad. B: „condempnare". [3] Ap. Ljub.: „impediuerit". [4] Deest in cod. acad. A. [5] Cod. acad. B: „condempnari". [6] Ap. Ljub.: „tamen". [7] ibid.: „per".

quam procedant ad tormenta, testes aliquos recipiant de mala fama hominum prędictorum, scilicet latronum, furium et cursariorum. Et si plures essent pro[1] aliquo maleficio tormentandi a terriori[2] et timidiori seu iuniori ętate est primitus incohandum.

Et si aliquis super aliquo maleficio coram rectore uariat uel uacillat, potest poni rationabiliter ad torturam[3], sed sua uariatio seu uacillatio in actis scribatur ad memoriam ueritatis.

Et si probetur contra aliquem, quod extra iuditium fuit confessus, se commisisse maleficium, propter quod procedetur contra eum, sed postea in iuditio negat, se maleficium prędictum commisisse, potest poni rationabiliter ad tormenta.

CAP. CXXV. DE CAMPANA NON PULSANDA AD RUMOREM SINE CONSENSU[4] COMMUNIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla persona cuiuscumque status et conditionis audeat uel prędsumat in ciuitate Spalati pulsare campanam ad martellum, seu ad rumorem sine expressa licentia et uoluntate rectoris et communis Spalati[5]. Et qui contra fecerit, condemnetur[6] irremissionabiliter in trecentis libris Venetorum paruorum et si dictam condemnationem[7] soluere non posset, amputetur sibi manus dextra et in hoc[8] casu rector ciuitatis Spalati habeat plenum arbitrium inquirendi sine aliqua accusatione uel denuntiatione, dum tamen in condemnando[9] contrafacientes non excedat pęnam superius declaratam[10].

CAP. CXXVI. DE OFFENDENTIBUS DOMINUM POTESTATEM ET EIUS MILITEM[11].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis percusserit dominum potestatem, uel rectorem, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati[12] cum armis offensorijs, siue cum sanguine, siue sine sanguine, in ducentis libris condemnetur[13], si uero eius socium, in centum libris; semper si in uultu, pęna debeat duplicari. Si uero cum manu, pede, uel brachio percusserit dictum dominum potestatem,

---

[1] Ap. Ljub.: „de". [2] ibid.: „debiliori". [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: tormenta". [4] Ap. Ljub.: „licentia". [5] ibid.: „licentia communis Spalati et uoluntate rectoris". [6] Cod. acad. B: „condempnetur". [7] ibid.: „condempnationem". [8] Deest in cod. acad. A. [9] Cod acad. B: „condempnando". [10] Ap. Ljub.: „pęnas sup. declaratas". [11] ibid.: „Quod potestas possit pęnam imponere in causis criminalibus". [12] ibid.: „in dicta ciu." [13] Cod. acad. B: „condempnetur".

in centum libris condemnetur[1], si uero eius militem, in quinquaginta libris, habita supra[2] ratione et distinctione ad uultum et alias partes corporis. Et si dictam condemnationem[3] soluere non poterit, abscindatur sibi manus dextera.

Et in hoc casu rector ciuitatis Spalati habeat plenum arbitrium inquirendi sine aliqua accusatione uel denuntiatione, dum tamen in condemnando[4] contrafacientes pęnam prędictam excedere non ualeat ullo modo.

Et si aliquod[5] statutum contra pręsens statutum reperiatur in pręsenti uolumine statutorum, non ualeat, sed pręsens statutum sit derogatorium omnibus alijs statutis, tam generalibus, quam specialibus, quę ad[6] pręsentem materiam quocumque modo facere possent, ita quod pręsens statutum omnino inuiolabiliter debeat obseruari.

CAP. CXXVII. DE CONTEMPTU MANDATI[7].

Item statutum et ordinatum est per infrascriptos sapientes[8], quod potestas uel eius miles uel rector ciuitatis Spalati, qui pro tempore fuerit in ipsa ciuitate et quilibet ipsorum possit pro debitis in causis ciuilibus pręcipere et pęnam imponere cuicumque sibi uidebitur usque ad quantitatem decem librarum. In condemnando[9] autem possit pęnam mitigare, inspecta conditione personę et qualitate facti, prout sibi melius uidebitur conuenire.

CORRECTIONES[10].

Quę correctiones, addictiones et statuta suprascripta firmata fuerunt in publico et generali consilio ciuitatis Spalati ad uocem prę conis et sonum campanę in palatio communis mandato nobilis et potentis uiri Andreę domini Dominici de Marchis de Firmo, honorabilis potestatis ciuitatis prędictę[11] more solito congregato et lectę per me Quilielmum[12] Seruidei de Firmo, notarium dicti domini potestatis et ciuitatis Spalati sub anno domini Mcccxiiij, indiccione xij[a] tempore Clementis papę quinti, die xviij[a] aprilis. Nomina[13] statutorum et suprascriptas correctiones, additiones et statutum faci-

---

[1] Cod. acad. B: „condempnetur". [2] Ap. Ljub.: „semper". [3] Cod. acad. B: „condempnationem". [4] ibid.: „condempnando". [5] Ap. Ljub.: „aliud". [6] ibid.: „quoad". [7] ibid.: „Quod potestas possit pęnam imponere in causis ciuilibus". [8] ibid. et in cod. acad. B: „statutarios". [9] Cf. adn. 4) [10] Deest ap. Ljub.: ubi cap. CXXVII. continuatur. [11] ibid.: „Spalati". [12] ibid.: „Guidenum". [13] ibid.: „uero statutariorum".

entium[1] sunt: dominus Petrus Comi, Philippus Duymi, Grubulus domini Theodorij, dominus Lucarus Andreę, dominus Egidius Raynaldi, dominus Micha Madij.

Quę statuta, correctiones et additiones suprascriptę locum habeant post recessum domini potestatis[2].

In[3] nomine Domini amen. Anno millesimo trecentesimo decimo nono, indiccione secunda, regnante domino Karulo, serenissimo rege Vngarię, temporibus quidem venerabilis patris domini Petri archiepiscopi Spalatensis et magnifici uiri domini Georgij comitis Dalmatię, quinto die mensis aprilis statutum et ordinatum est[4] per consilium generale dictę ciuitatis in palatio eiusdem more solito congregato, nemine discordante, quod dominus potestas pręsens et qui pro tempore fuerit, rixantibus ipso uel suo socio superueniente possit pręcepta facere et banna imponere et ipsa banna contra inobedientes exigere ipso facto sine accusatione uel denuntiatione, dum sibi constitit de dicta inobedientia per legitimas probationes. Rixantibus uero ipsis absentibus possit pro eis mittere et eis pręcepta facere et pęnas imponere et contra inobedientes et contrafacientes procedere suo offitio et eos condemnare[5] et dictas condemnationes[6] exigere sine accusatione uel denuntiatione, dummodo sibi constet, eos delinquisse, per legitimas probationes. In ciuilibus uero possit pręcepta facere et banna imponere et post pręcepta mittere notarium ad logiam et quoscumque inuenerit delinquisse, ipso facto possit eos condemnare[7] et condemnationem[8] exigere sine accusatione uel denuntiatione. Et de omnibus pręceptis faciendis debitoribus tam communis, quam specialium personarum possit, ut dictum est, summarie procedere aliquo alio statuto non obstante.

INCIPIUNT CAPITULA QUINTI LIBRI.

Quod fiant quatuor suprastantes ad aptandum uias, pontes et fontes . . . . . j.
De eodem . . . . . ij.
De eodem . . . . . iij.
De eodem . . . . . iiij.

---

[1] „statutorum — facientium“ desunt ap. Ljub. [2] Sententia haec deest ap. Ljub. [3] Ap. Ljub. novum hic incipit capitulum CXXVIII. cujus est inscriptio: „De contemptu mandati“. [4] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „extitit“. [5] Cod. acad. B: „condempnare“. [6] ibid.: „condempnationes“. [7] Cf. adn. 5) [8] Cf. adn. 6)

De eodem . . . . . v.
Quod nullus ponat solarium supra uiam publicam . . . vj.
Quod nullus ponat sordes ante portas ciuitatis Spalati[1] . vij.
Quod plathea, quę uocatur plancatus, non ingomberetur fimo uel sordibus . . . . . viij.
Quod nullus ponat camardam sub muro burgi . . . . . ix.
De ędificijs[2] faciendis in muro burgi . . . . . x.
De procuratoribus super portu nauium . . . . . xj.
De muro faciendo ad curiam Sabaghi . . . . . xij.
Quod mense quolibet potestas uadat per ciuitatem et burgum . . . . . xiij.
De calcharibus faciendis . . . . . xiiij.
De fenestris supra cimiterium . . . . . xv.
De cloacis claudendis . . . . . xvj.
Quod magistri non habeant uinum a commune . . . . . xvij.
Quod potestas faciet murari decem passus muri . . . . xviij.
De eo, qui habet fenestram seu anditum . . . . . xix.
Ordinamenta pro stima bladi . . . . . xx.
De eodem . . . . . xxj.
De eodem . . . . . xxij.
De eodem . . . . . xxiij.
De eodem . . . . . xxiiij.
De eodem . . . . . xxv.
De eodem . . . . . xxvj.
De eodem . . . . . xxvij.
De eodem . . . . . xxviij.
De eodem . . . . . xxix.
De eodem . . . . . xxx.
De eodem . . . . . xxxj.
De eodem . . . . . xxxij.
De eodem . . . . . xxxiij.
De eodem . . . . . xxxiiij.
De eodem . . . . . xxxv.
De eodem . . . . . xxxvj.
De eodem . . . . . xxxvij.
De offendentibus uenientes cum blaua . . . . . xxxviij.
De emptoribus bladum in Sclauonia . . . . . xxxix.
De emptoribus molendinorum committentibus fraudem . . xl.

[1] Deest in cod. acad. B. [2] ibid.: „hedificijs“.

Ordinamenta super sale . . . . . xlj.
De eodem . . . . . xlij.
De eodem . . . . . xliij.
De eodem . . . . . xliiij.
Supra omnibus capitulis supradictis cuilibet sit licitum accusare et denuntiare . . . . . xlv.
De blado et sale generale statutum . . . . . xlvj.

INCIPIT QUINTUS LIBER STATUTORUM. INPRIMIS, QUOD FIANT QUATUOR SUPRASTANTES AD APTANDUM UIAS, FONTES ET PONTES, VIDELICET, UT INFRA[1].

Statutum et ordinatum est, quod potestas seu rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, teneatur uinculo sacramenti infra primum mensem sui regiminis facere eligi[2] in generali consilio dictę ciuitatis quatuor suprastantes, uidelicet unum suprastantem in quolibet quarterio dictę ciuitatis, quorum officium sit aptare et aptari facere uias publicas, fontes et pontes tam in ciuitate quam extra ciuitatem ad expensas illorum, qui ea facere debent secundum formam pręsentium statutorum. Et habeant illud salarium, quod eis per consilium generale dictę ciuitatis fuerit ordinatum.

Qui suprastantes iurent ad sancta Dei euangelia, corporaliter tacto libro, eorum officium facere et exercere fideliter et legaliter bona fide sine fraude. Et quod possint constringere et constringi facere illos homines, qui tenerentur ad aptationem alicuius uię ad ipsam uiam aptandam et faciendam; et quod possint pęnas et banna imponere usque ad quantitatem quinque soldorum pro quolibet illi, qui sperneret mandata eorum pro aptatione et reparatione alicuius uię. Et potestas et rector, qui pro tempore fuerit, teneatur uinculo sacramenti dare ipsis de riuarijs dicti communis ad faciendum ipsa pręcepta et mandata et dare eis adiutorium et fauorem ad eorum officium exercendum.

CAP. II. DE EODEM[3].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas cum dictis suprastantibus et officialibus teneatur facere plancare et aptare uias infra ciuitatem, quę indigerent aliqua aptatura ad expensas illorum,

---

[1] „videlicet ut infra“ deest in cod. acad. B. [2] Ap. Ljub.: „eligere“. [3] Ap. Ljub. sequitur tenor praesentis capituli capitulum III. nostrae editionis.

quorum sunt domus, qui tenent ipsas iuxta uias, ita quod unusquisque ante suam domum debeat murare et plancare, prout fuerit oportunum. Et domini domorum compellantur ad predicta per potestatem et rectorem dictę ciuitatis uinculo sacramenti.

CAP. III. DE EODEM[1].

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, qui pro tempore fuerit una cum dictis officialibus teneatur facere plancare uiam a plancato usque ad portam[2] nouam sicut est in gruptis per dominos domorum supra ipsam uiam positarum et ad eorum expensas, habendo cementum a communi Spalati[3].

CAP. IV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ponat limitare[4] in uia publica uel aliud, quod uiam impediat. Qui uero contrafecerit, soluat pro bano quadraginta soldos pro quolibet mandato, quod sibi fieret de remouendo dictum impedimentum; cuius banni medietas sit communis, alia accusatoris.

CAP. V. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus faciat uiam per uineam uel campum alicuius cum bestia, uel sine bestia. Si quis contrafecerit, si sine bestia, soluat pro banno decem soldos, si cum bestia, soluat uiginti soldos, cuius banni medietas sit communis, alia accusatoris.

CAP. VI. QUOD NULLUS PONAT SOLARIUM SUPRA UIAM PUBLICAM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ponat solarium nec ligna supra uiam publicam, nec projicijat stercora, nec aquam, nec aliud in uiam publicam. Et qui contrafecerit, soluat bannum uiginti soldos pro qualibet uice; cuius banni medietas sit communis et alia accusatoris; et teneatur, qui uiderit, per sui[5] sacramentum accusare. Et rector, qui pro tempore fuerit, dicta solaria eleuare faciat et destruere et ligna, quę fuerint extra muros simul faciat eleuare per suum sacramentum.

---

[1] Ap. Ljub.: Cap. II. De eodem. [2] Deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. B: „Spaleti". [4] Ap. Ljub.: „limitem". [5] Ap. Ljub.: „suum".

CAP. VII. QUOD NULLUS PONAT SORDES ANTE PORTAS CIUITATIS.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus ponat fimum uel sordes, neque purgatorias aliquas ante fores seu portas ciuitatis Spalati, sed quilibet ipsas portare debeat extra murum burgi ad riuum, ad litus maris. Et qui contrafecerit, soluat bannum xx^ti^ soldos, cuius medietas sit communis et alia accusatoris.

CAP. VIII. QUOD PLATEA, QUE UOCATUR PLANCATUS, NON INGOMBERETUR FIMO.

Item statutum et ordinatum est, quod platea ante ecclesiam, quę uocatur plancatus, non ingomberetur fimo uel aliquibus alijs sordibus, et qui contrafecerit, soluat bannum xl soldos, cuius banni medietas sit communis et alia accusatoris. Et similiter platea, quę uocatur pistorium[1] non ingomberetur aliquo fimo uel sordibus, sed mundetur. Nec aliquis adhęreat se muro burgi nec ciuitatis cum aliquo hedificio. Et qui contrafecerit, soluat bannum quinque librarum et hedificium diruatur.

CAP. IX. QUOD NULLUS PONAT CAMARDAM SUB MURO BURGI.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus pręsumat ponere camardam iuxta uel sub muro burgi et ciuitatis a domibus prędictorum in circuitu usque ad portam de riua, sed faciat ibi ortos. Et qui contrafecerit, soluat bannum xl soldos et hedificium diruatur.

CAP. X. DE HEDIFICIJS FACIENDIS IN MURO BURGI.

Item statutum et ordinatum est, quod rector uel iudices, qui pro tempore fuerint, faciant fieri[2] suo tempore hedificia in muro burgi, siue in ciuitate, uel extra ciuitatem et ubicumque opportunum esse uidebitur; cum consilio tamen et expensis[3] communitatis secundum possibilitatem ciuitatis.

CAP. XI. DE PROCURATORIBUS SUPER PORTUM NAUIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, uel curia, qui pro tempore fuerit, faciat fieri[4] procuratores super facto portus nauium et ad reparandum sauurnare et murum portus specialiter

---

[1] Ap. Ljub.: „pesturium". [2] ibid.: „facere". [3] „et expensis" deest ap. Ljub. [4] ibid.: „facere".

de prouentu barcharum et portus[1] et ad aliud illud[2] opus conuerti non possit, nisi ad prędicta expendenda[3]. Et ad prędicta[4] rector dictę ciuitatis teneatur uinculo sacramenti et pęna et banno ducentarum librarum.

CAP. XII. DE MURO FACIENDO AD CURIAM SABACHI.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas, uel curia, qui pro tempore fuerit in dicta ciuitate, teneatur facere murum a muro curię Sabachi uersus meridiem in mari, sicut stat murus sub turri[5] archiepiscopatus, ita quod nec homo, nec bestia possit inde transire; teneatur etiam facere in mari, ubicumque eis melius et utilius uisum fuerit[6].

Additum est etiam, quod potestas una cum consilio scilicet iudicium et consiliariorum teneatur aptare et aptari facere murum curię Sabagchi taliter, quod ciuitas non possit esse fracta, ut nunc est.

Et teneatur etiam potestas[7] facere quemdam murum ab angulo curię Sabachi usque ad angulum turris Petri Petrachę et debeat cogere modis omnibus opportunis illos, qui habent domos et muros in dicta curia, ad eleuandum murum dictę curię, qui est in mari, ita altum[8], sicut commune eleuabit suum; dummodo commune teneatur dare eis manuales ad dictum murum faciendum.

Et ad prędicta teneatur potestas uinculo sacramenti et pęna et banno quinquaginta librarum de suo[9] salario.

CAP. XIII. QUOD MENSE QUOLIBET POTESTAS UADAT PER CIUITATEM ET BURGUM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas teneatur ire per ciuitatem et burgum in capite cuiuslibet mensis cum iudicibus et alijs nobilibus[10] ad uidendum, si essent aliqua loca ab aliquo occupata, uel hedificium male positum ita, quod communitas, quod suum est, in se recipiat et male ordinata emendet[11].

---

[1] „specialiter — portus“ deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] ibid.: „exercenda“. [4] ibid.: „ipsa facienda et exercenda“. [5] Cod. acad. A: „turrim“. [6] Verba: „teneatur etiam — fuerit“ desunt ap. Ljub. [7] ibid.: „fieri“. [8] ibid.: „ita quod sit in altum“. [9] ibid.: „proprio“. [10] ibid.: „hominibus“. [11] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „emendentur“.

CAP. XIV. DE CALCARIBUS FACIENDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas teneatur facere duas calcharias pro hedificando muro burgi et alijs hedificiis communis[1] reparandis.

CAP. XV. DE FENESTRIS SUPRA CIMITERIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod ubicumque est fenestra supra cimiterium forata, claudatur per dominum ipsius domus ita, quod aliquod per ipsam projicere nequeat. Et si stercora uel sordes per ipsam projiceret, muro claudatur, quod non possit amplius projicere et soluat bannum decem librarum, cuius medietas sit communis et alia accusatoris.

CAP. XVI. DE CLOACIS CLAUDENDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque habuerit in uia communis bucam suę cloacę, teneatur eam claudere ita cum muro, quod sordes inde non exeant et eam aperire nequeant, nisi ad purgandum et purgata statim claudatur. Et qui contrafecerit, soluat communi bannum xl soldos, cuius medietas sit communis et alia accusatoris.

CAP. XVII. QUOD MAGISTRI NON HABEANT UINUM A COMMUNE.

Item statutum et ordinatum est, quod magistri, qui laborauerint in aliquo seruitio communis, non possint petere uinum a communi, nec detur eis.

CAP. XVIII. QUOD POTESTAS FACIAT MURARI DECEM PASSUS[2] MURI.

Item statutum et ordinatum est, quod postquam completum fuerit palatium communis, teneatur potestas uel rector, qui pro tempore fuerit in ciuitate, annuatim murare decem passus muri[3] ad caritonem uersus Sarandam; et teneatur uinculo sacramenti et banno xl librarum de suo salario.

CAP. XIX. DE EO, QUI HABET FENESTRAM SUPRA ANDITUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis habet aliquam fenestram super anditum, uel super curtem alicuius, non possit de

---

[1] Ap. Ljub.: „faciendis et“. [2] Cod. acad. A: „passa“. [3] ibid.: „de muro“.

dicta fenestra aliquod projicere super dictum anditum uel curtem. Et qui contra fecerit, pro qualibet uice soluat bannum xl soldos, cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

CAP. XX. ORDINAMENTA PRO STIMA BLADI.

Ad hoc ut copia bladi scilicet frumenti, ordei, speltę, milei et alterius cuiuscumque bladi sit et esse possit in ciuitate Spalati, statuimus et ordinamus, quod nullus possit extrahere frumentum, uel aliud quodcumque[1] bladum uel farinam extra ciuitatem Spalati et suum districtum per mare siue per terram sine licentia et bulla potestatis seu rectoris Spalati uel iudicium, uel consiliariorum, qui debent esse ad propositas faciendas. Et si per mare extraxerit, barcha, londrum uel lembum, in quo portaretur, publicetur et publicatum[2] remaneat in commune Spalati et comburatur in portu uel in platea et nihilominus ille, qui extraxerit, puniatur uice qualibet in quinquaginta libris Venetorum paruorum, cuius banni medietas sit communis et alia accusatoris, uel denuntiatoris et teneatur priuatus. Et similiter, si per terram extraxerit, bestia, cum qua portaretur, publicetur et publicata remaneat in commune Spalati et nihilominus, qui extraxerit, puniatur uice qualibet in xxv libris, cuius banni medietas sit communis et alia accusatoris uel denuntiatoris et teneatur priuatus. Et similiter bladum publicetur communi Spalati.

CAP. XXI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod omnes et singuli homines de uillis et insulis ciuitatis Spalati teneantur uinculo sacramenti totum bladum, quod eis superest a uita eorum, portare et portari facere ad ciuitatem Spalati et non ad alia loca. Et si quis contra fecerit, puniatur quilibet eorum in xx^{ti} libris.

CAP. XXII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet de ciuitate[3] et de uillis et insulis dictę ciuitatis Spalati[4] teneatur per sacramentum et omni modo, quo dicto potestati melius uidebitur conuenire, manifestare ipso domino potestati et suę familię totum granum et

---

[1] Ap. Ljub.: „aliquod". [2] ibid.: „publicata". [3] ibid.: „Spalati". [4] Deest ibid.

bladum, quod habet pęnes se, pęna et banno xxv librarum, per ipsum dominum potestatem eisdem inferendo[1]; et quod ipsum bladum scribatur per notarium ipsius domini potestatis.

CAP. XXIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla persona de ciuitate Spalati, uel de uillis et insulis ipsius ciuitatis audeat, uel pręsumat incanouare granum uel quodcumque aliud bladum causa reuendendi; et qui contrafecerit, soluat bannum xx^{ti} librarum et granum uel bladum incanouatum deueniat in commune ciuitatis Spalati.

CAP. XXIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod custodes eligantur per consilium generale, uel per consilium speciale, prout generali consilio placuerit, tam in ciuitate Spalati, quam in uillis et insulis dictę ciuitatis, qui diligenter debeant custodire, ne frumentum uel bladum extrahatur extra ciuitatem uel districtum Spalati contra formam pręsentium statutorum. Et si ipsi custodes aliquam fraudem commiserint in dicto eorum officio[2], quod uice qualibet puniantur in uiginti libris.

CAP. XXV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod dicti custodes teneantur dare bonos et ydoneos fideiussores de dicta custodia frumenti et bladi fideliter[3] et legaliter facienda sub pęnis contentis in pręsentibus[4] ordinamentis.

CAP. XXVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod tam dicti custodes, quam omnes alij[5] et singuli, qui denuntiarent et accusarent facientes contra pręsentia ordinamenta, habeant et habere debeant medietatem tam pęnę pecuniarię applicandę communi Spalati, quam etiam de grano, uel blado, quod portaretur contra bannum, quam etiam de lembo aut bestia, quo, uel qua ipsum granum uel bladum portaretur.

---

[1] Cod. acad. A: „inferendis“. [2] „in — officio“ deest ibid. [3] ibid.: „bene“. [4] ibid.: „statutis et“. [5] Cod. acad. A: „alijs“.

CAP. XXVII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque emerit introitus molendinorum de Salona, teneatur totum bladum ducere et portare ad ciuitatem Spalati et non debeat aliquid de ipso uendere, nec in molendino, nec alibi extra ciuitatem, sed in dicta ciuitate tantum, sub pęna uiginti librarum.

CAP. XXVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod omnes illi, qui emerint a commune Spalati fructus insularum et aliorum locorum dictę ciuitatis Spalati, teneantur statim, cum frumentum uel bladum fuerit recollectum, ipsum portare et portari facere ad ciuitatem Spalati et non ad alia loca sub pęna centum librarum dicto communi soluendarum[1].

CAP. XXIX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod omnes mensurę, cum quibus uenditur frumentum, uel aliud bladum in ciuitate Spalati, sint sigillatę sigillo communis et cum ipsis debeatur uendi et emi bladum et non cum alijs: et qui contrafecerit, soluat bannum centum soldos. Et quod omnes mensurę communis de blada coęquentur ad starium communis, quod est in platea.

CAP. XXX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod in platea communis, ubi uenditur bladum, debeat esse cottidie unus, uel duo custodes ad uidendum illos, qui emunt[2] bladum, ne possit incanouari ab emptoribus et ad denuntiandum domino potestati et suę curię illos, qui incanouarent frumentum, uel aliud bladum. Et si custodes prędicti fraudem in eorum officio commiserint, puniantur pęnis superius ordinatis.

CAP. XXXI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod omni mense et quotiescumque domino potestati et suę curię uidebitur conuenire, teneatur potestas facere inquisitionem generalem et specialem contra omnes

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „soluenda“. [2] Ap. Ljub.: „uendunt“.

et singulos, qui fecerint contra pręsentia ordinamenta; et quotiescumque[1] culpabiles inuenerit in prędictis, punire et condemnare[2] eos debeat in pęnis contentis in pręsentibus statutis et ordinamentis.

CAP. XXXII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet, qui sciuerit, quod aliquis fecerit contra pręsentia ordinamenta, teneatur in continenti uinculo sacramenti illum denuntiare domino potestati et suę curię, ut potestas et eius curia procedat contra delinquentes secundum formam pręsentium statutorum.

CAP. XXXIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus forensis pręsumat uendere frumentum uel aliud bladum in ciuitate Spalati, nec aliquis ab eo emere possit, nisi tantum in platea ante[3] palatium dicti communis; et ibi uendatur et mensuretur ad mensuram dicti communis. Et qui contra fecerit, perdat bladum et deueniat in commune Spalati et pro qualibet uice soluat communi prędicto centum soldos.

CAP. XXXIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nulla persona possit portare frumentum, uel bladum de ciuitate Spalati ad uillas et insulas dictę ciuitatis, nec de una uilla uel insula ad aliam insulam uel uillam, sine licentia et bulla domini potestatis. Et qui contra fecerit, subijaceat dictis pęnis, ac si frumentum uel bladum extraheret extra ciuitatem et districtum ciuitatis Spalati.

CAP. XXXV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod in prędictis casibus et in quolibet prędictorum et in alijs quibuscumque pertinentibus ad prędicta potestas ciuitatis Spalati et eius curia possit contra delinquentes procedere et eos in dictis pęnis condemnare[4] summarie de plano sine strepitu et figura iuditij et testes priuate recipere et examinare et per plenam et semiplenam probationem et per indicia, pręsumptiones et famam procedere ad condemnacionem[5] absque omni ordine

---

[1] Ap. Ljub.: „aliquos“. [2] Cod. acad. B: „condempnare“. [3] Ap. Ljub.: „ecclesiam s. Laurentij et ante“. [4] Cod. acad. B: „condempnare“. [5] ibid.: „condempnationem“.

et solemnitate[1] iuris et iudiciorum ad puram et liberam uoluntatem et conscientiam ipsius domini potestatis; dum tamen per capitales inimicos testes aliquis non debeat condemnari[2].

Et procedere summarie possit diebus feriatis et non feriatis ad ipsius domini potestatis libitum et conscientiam et etiam uoluntatem, statutis, reformationibus, ordinamentis dicti communis et iuribus aliquibus ciuilibus uel canonicis non obstantibus.

CAP. XXXVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus possit nec debeat emere aliquod bladum in platea communis pro aliqua persona, nisi tantum pro se et pro sua familia; et si contra fecerit, uice qualibet puniatur in decem libris, cuius medietas sit communis et alia accusatoris et teneatur in secreto.

CAP. XXXVII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas teneatur uinculo sacramenti mittere ad insulas tempore messium unum bonum et legalem hominem ad scribendum totam blauam, quę[3] reperietur in dictis insulis ad expensas communis. Et ille qui iúuerit, teneatur per sacramentum et pęna et banno[4] xxv librarum bona fide sine fraude scribere et in scriptis reducere totam dictam blauam[5] coram[6] domino potestate Spalati in consilio generali, ne fraus aliqua possit committi in dicta blaua.

CAP. XXXVIII. DE OFFENDENTIBUS UENIENTES[7] CUM BLAUA.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus offendat in ciuitate Spalati aliquem Sclauum uel alium[8] quemcumque uenientem cum blaua[9] ad ciuitatem Spalati, nec in persona, nec in rebus. Et qui contrafecerit, in tercio pluri condemnetur[10], quam si dictum maleficium contra alium perpetrasset.

---

[1] Cod. acad. B: „solempnitate". [2] ibid.: „condempnari". [3] Ap. Ljub.: „totum bladum, quod". [4] Deest ibid. [5] ibid.: „totum dictum bladum". [6] ibid.: „dicto". [7] Cod. acad. A et B: „uenientibus". [8] Deest ap. Ljub. [9] Deest ibid. [10] Cod. acad. B: „condempnetur".

CAP. XXXIX. DE EMPTORIBUS BLADI IN SCLAUONIA.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de ciuitate Spalati audeat, uel pręsumat emere aliquod bladum in Sclauonia, nisi causa conducendi ipsum bladum ad ciuitatem Spalati. Et quicumque[1] emerit bladum aliquod in Sclauonia, teneatur uinculo sacramenti ipsum bladum conducere et conduci facere ad ciuitatem Spalati et non ad alium locum. Et qui contra fecerit, in quinquaginta libris denariorum Venetorum paruorum communi Spalati irremissionabiliter condemnetur[2] et in amissione tocius bladi, uel extimationis ipsius, quod deueniat et deuenire debeat in commune Spalati. Et cuilibet sit licitum denuntiare et accusare et habeat et habere debeat medietatem tam banni, quam bladi.

CAP. XL. DE EMPTORIBUS MOLENDINORUM COMMITTENTIBUS FRAUDEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si emptor molendinorum, seu ille, qui emeret fructus, redditus uel prouentus[3] molendinorum Salonę, quę sunt communis Spalati, uel aliquis ex socijs ipsius emptoris in portu Salonę oneraret, uel onerari faceret aliquam nauem magnam, uel paruam, uel aliquod lembum contra formam statutorum et ordinamentorum communis Spalati; pro sola tali oneratione uel caricatione puniatur in duplum pęnę contentę in statuto communis Spalati; et similiter eius famulus, uel marinarius et quicumque ad hoc pręstaret auxilium, uel fauorem, puniatur in duplum pęnę contentę in statuto dicti communis[4].

Et si dictus emptor fructuum, uel reddituum dictorum molendinorum, uel aliquis eius socius de dicto portu Salonę aliquod bladum extraheret, uel extrahi faceret cum aliqua naui magna, uel parua, uel aliquo lembo extra districtum ciuitatis Spalati, ultra dictam pęnam puniatur pro extractione bladi in duplum pęnę contentę in statuto[5] dicti communis. Et a quolibet possit de prędictis et quolibet prędictorum accusari et denuntiari et habeat medietatem banni et accusator et denuntiator teneatur priuatus.

CAP. XLI. ORDINAMENTA SUPER SALE.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de ciuitate Spalati et suo districtu, uel forensis aliquis audeat, uel pręsumat uendere

---

[1] Ap. Ljub.: „ille, qui". [2] Cod. acad. B: „condempnetur". [3] Ap. Ljub.: „ipsorum". [4] ibid.: „in dictis statutis". [5] ibid.: „statutis".

sal in grossum, uel ad minutum alicui de ciuitate Spalati et suo districtu, nec alicui alteri[1] personę, quę defferre uellet ipsum sal per terram. Et qui contra fecerit, puniatur uice qualibet in xx^ti libris et sal deueniat in commune Spalati.

CAP. XLII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus forensis audeat, uel pręsumat uendere sal[2] in ciuitate Spalati et suo districtu alicui forensi per terram, nisi tantum ciui et habitatori ciuitatis Spalati. Et si contra fecerit, puniatur pro qualibet uice in xx^ti libris et perdat sal[3].

CAP. XLIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis de ciuitate Spalati emeret aliquam quantitatem salis in grossum ab aliquo forense, ueniente per mare tantum et dictus ciuis Spalatinus uellet ipsum sal[4] uendere in grossum alicui forensi et uenienti per mare tantum, quod primo teneatur requirere potestatem et commune Spalati, si uellet emere pro communi dictum sal[5] pro tanto pręcio, quantum posset haberi et percipi a forensi. Et si commune Spalati uellet dictum sal[6] emere pro eo pręcio, quo posset percipi a forensi, teneatur dictum sal[7] uendere communi Spalati et non forensi, alias licitum sit sibi uendere dictum sal[8] ipsi forensi, uenienti per mare tantum et non per terram, sub pęna quinquaginta librarum.

CAP. XLIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de ciuitate Spalati et suo districtu audeat uel pręsumat emere sal[9] ad minutum ab aliquo de ciuitate Spalati et suo districtu, sed tantum emere debeat de dicto sale creste communis[10] et ab offitiali dicti communis[11]. Et qui contra fecerit, condemnetur[12] in centum soldos et perdat sal[13] et deueniat in commune Spalati.

---

[1] Ap. Ljub.: „alię". [2] Cod. acad. B: „salem". [3] ibid.: e. m. [4] ibid. et ap. Ljub.: „salem". [5] ibid. e. m. [6] ibid. e. m. [7] ibid. e. m. [8] ibid. e. m. [9] ibid. e. m. [10] Ap. Ljub.: „Spalati". [11] „et ab — communis" deest ibid. [12] Cod. acad. B: „condempnetur". [13] Cf. adn. 2)

CAP. XLV. CUILIBET LICITUM SIT ACCUSARE[1].

Item statutum et ordinatum est, quod super omnibus et singulis supradictis capitulis et ordinamentis cuilibet liceat denuntiare et accusare et habeat medietatem banni et teneatur priuatus.

CAP. XLVI. DE BLADO ET SALE GENERALE STATUTUM.

Item statutum et ordinatum est, quod in prędictis omnibus et singulis statutis et ordinamentis super facto grani et bladi et super facto salis et alijs dependentibus et pertinentibus[2] et connexis dictus potestas et rector ciuitatis Spalati per se et suos offitiales omni mense inquirere teneatur summarie et de plano, sine strepitu et figura iuditij et sine solemnitatibus[3] et ordine iuris et iuditiorum et statuti[4] dictę ciuitatis et contrafacientes punire et condemnare[5] per plenam et semiplenam probationem in pęnis superius memoratis.

Et prędictus dominus potestas et rector dictę ciuitatis possit omnia et singula dicta statuta et ordinamenta, tam super facto grani et bladi, quam[6] super facto salis interpretari et declarare et pęnas et banna in eis contenta temperare et minuere secundum qualitatem facti et conditionem personarum, prout ipsi domino potestati et rectori dictę ciuitatis Spalati[7] et suę consciencię melius uidebitur conuenire.

INCIPIUNT CAPITULA SEXTI LIBRI DE EXTRAORDINARIJS STATUTORUM[8].

De forensibus uolentibus facere se ciues . . . . . j.
De eodem . . . . . ij.
De eodem . . . . . iij.
De eodem . . . . . iiij.
De eodem . . . . . v.
De repressalijs . . . . . vj.
De eodem . . . . . vij.
De dacio et douana . . . . . viij.
De eodem . . . . . ix.
De eodem . . . . . x.
De eodem . . . . . xj.

[1] Inscriptio haec deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] Cod. acad. B: „solempnitatibus". [4] Ap. Ljub.: „statutorum". [5] Cod. acad. B: „condempnare". [6] Deest in cod. acad. A. [7] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [8] Deest in cod. acad. B.

De eodem . . . . . xij.
De ciue faciente iniuriam forensi . . . . . xiij.
De his, qui uadunt Narentum uel Scardonam . . . . . xiiij.
De conducentibus barcham ad certum locum . . . . . xv.
De conducentibus barcham ad uindemiandum[1] . . . . . xvj.
De eo, qui dedit barcham ad partem alicuius[2] lucri . . . xvij.
De eodem . . . . . xviij.
De lignis insulę Soltę deferendis Spalatum[3] ad uendendum xix.
De barcis datis ad incidendum ligna . . . . . xx.
De barchis natantibus . . . . . xxj.
De balistris[4] emendis . . . . . xxij.
De eo, qui laborauerit domum in columnia[5] . . . . . xxiij.
De angulo et dente parietis . . . . . xxiiij.
Quod domus lignaminus non prejudicat domui lapidum . xxv.
De camardis . . . . . xxvj.
In quibus casibus locator potest expellere conductorem . xxvij.
Quod credatur domino domus de contura primi anni . . xxviij.
De eo, qui habet anditum cum alia domo . . . . . xxix.
De illo, qui dat somerium ad conturam . . . . . xxx.
De remis datis ad conturam . . . . . xxxj.
De contrahentibus societatem nauigandi pellagum . . . . xxxij.
De emendis domibus per commune extra ciuitatem . . . xxxiij.
De commercijs communis Spalati[6] . . . . . xxxiiij.
De eodem . . . . . xxxv.
De ementibus aliquod a communi . . . . . xxxvj.
De illo, qui dedit arroganciam alicui . . . . . xxxvij.
De pastoribus pecudum . . . . . xxxviij.
De eodem . . . . . xxxix.
De douana bestiarum . . . . . xl.
De eodem . . . . . xlj.
De marinarijs et patronis nauium . . . . . xlij.
De eodem . . . . . xliij.
De eodem . . . . . xliiij.
De eodem . . . . . xlv.
De eodem . . . . . xlvj.
De eodem . . . . . xlvij.

---

[1] Cod. acad. B: „uindenbiandum“. [2] Deest ibid. [3] ibid.: „Spaletum“. [4] ibid.: „balestris“. [5] ibid.: „colompnia“. [6] ibid.: „Spaleti“.

De eodem . . . . . xlviij.
De eodem . . . . . xlix.
De eo, qui uadit per mare ultra culphum . . . . . l.
De eodem . . . . . lj.
De eodem . . . . . lij.
De eodem . . . . . liij.
De eodem . . . . . liiij.
De eodem . . . . . lv.
De eodem . . . . . lvj.
De eodem . . . . . lvij.
De eodem . . . . . lviij.
De eodem . . . . . lix.
De eodem . . . . . lx.
De eodem . . . . . lxj.
De eodem . . . . . lxij.
De eodem . . . . . lxiij.
De eodem . . . . . lxiiij.
De eodem . . . . . lxv.
De eodem . . . . . lxvj.
De eodem . . . . . lxvij.
De eodem . . . . . lxviij.
De eodem . . . . . lxix.
De eodem . . . . . lxx.
De eodem . . . . . lxxj.
De eodem . . . . . lxxij.
De eodem . . . . . lxxiij.
De eodem . . . . . lxxiiij.
Quod statuta locum habeant ad futura . . . . . lxxv.

CAP. I. DE FORENSIBUS UOLENTIBUS FACERE SE CIUES SPALATI[1].

Statutum et ordinatum est, quod si aliquis forensis uenerit ad habitandum[2] ciuitatem Spalati et uoluerit effici ciuis Spalatinus, quod debeat offerre petitionem suam in generali consilio dictę ciuitatis et debeat personaliter uenire in ipso consilio ad hoc, ut quilibet consiliarius possit ipsum uidere, si est recipiendus in ciuem ciuitatis Spalati nec ne. Et si maiori parti dicti[3] consilij facto in eo partito ad bussulos et ballotas placuerit, quod recipiatur in

[1] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „ad“.
[3] Deest ibid.

ciuem, tunc recipi debeat in ciuem[1] et pro ciue dictę ciuitatis et gaudeat et gaudere debeat beneficijs et honoribus ciuitatis prędictę. Et similiter debeat subire et facere onera et obsequia realia et personalia tempore pacis et tempore guerrę, sicut alij ciues dictę ciuitatis.

Et ille, qui de nouo recipietur in ciuem dictę ciuitatis[2], debeat in dicto consilio tactis scripturis corporaliter iurare ad sancta Dei euangelia sequi mandata potestatis, rectoris et communis ciuitatis prędictę et esse perpetuus et continuus habitator dictę[3] ciuitatis; et quod amicos dictę ciuitatis tenebit pro suis amicis et inimicos dictę ciuitatis tenebit pro suis inimicis et quod fideliter toto suo posse publice et priuate ordinabit, tractabit et faciet, quęcumque cognouerit redundare ad honorem et bonum et pacificum statum dictę ciuitatis.

CAP. II. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod potestas in principio sui regiminis in generali consilio dictę ciuitatis faciat eligi unum bonum et ydoneum syndicum de dicta ciuitate ad recipiendos nouos ciues dictę ciuitatis; dum tamen dictus syndicus nullum forensem possit per se recipere in ciuem dictę ciuitatis[4] et in generali consilio ciuitatis prędictę secundum formam prędictam; et si aliter reciperetur in ciuem, talis receptio non ualeat ipso iure. Et de receptione nouorum ciuium semper fiat publicum instrumentum, tam pro cautela communis[5] quam etiam pro cautela illorum, qui recipiuntur in nouos ciues.

Et si aliquis forensis reciperetur in ciuem dictę ciuitatis et postea spontanea uoluntate derelinqueret habitationem dictę ciuitatis uel sui districtus, quod sit perpetuo exbanditus dictę ciuitatis et omnia bona publicata remaneant in commune Spalati et condemnetur[6] in quinquaginta libris.

CAP. III. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod per commune Spalati fiat unus liber, in quo scribantur omnia nomina illorum, qui de nouo

---

[1] „tunc — ciuem“ deest ap. Ljub. [2] Verba: „et ille“ usque ad: „ciuitatis“ desunt ibid. [3] ibid.: „prędictę“. [4] „nisi — ciuitatis“ deest ibid. [5] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „Spalati“. [6] Cod. acad. B: „condempnetur“.

recipiuntur in ciues Spalati et scribantur in ipso libro omnia bona, quę eis darentur per commune Spalati ad hoc, ut ipsa bona non possint alienari per illos nouos ciues, quibus data fuerint in prę-iudicium communis Spalati.

CAP. IV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis forensis, qui esset receptus in ciuem Spalati, refutauerit habitationem et citadantiam[1] dictę ciuitatis, nunquam possit morari in dicta ciuitate et suo districtu et nunquam postea possit recipi in ciuem Spalati, nec in consilio, nec in parlamento dictę ciuitatis, nec alio modo, nec potestas aut rector dictę ciuitatis prędicta proponere possit in aliqua congregatione hominum ciuitatis prędictę. Et quicumque arrengauerit, quod recipiatur in ciuem, soluat communi pro banno centum libras.

CAP. V. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus, qui sit oriundus de ciuitate Spalati uel suo districtu possit reffutare uel renuntiare in aliquo consilio dicti communis, nec alio modo citadiniam[2] dictę ciuitatis et si renuntiaret uel reffutaret ipsam citadiniam[3], talis reffutacio aut renuntiatio non proficiat; sed si habitat in ciuitate Spalati uel suo districtu, nihilominus compellatur per potestatem et rectorem et offitiales dictę ciuitatis ad faciendum et prestandum ipsi communi onera et obsequia realia et personalia secundum suam possibilitatem sicut alij ciues dictę ciuitatis.

Item[4] quod nullus presumat possessiones datas alicui personę, uel dandas a commune Spalati illis, qui uoluerint esse ciues et habitatores dictę ciuitatis uendere, uel aliquo alio modo alienare, sed ipsa bona debeant possidere illi, quibus data fuerint per commune, fructus ex eis percipiendo, quousque uoluerint stare et habitare in ciuitate Spalati. Et nullus presumat ipsas possessiones emere aut in pignore uel ex dono recipere uel alio quouis titulo uel modo in se transferre, quod si contrafecerit, non teneat ipso iure, ymo statim ipsę possessiones deuoluantur et deueniant in commune Spalati. Et qui contrafecerit, soluat bannum ad arbitrium potestatis et curię dicti communis.

---

[1] Cod. acad. B: „citadiniam". [2] Ap. Ljub.: „cittadinantiam". [3] ibid. e. m. [4] Cod. acad. A et B: „ita".

Et potestas et rector dictę ciuitatis nullo modo possit dare licentiam, uel auctoritatem illas[1] possessiones obligandi, uendendi nec[2] aliquo modo alienandi; nec comes dictę ciuitatis, uel aliquis alius pro aliquo maleficio, uel debito illius, qui tenebat ipsa bona, possit ipsas possessiones[3] capere, uel in se transferre.

CAP. VI. DE REPRESSALIJS[4].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis seu habitator Spalati[5] esset derobatus in aliqua terra[6] uel loco, uel si aliquod debitum teneretur recipere ab aliquo forense, antequam procedatur ad aliquas repressalias[7], per commune Spalati talis ordo seruetur, uidelicet: quo illa ciuitas uel terra, in qua uel in cuius territorio dicta robaria esset commissa, uel dictum debitum teneretur[8], debeat primo requiri per speciales litteras communis Spalati, sigillatas sigillo ipsius communis, quę litterę debeant registrari in libro reformationum dicti communis et debeant mitti ad expensas dicti communis per aliquem fidelem nuntium, qui ipsas litteras debeat fideliter pręsentare illi communitati et terrę, ad quam mittuntur. Et dicta commissio et relatio pręsentationis dictarum litterarum similiter in dicto libro debeat scribi.

In quibus litteris inter alia contineatur, quod commune Spalati rogat commune dictę terrę, ad quod, uel ad quam dictę litterę transmittuntur, quod amore communis Spalati satisfaciat et faciat satisfieri ciui Spalatino de robaria sibi facta et de rebus sibi ablatis, aut de pecunia uel alijs rebus, quas dictus ciuis repetit et de damnis[9] et expensis ipsius. Et alia ponantur in dictis litteris, prout honori potestatis et dicti communis melius uidebitur conuenire.

Et post reuersionem dicti nuntij, qui ipsas litteras pręsentauit, commune Spalati expectet usque ad xv dies et nullam faciat nouitatem contra commune et homines dictę terrę ad uidendum, si ipsi emendent dicta damna[10], uel satisfacient dicto ciui Spalati, nec ne. Et si sibi non satisfaceret, mittatur nuntium expensis communis ad terram, in qua uel cuius territorio dicta robaria facta fuit, uel debitum debeat solui et post redditum nuntij ad alios xv dies non

---

[1] Ap. Ljub.: „prędictas". [2] ibid.: „uel". [3] Deest ibid. [4] Cod. acad. B: „De repressalijs de eodem". [5] ibid.: „ciuitatis Sp."; ap. Ljub.: „dictę ciuitatis". [6] Deest in cod. acad. A. [7] Ap. Ljub.: „incipiatur ab alijs repressalijs". [8] ibid.: „deberetur". [9] Cod. acad. B: „dampnis". [10] ibid. e. m.

fiat nouitas per commune Spalati. Et si infra dictos xv dies non fiat[1] satisfactio dicto ciui uel habitatori ciuitatis Spalati, tunc potestas et eius curia una cum tribus iudicibus et sex consiliarijs, qui sunt super propositis faciendis, diligenter examinent per famam et indicia, per iuramenta principalium personarum et uicinorum suorum et aliarum personarum de dicta robaria si[2] sit facta et de ualore bonorum illius, qui dixerit se derobatum et de pecunia et rebus, quas dicit ipse sibi derobatas et ablatas fuisse et utrum sit uerisimile, quod dicta pecunia et res potuissent sibi esse ablatę et secundum quod ipsi inuenerint, prout eis iustum uisum fuerit, uel maiori parti ipsorum dictam quantitatem debeant taxare, refrenare et reducere ad eum modum, qui eis uidebitur esse conueniens, inspecta qualitate personę et facultatum suarum. Similiter debeant examinare instrumenta et iura illius ciuis Spalati, qui dicit se debere[3] recipere aliquam quantitatem pecunię, uel aliquas alias res ab aliquo forense, si habet ueram iusticiam, nec ne. Qua examinatione facta et taxata et declarata per eos in ueritate illa quantitate, quam prędictus ciuis Spalatinus iuste deberet recipere, uel occasione robarię, uel occasione debiti, tunc de ipsa quantitate et damnis[4] et expensis teneatur potestas et rector, iudices et sex consiliarij uinculo sacramenti prędicta proponere ad consilium generale dictę ciuitatis, in quo[5] sint adminus sexaginta consiliarij, de dandis dictis repressalijs, nec ne in personis uel in rebus contra commune et speciales homines illius terrę, in cuius territorio dicta robaria fuerit commissa, uel de qua fuit debitor dicti ciuis Spalatini et sui territorij et districtus; in quo consilio fiat partitum ad bussulos et ballotas et ut per maiorem partem dicti consilij fuerit obtentum[6] de dandis dictis repressalijs nec ne et utrum in rebus, uel in personis et rebus debeat obseruari et plenam obtineat firmitatem.

CAP. VII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque acceperit aliquas res pro repressalijs sibi concessis per commune Spalati, in continenti infra duos dies ipsas res totas debeat fideliter prędentare coram potestate, rectore et officialibus communis Spalati. Et dictę res extimentur per extimatores communis Spalati et ipsa extimatio

---

[1] Ap. Ljub.: „fiat“. [2] ibid.: „sicut“. [3] ibid.: „se habere debere et“ [4] Cod. acad. B: „dampnis“. [5] Deest in cod. acad. A. [6] Cod. acad. B: „obtemptum“.

scribatur in libro reformationum dicti communis et secundum ipsam extimationem ille, cui repressalię sunt concessę, debeat in suum debitum[1] compensare et computare. Et si eas non repręsentaret infra dictum terminum, in xxv libris irremissionabiliter debeat condemnari[2] et nihilominus ad pręsentationem ipsarum rerum efficaciter compellatur.

CAP. VIII. DE EODEM[3].

Item statutum et ordinatum est, quod illud dacium douanę, gabella et theloneum quocumque nomine censeatur accipere alicui ciui Spalatino aliqua terra uel loco, tantumdem dacium[4] recipiatur hominibus de illa terra in ciuitate Spalati et suo territorio et districtu.

CAP. IX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis dictę ciuitatis per se sine uoluntate consilij ciuitatis Spalati pręsumeret facere aliquam obligationem cum aliqua ciuitate uel terra de aliquo dacio, soluendo ibidem per homines ciuitatis Spalati, omnia sua bona deueniant in commune Spalati et sit perpetuo exbannitus de ciuitate prędicta[5].

CAP. X. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nullus de terra ista pręsumat[6] per se, nec per interpositam personam ut extrahat, nec extrahi faciat palam, uel priuatim de die, nec de nocte, nec aliquid emat pro aliquo forense, ut commune ciuitatis amittat salquaticum uel douanam, sicut hactenus solui consueuit, et contrafaciens soluat communi bannum quatuor librarum et soluat salquaticum, cuius banni medietas sit communis et alia accusatoris et teneatur priuatus denuntiator.

CAP. XI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod super omnibus et singulis douanis, salquaticis et alijs redditibus, qui exiguntur et debent exigi et colligi per commune Spalati, eligantur in generali consilio

---

[1] Ap. Ljub.: „debent suum debitorem". [2] Cod. acad. B: „condempnari". [3] Ap. Ljub.: „De datio doanę". [4] Deest ibid. [5] ibid.: „Spalati". [6] Deest in cod. acad. A.

dictę ciuitatis duo boni et legales homines ad exigendum et colligendum ipsam douanam, gabellam et alios redditus dicti communis, ita quod ipsa dacia perueniant in commune Spalati.

CAP. XII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quandocumque commune Spalati uendiderit alicui personę aliquam douanam dicti communis, uel alios redditus[1] communis Spalati, debeat inde fieri publicum instrumentum, in quo instrumento contineatur, quantum emptor debeat accipere pro douana, uel alijs redditibus dicti communis et quibus personis et de quibus rebus, ad hoc, ut nullus possit accipere ab aliqua persona plus, quam soluere debeat, nec possit accipere[2] ab illis, qui soluere non deberent. Et emptor douanę, uel cuiuscumque dacij teneatur dare bonos fideiussores de ipso dacio et douana soluenda pręcise in termino constituto.

CAP. XIII. DE CIUE FACIENTE INIURIAM FORENSI.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque ciuis Spalati[3] aliquod acciperet indebite uel iniuste de bonis et rebus alicuius forensis, uel aliquam iniuriam, uel uiolenciam faceret alicui forensi et propter ipsam causam forensis faceret aliquod damnum[4] alicui ciui Spalatino, ille ciuis Spalatinus, cuius occasione dictum damnum[5] euenerit, totum damnum[6] emendare teneatur illi ciui Spalatino, qui passus fuerit et substinuerit dictum damnum[7]; quia iure cauetur, qui occasionem damni[8] dat[9], damnum[10] dedisse uidetur.

CAP. XIV. DE HIS, QUI UADUNT NARENTUM UEL SCARDONAM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque iuerit Narentum uel Scardonam cum barcha de centum modijs inferius[11], mittat quatuor marinarios, de centum uero et supra quinque. Et quicumque contra fecerit et accidisset, quod ea occasione barcha perderetur, uel aliquid de barcha, conductor domino barchę tam de barcha, quam de ipsius coredo[12] satisfacere teneatur.

---

[1] Ap. Ljub.: „dicti". [2] Verba: „ab aliqua — accipere" desunt ap. Ljub. [3] ibid.: „Spalatinus". [4] Cod. acad. B: „dampnum". [5] ibid. e. m. [6] Cf. adn. 5) [7] ibid. e. m. [8] ibid.: „dampni". [9] Ap. Ljub.: „quod occassione damni dati". [10] Cf. adn. 5) [11] Ap. Ljub.: „infra". [12] Cod. acad. B: „corredo".

CAP. XV. DE CONDUCENTIBUS BARCHAM AD CERTUM LOCUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque conduxerit aliquam barcham ire ad aliquem locum expressum et iuerit ad alium locum sine licentia domini barchę, soluat eidem domino barchę duas conturas. Et si aliquid acciderit de barcha, satisfaciat eidem, nisi ex necessitate compelleretur ad alium locum ire.

CAP. XVI. DE CONDUCENTIBUS BARCHAM AD UINDEMIANDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque ciuis Spalatinus tempore uindemiarum conduxerit aliquos conductos[1] cum barcha ad uindemiandum et uenerit cum musto hora vespertina et uoluerit excargare[2] in nocte: conductores teneantur excargare[3] habentes idem pręcium, quod habuerint in die et etiam si dominus uoluerit in alio die[4] excargare[5], conducti teneantur facere seruicium pro eodem pręcio. Si uero laborator neglexerit facere seruicium, soluat bannum quinque soldorum, cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

CAP. XVII. DE EO, QUI DEDIT BARCHAM AD PARTEM LUCRI.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque dederit suam nauem uel barcham alicui, uel aliquibus ad partem lucri, uel lignorum siue alicuius rei et ipsi euntes et redeuntes de uiagio fuissent et essent derobati uel quoquo modo ammitterent aliquas res et erit certa eorum ammissio siue derobatio; omnes communiter cum domino nauis uel barcę habeant damnum[6] commune et teneantur inquirere derobationem uel damnum[7] communiter. Et si non poterint inuenire tam de rebus certis ammissis et derobatis, quam de expensis ea occasione factis, communiter omnes damnum[8] habeant, ut dictum est; et tam dominus nauis uel barchę, quam marinarij quilibet pro sua parte respondere debeat[9].

CAP. XVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis dederit suam barcham ad conturam alicui et ipse in ueniendo, uel in eundo am-

---

[1] Ap. Ljub.: „conductores". [2] ibid.: „exonerare". [3] ibid. e. m. [4] Deest ibid. [5] Cf. adn. 2) [6] Cod. acad. B: „dampnum". [7] ibid. e. m. [8] ibid. e. m. [9] Ap. Ljub. desunt verba: „quam — debeat" legiturque: „uel esset derobatus dominus", quam lectionem corruptam esse haud dubitaveris.

miserit aliquid de rebus barcę, uel esset derobatus, dominus barcę non habeat potestatem tenere se ad conturam, uel quod ipsi marinarij restituant omnes res barcę, quę ammissę fuerint. Sed dicimus, quod conductor barcę teneatur soluere domino barcę pro illo tempore, quo eam in suo seruicio tenuerit; sed si contingeret[1], quod dicta barcha et res ipsius fuerint perditę culpa conductoris, tunc teneatur conductor domino barcę satisfacere tam de barcha et rebus ipsius, quam de contura.

CAP. XIX. DE LIGNIS INSULE SOLTE DEFERENDIS AD UENDENDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod homines de Solta nullo modo uel ingenio pręsumant uendere uel dare ligna aliquibus hominibus ea portantibus per mare ad alium locum, quam ad ciuitatem Spalati, nisi illis hominibus et personis tantum, qui dicta ligna per mare[2] portauerint ad ciuitatem Spalati. Et qui contra fecerit, uice qualibet in xxv libris irremissionabiliter communi Spalati soluendis debeat condemnari[3] et in emendatione extimationis lignorum, quę uendiderit uel dederit, similiter persoluenda ultra dictam pęnam xxv librarum.

Quod statutum notificetur hominibus de Solta et ad minus potestas bis in anno dictum statutum faciat bandiri, ut nullus de Solta possit ignorantiam allegare. Et cuilibet sit licitum accusare uel denuntiare et habeat medietatem banni, et nihilominus rector Spalati etiam de hoc habeat potestatem[4] inquirendi.

CAP. XX. DE BARCIS DATIS AD INCIDENDUM LIGNA.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis dederit alicui barcham suam ad incidendum ligna uel tedam, non teneatur refundere de expensis nisi de uino et secure.

CAP. XXI. DE BARCIS NATANTIBUS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque inuenerit aliquam barcham uel zolam natantem sine hominibus et eam portauerit a portu ciuitatis[5] extra in uallem, siue in aliquem locum tutum, non ualens eam ducere ad ciuitatem; habeat pro seruicio

---

[1] Ap. Ljub.: „contigerit". [2] „per mare" deest ibid. [3] Cod. acad. B: „condempnari". [4] Ap. Ljub.: „arbitrium". [5] „a portu ciu." deest ibid.

facto ad arbitrium curię a x l soldis infra. Et si ipsa barcha uel zola postea perderetur, tunc ipse, qui portauerit in locum tutum de ipsa respondere non teneatur sed absolutus permaneat.

CAP. XXII. DE BALISTIS[1] EMENDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque possederit a quingentis libris supra, teneatur emere et tenere pro omni milliario ualentium suorum bonorum unum balestrum uel archum uel panceriam ualoris trium librarum cum suo furnimento uel coraciam ualoris sex librarum sub pęna x l soldorum pro quolibet. Et rector teneatur bis in anno inquirere dicta arma.

CAP. XXIII. DE EO, QUI LABORAUERIT DOMUM IN COLONIA.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque laborauerit domum in colonia, pro qualibet, quam supra uia communis[2] positam aperuerit[3], soluat communi quinquaginta soldos.

CAP. XXIV. DE ANGULO ET DENTE PARIETIS.

Item statutum et ordinatum est, quod quęcumque domus hedificata prope aliquam paratineam habuerit dentem in angulo parietis uel in frontispicio inferius uersus ipsam paratineam et in paratinea aliquis hedificauerit domum, tantum de sua terra dimittat, quantum extenditur dens ille et cloacha debet esse communis. Et si uoluerit de suo dimittere, non possit domui adhęrere, nisi sicuti stat dens ille et non habeat partem de cloacha. Si uero dentes habuerit in frontispicio uersus paratineam, tunc possit adhęrere domui absque aliqua refusione. Si uero dentes non habuerit in frontispicio, nec postea possit adhęrere ipso muro refundendo de muro, etiam si fenestram haberet in frontispicio. Et si domus non habuerit dentem in pariete, nec inferius, nec superius, non possit adhęrere parieti sine uoluntate domini domus sicut cadit stillicidium a tecto.

CAP. XXV. QUOD DOMUS LIGNAMINIS NON PREIUDICAT DOMUI LAPIDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod domus lignaminum adiuncta domui lapidum, nullo modo faciat pręiudicium domui lapidum.

---

[1] Cod. acad. B: „balistris“. [2] Deest in cod. acad. A. [3] Cod. acad. A: „aparuerit“.

CAP. XXVI. DE CAMARDIS.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis posuerit camardam in loco alicuius, dominus loci non possit expellere eum, nec conturam mutare, nisi ipse absque licentia domini mutauerit tectum, uel furcas ipsius camardę; excepto, si dominus camardę[1] locum pro se, uel pro domo sua habere uoluerit, tunc lignamen examinetur, seu extimetur et quantum examinatum fuerit, dominus paratineę sibi componat et camardam in se recipiat. Et similiter teneatur. qui ipsum locum emerit.

CAP. XXVII. IN QUIBUS CASIBUS LOCATOR POTEST EXPELLERE CONDUCTOREM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis locauerit alicui domum ad conturam, uel ad pensionem ad certum tempus, non possit expellere conductorem de ipsa domo usque ad completum tempus, quod sibi locauit, pręterquam in casibus infrascriptis, in quibus dominus possit sibi reauferre ipsam domum. Primus casus est, si domus locata est necessaria domino pro habitatione sua et familię suę, nec aliam domum potest recuperare commode, in qua habitet. Secundus casus est[2], si domus indigeret necessaria refectione et separatione ex aliquo casu emergenti post locationem. Tercius casus est, si conductor peruerse utatur domo sibi locata. Quartus casus est, si conductor non soluat pensionem seu conturam tempore condecenti. In omnibus autem istis casibus dominus potest auferre inquilino, seu conductori ipsam domum.

Quo autem tempore debeat solui contura et pensio domus, dicendum est, quod si a partibus est appositum certum tempus, quo soluenda est pensio uel contura, illo tempore debet solui: si hoc non apparet, debet attendi consuetudo ciuitatis Spalati et si de tali consuetudine non apparet, tunc in fine anni soluenda est pensio uel contura.

CAP. XXVIII. QUOD[3] CREDATUR DE CONTURA DOMINO DOMUS PRIMI ANNI.

Item uolumus etiam, quod domino domus, qui dat domum suam ad conturam, de primo anno sibi credatur de contura dictę domus, non de pluribus et dominus domus possit per se, absque curia pro

---

[1] „excepto — camardę“ deest ap Ljub. [2] „Sec. casus est“ deest ap. Ljub. [3] ibid.: „Quando“.

contura pignus recipere. Si uero habitator furtiue recederet ad aliam domum ad[1] habitandum, tunc per se aliquis in alia domo pignus non possit accipere absque curię citatione et mandato. Et semper domino plena fides adhibeatur de uno anno, nisi, qualiter soluerit, ydoneos testes habeat; et si aliquę res inuenirentur in ipsa domo, de qua recessit, cuiuscumque[2] sint pro pignore possit accipere et se de contura pagare; si uero a ciuitate recessisset, de bonis suis, si habuerit, se pagare posset.

Similiter sit de barcis.

Addimus etiam[3], quod ille, qui receperit domum ad conturam, non possit[4] dare alij ad conturam sine uoluntate domini domus, nec aliquis eam recipere et qui contrafecerit, soluat domino domus duas conturas.

CAP. XXIX. DE ILLO, QUI HABET ANDITUM CUM ALIA DOMO.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque habuerit anditum, uel cammitum cum alia domo, si particeps illius anditus, uel cammiti eam pro contura uoluerit sicut ab alijs habere poterit, alijs dare non possit; si eam noluerit, honestis debeat dare personis.

CAP. XXX. DE EO, QUI DAT SOMERIUM AD CONTURAM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque habuerit salmerium[5] ad conturam et sibi uiolenter ablatus fuerit manifeste, de ipso respondere non teneatur; sed si malo studio ipsum perderet, teneatur satisfacere domino de eodem, scilicet quinque libras; si minus ualuerit, per rationem[6].

CAP. XXXI. DE REMIS DATIS AD CONTURAM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque habuerit remum ad conturam uel prestitum, si fregerit eum, uel perdiderit, soluat domino remi pro ipso quatuor soldos, uel det sibi remum[7] bonum, non rosum[8].

---

[1] Deest in cod. acad. A. [2] Ap. Ljub.: „ejusque". [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Deest in cod. acad. A. [5] Ap. Ljub.: „somerium". [6] ibid.: „idem". [7] ibid.: „nouum". [8] ibid.: „rasum".

CAP. XXXII. DE CONTRAHENTIBUS SOCIETATEM PELLAGUM NAUIGANDI.

Item statutum et ordinatum est, quod si qui inter se habuerint societatem nauigandi pellagum et aliquis sociorum renuisset ire cum eis malo uicio, soluat communi duas libras et socijs alijs alias duas libras. Si autem non fuerit pellagus transfretandum, teneatur soluere xx^ti soldos, medietatem communi et aliam socijs.

Et[1] si marinarius conductus deceperit conductorem, soluat conductori xx^ti soldos; eadem pęna teneatur conductor, si deceperit conductum.

CAP. XXXIII. DE EMENDIS DOMIBUS EXTRA CIUITATEM.

Item statutum et ordinatum est, quod rector, qui pro tempore fuerit, teneatur omni anno de domibus, quę sunt extra ciuitatem iuxta murum ciuitatis, a monasterio sancti Benedicti usque ad turrim Duymi Johannis Dobruli[2] emere pro communi adminus unam domum et ipsam demolire et diruere usque ad fundamentum ita, quod locus dictę domus remaneat plathea. Et si pro competenti pręcio dominus domus ipsam dare nollet, quod non possit in ipsa[3] habitare.

CAP. XXXIV. DE COMERCIJS COMMUNIS SPALATI.

Item statutum et ordinatum est, quod comercium ciuitatis Spalati[4] sic debeat fieri. Omnes enim[5] mercatores istius ciuitatis undecumque ueniant et ueniant ex uiagio, soluant[6] comercium[7] nostrę ciuitatis, excepto de Ragusio, Jadera, Tragurio[8], Sybenico, Almissio uel insulis; uerum tamen ex omnibus alijs ciuitatibus et locis, unde nostri mercatores uenerint[9] comercium soluant. Et prędicta locum habeant, quando ciues conduxerint aliquod lignum ciuitatis, et forensium et dictum lignum uenerit ad portum ciuitatis Spalati, quod mercatores soluere teneantur. Et[10] si dominus ligni suum lignum ad naulum dederit, uel aliquas res mercatorum portauerit ad naulum, tunc dominus ligni teneatur soluere dictum comercium.

---

[1] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Deest ap. Ljub. [3] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „aliquis". [4] Deest in cod. acad. B. [5] Deest ap. Ljub. [6] ibid.: „et soluere debeant". [7] Deest ibid. [8] Deest ibid. [9] Cod. acad. A: „uerum". [10] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „Sed".

CAP. XXXV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod solucio comercij talis sit, uidelicet, quod omnis nauis, siue barcha, quę poterit portare mille modia, soluat quinquaginta soldos et si plus portauerit, soluat per rationem suę magnitudinis.

CAP. XXXVI. DE EMENTIBUS ALIQUID A COMMUNE.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis emerit aliquid a communitate, emptor debeat habere unam litteram de sua emptione et communitas debeat habere etiam super eadem emptione.

CAP. XXXVII. DE ILLO, QUI DEDIT ROGANCIAM ALICUI.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis ciuis dederit roganciam alicui et ipse arripiens uiagium fuerit derobatus et perdiderit ipsam roganciam cum suis rebus, non teneatur respondere domino rogancię de ipsa rogancia, si totum suum ammiserit et roganciam. Si uero totum non ammiserit[1], illud, quod remansit tam de rogancia[2], quam[3] de alijs rebus, quas in ipso uiagio portauerit, diuidant per rationem inter se.

CAP. XXXVIII. DE PASTORIBUS PECUDUM.

Item statutum et ordinatum est, quod pastores pecudum nequeant dimittere pecudes, antequam celnicus inueniat alios pastores, et celnicus uel pastor teneatur ducere domino pecudum omnes pelles morticinas et dominus pecudum nullam teneat integram sed omnes fissas. Et qui contrafecerit, soluat bannum xl soldos, cuius medietas sit communis et alia accusatoris.

CAP. XXXIX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque dederit pecudes ad pascendum alicui ad medietatem fructus, in fine anni teneatur recipere pecudes in se et facta ratione de quantitate pecudum cum pastore, fructus, quos dominus dederit eis, inter se diuidant; si defectus fuerit, ut de lucro, ita de damno[4] quilibet senciat. Si

---

[1] „et roganciam — ammiserit“ deest in cod. acad. A. [2] Verba: „si totum — rogancia“ desunt ap. Ljub. [3] ibid.: „quia“. [4] Cod. acad. B: „dampno“.

uero pastor fraudulenter, uel aliquo[1] iniquo ingenio, siue ex sua negligentia[2] uel mala custodia aliquid perdiderit, totaliter de ipso damno[3] domino pecudum respondere et plene satisfacere teneatur.

CAP. XL. DE DOUANA BESTIARUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quis uellet portare bestias mortuas uel uiuas beccharię extra ciuitatem Spalati, uel eius districtus per mare, debeat soluere douanam, quę deueniat in commune et non douanarijs. Et ad hęc inuenienda et recipienda[4] ponantur[5] pro commune duo fideles homines, qui fideliter procurent dictum negocium pro commune, uidelicet pro boue quinque soldos minus denarijs quatuor, pro porco tres soldos et dimidium, pro montone, capra et beccho quatuordecim denarios.

CAP. XLI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet pastor, qui recepit aliquas bestias ad custodiendum, teneatur domino debitam facere rationem de omnibus perceptis et habitis et de ipsis bestijs, tam fętibus, lana, caseo et omnibus alijs fructibus et redditibus earundem, si a domino fuerit requisitus.

CAP. XLII. DE MARINARIJS ET PATRONIS[6].

Item statutum et ordinatum est, quod postquam marinarius fecerit concordium cum patrono lembi de eundo cum ipso in aliquo uiagio, quod nullo modo marinarius sine licentia patroni audeat ire extra ciuitatem, uel terram, in qua nauis fuerit, uel lembum, ita quod ad peticionem patroni sine damno[7] et dificultate ipse marinarius possit esse ad lembum omni tempore oportuno ad exercendum officium marinarię. Qui uero contra fecerit, pro qualibet die marinarius soluat patrono uiginti soldos. Sed si lembum fuerit in splaçia, uolumus, quod marinarius nullo modo ualeat dimittere ipsum lembum sine licentia patroni uel nauclerij lembi sub dicta pęna.

---

[1] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „ex causa negligentię". [3] Cod. acad. B: „dampno". [4] Ap. Ljub.: „recipiantur". [5] Deest ibid. [6] ibid.: „nauium". [7] Cf. adn. 3)

CAP. XLIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod marinarij teneantur portare res patroni ad lembum et stiuent et aptent eas in lembo prout fuerit opportunum. Et similiter extrahant res patroni de lembo et portent eas ad domum illius terrę, quę est iuxta mare, prout sibi patronus dixerit[1].

CAP. XLIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod de omni inuentione, quę fieret per aliquos, qui essent in aliquo lembo, tam in terra, quam in mari, si nescitur ille, cuius res fuerit inuenta, tercia pars sit patroni lembi, alię duę partes sint eorum, qui sunt in lembo, inter eos ęquis partibus diuidendę.

CAP. XLV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquod damnum[2] euenerit in mercibus permanentibus in aliquo lembo propter malam calcaturam, siue in frumento, siue in sale, siue in quacumque alia re, quod totum illud damnum[3] patronus lembi damnum[4] passo integraliter debeat emendare.

CAP. XLVI. DE EODEM[5].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquod lembum fuerit sanum et stagnum, quando separat se de Spalato uel alio loco et postea uiolatur aqua, ita quod aqua intrat lembum propter fortunam, uel tempestatem maris, uel per alium modum, ita quod damnum[6] aliquod eueniat in rebus et mercimonijs existentibus in ipso lembo, tunc tale damnum[7] uadat per uariam secundum consuetudinem hactenus obseruatam.

CAP. XLVII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque fuerit in aliquo lembo electus ad officium temonarię uel ad aliud officium faciendum in lembo, quod manifestum est, ipsum dictum officium[8] bene

---

[1] Cod. acad. A: „dexerit". [2] Cod. acad. B: „dampnum". [3] ibid. e. m. [4] ibid. e. m. [5] Ap. Ljub. in marg. glossa: „Vide cap. 66, libri VI". [6] Cf. adn. 2) [7] Cf. ibid. [8] Verba: „faciendum — officium" deest ap. Ljub.

exercere et commode potest officium exercere[1], quod ipse electus teneatur illud officium exercere, ne propter defectum bonorum officialium lembum cum personis et rebus existentibus in eo posset de facili incurrere lęsionem.

CAP. XLVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis conduxit aliquam barcham uel lembum ad conturam, uel ad aliquod certum naulum et ad omnes suas expensas cibi et potus usque ad aliquem locum, et nauclerius uel patronus lembi infra dictum uiagium et in dicto uiagio cum dicta barcha uel lembo aliquid lucratus fuerit, uel deferendo mercimonia uel personas hominum, quod totum illud lucrum sit et esse debeat illius, qui omnibus et singulis suis sumptibus et expensis dictum lembum et barcham conduxit, quia iustum est, quod ille debeat habere lucrum et commodum, qui sustinet onera[2] expensarum.

CAP. XLIX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque deportarent de lignis uel teda, quod teneantur dare douanerio mediam partem lignorum, uidelicet, quod tot partes fiant de lignis[3], quot fuerint marinarij et una plus pro barcha et etiam una alia plus, de qua debeat habere dictus douanerius medietatem et alia medietas remaneat marinarijs pro expensis; de qua medietate accepta per dictum douanerium teneatur ipse douanerius dare sacristę quartam partem pro iure sibi contingenti de deportantibus ligna. Saluo, quod si quis de ciuitate et suo districtu uellet portare omnia ligna prędicta, uel diuisa per medium pro se ad domum suam, quod non teneatur aliquod dare nec douanerio, nec alicui personę. Forensens uero non teneantur ad prędicta[4]; sed si aliquis ciuis portans ligna uenderet, seu uendiderit ipsa ligna, quod teneatur ipso douanerio pro rata parte de dicta pecunia, prout de lignis.

CAP. L. DE EO, QUI UADIT PER MARE ULTRA CULPHUM.

Item statutum et ordinatum est, quod quicunque iuerit per mare ultra culphum, possit portare pro sua uita et extrahere de ciuitate

---

[1] „et commode — exercere“ deest ap. Ljub. [2] Cod. acad. B: „honera“. [3] Verba: „lignorum — de lignis“ desunt ap. Ljub. [4] „uel diuisa — prędicta“ desunt ibid.

Spalati inter farinam et byscotum secundum prouidenciam curię et non ultra. Et qui contrafecerit, condemnetur[1] ac si bladum extra ciuitatem Spalati contra formam statutorum dictę ciuitatis extraheret.

CAP. LI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si propter tempestatem temporis contingerit quod aliquod damnum[2] euenerit alicui lembo in[3] temonibus, ancoris, arbore, uel alijs coredis, quod ad emendacionem dicti damni[4] marinarij, qui non haberent mercaciones in dicto lembo, non teneantur, sed de dicto damno[5] fiat contributio inter patronum et mercatores pro rata parte, prout rectori[6] Spalati et suę curię commodius uidebitur expedire[7].

CAP LII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si plures socij fuerint in aliquo lembo ita, quod quilibet habeat partem in ipso lembo et discordia nata fuerit inter eos, propter quam discordiam lembum non nauigaret, licitum sit cuilibet sociorum ipsum lembum ponere[8] ad incantum et illi, qui plus obtulerit, siue fuerit de socijs siue de alijs, debeat deliberari et dari, statuto aliquo non obstante.

CAP. LIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis fuerit suprapositus[9] pro aliquo patrono in aliquo lembo, teneatur infra quintum diem postquam applicuerit ad portum ciuitatis Spalati, ponere et facere racionem claram et apertam cum patrono, cuius uices gessit, de omnibus introitibus et expensis ipsius lembi. Qua racione facta teneatur dictus suprastans uel suprapositus[10] usque ad alios quinque dies subsequentes satisfacere patrono lembi de omni eo, quod sibi satisfacere debet pro dicto uiagio secundum pacta habita inter eos sub pęna duorum soldorum pro qualibet libra, applicanda ipsi patrono integre cum effectu.

---

[1] Cod. acad. B: „condempnetur". [2] ibid.: „dampnum" [3] Deest in cod. acad. A. [4] Cod. acad. B: „dampni". [5] ibid.: „dampno". [6] Cod. acad. A: „rector". [7] Ap. Ljub.: „conuenire". [8] ibid.: „uendere". [9] ibid.: „superappositus". [10] ibid. e. m.

CAP. LIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis marinarius dolose et malo modo damnum[1] dederit in aliquo de coredis alicuius lembi, dictum damnum[2] in duplum patrono lembi satisfacere teneatur.

CAP. LV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si marinarij promiserunt ire in aliquo uiagio usque ad certum locum in aliquo lembo et propter fortunam seu tempestatem maris aut propter timorem cursariorum et malorum hominum dictum lembum mutaret uiagium, quod marinarij nullo modo debeant lembum derelinquere, sed teneatur patronus satisfacere marinarijs de mercede pro rata parte temporis uel loci, quod in primo uiagio facere debuerant secundum concordiam primo factam inter eos; alias marinarij de eorum mercede nihil petere possint.

CAP. LVI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquod lembum propter fortunam maris uenerit ad terram, uel fuerit deuastatum et patronus uoluerit illud lembum reparare uel recuperare, quod marinarij nullo modo debeant illud lembum[3] relinquere, quousque lembum fuerit reparatum et perductum ad locum destinatum, alias marinarij perdant mercedem eorum[4] et quilibet eorum in quinque libris dandis et soluendis communi Spalati debeat condemnari[5].

CAP. LVII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis marinarius aliquid furatus fuerit de rebus existentibus in aliquo lembo, in quo ipse fuerit marinarius, quod condemnetur[6] ad restitutionem et emendationem rei in quadrumplum ei, cuius fuerit res subtracta et nihilominus de furto possit procedi criminaliter contra eum per rectorem ciuitatis Spalati secundum pęnas contentas in statutis de furtis.

---

[1] Cod. acad. B.: „dampnum“. [2] ibid. e. m. [3] Verba: „illud lembum — lembum“ desunt ap. Ljub. [4] ibid.: „medietatem suam“. [5] Cod. acad. B: „condempnari“. [6] ibid.: „condempnetur“.

CAP. LVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si marinarius fecerit aliquam rixam uel litigium in lembo[1] sine armis et sine percussione sanguinis, quod per patronum seu nauclerium lembi possit castigari et uerberari sine sanguinis effusione et sine armis sine aliqua pęna et banno.

CAP. LIX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si marinarius in aliquo uiagio moreretur, quod nihilominus patronus teneatur dare heredibus marinarij totam mercedem, quam promiserat dare dicto marinario de toto uiagio, quod facere promiserat marinarius supradictus.

CAP. LX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod cum aliqua nauis, uel lembum aliquod fuerit naulizatum[2] per aliquem, uel aliquos mercatores, quod ad petitionem mercatoris nauclerius uel patronus debeat iurare corporaliter ad sancta Dei euangelia ipsam nauem uel lembum legaliter bona fide sine fraude aliqua sauornare dictum lembum ad fortificationem et conseruationem ipsius lembi pro uiagio[3], quod facere tenetur; et quod postquam fuerit sauornatum, ipsa sauorna non extrahetur de lembo sine uoluntate et consensu mercatorum, existencium in lembo, nisi causa necessitatis in introitu portus, uel aliqua alia necessitate de[4] ipsa sauorna fuerit proiectum pro alleuiatione nauis uei lembi. Et si patronus, uel nauclerius lembi contra formam prędictam de sauorna extraxerit de lembo et dicta occasione aliquod damnum[5] euenerit in rebus et mercacionibus, quę sunt in lembo, patronus et nauclerius lembi ad emendationem dicti damni[6] efficaciter teneatur.

CAP. LXI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod nauclerij et marinarij teneantur habere in lembo arma conueniencia ad defensionem lembi et personarum et rerum, quę sunt in lembo; et quod, donec uiagium sit completum ad quod lembum conducitur, nauclerij et mari-

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Cod. acad. B: „naulixiatum". [3] Cod. acad. A: „uiatico". [4] ibid.: „pro". [5] Cod. acad. B: „dampnum". [6] ibid.: „dampni".

*

narij nullo modo possint ipsa arma uendere nec inpignorare. Et qui contrafecerit, in quinque libris uice qualibet condemnetur[1] nisi ea uendiderit, ut in continenti remaneant alia arma conueniencia pro defensione lembi.

CAP. LXII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod postquam mercatores[2] naulizauerint[3] aliquod lembum conducendum ad aliquem locum, quod dominus nauis, patronus, seu nauclerius nullo modo, nec aliquo prestito colore possint uendere nec alienare[4] sartia uel correda ipsius lembi sine uoluntate mercatorum, donec uiagium, ad quod lembum fuit conductum, fuerit completum et factum, nisi causa meliorandi ipsa sartia uel correda. Et qui contrafecerit, si aliquod damnum[5] propterea in rebus conductis emiserit, patronus et nauclerius ad emendationem damnorum[6] in duplum efficaciter teneantur et uigintiquinque libris communi Spalati quilibet eorum irremissionabiliter condemnetur[7].

CAP. LXIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod postquam res et mercationes fuerint conductę[8] in nauem quod debeant esse in custodia patronorum lembi. Et si aliquid de dictis rebus perderetur propter malam custodiam, uel negligentiam, patronus lembi ad emendationem damni[9] efficaciter teneatur, nisi ipsę res et mercationes per uiolentiam aut per ignem, aut per fortunam maris perderentur, in quibus casibus patronum uolumus non teneri.

CAP. LXIV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod postquam lembum aliquod applicuerit ad portum, quod patronus uel nauclerius teneantur dicere, denuntiare uel notificare mercatoribus, qui habent res et mercationes in lembo, quod lembum debeant discargare et eorum res et mercationes accipere. Et si mercatores per negligenciam lembum non discargauerint, quod totum damnum[10] et dispendium, quod patronus, uel nauclerius fecerint occasione dictę morę ipsi debeant emendare.

---

[1] Cod. acad. B: „condempnetur". [2] Deest ap. Ljub. [3] Cod. acad. B: „naulixiauerint". [4] Deest ap. Ljub. [5] Cod. acad. B: „dampnum". [6] ibid.: „dampnorum". [7] ibid.: „condempnetur". [8] Ap. Ljub.: „conuectę". [9] Cod. acad. B: „dampni". [10] Cf. adn. 5)

CAP. LXV. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si res et mercationes alicuius fuerint deuastatę in aliquo lembo, quod damnum[1] sibi debeat satisfieri per patronum lembi, nisi pro parte patroni[2] probetur, quod illud damnum[3] accidisset causa extinguendi ignem in lembo, uel propter tempestatem, aut fortunam maris aut temporis peruenisset.

CAP. LXVI. DE EODEM[4].

Item statutum et ordinatum est, quod nullus mercator nec patronus, nec marinarius, nec suprasaliens alicuius lembi possit facere fieri custodiam et guaytam lembi per aliquem alium, nisi per se ipsum personaliter, cui guayta uel custodia fuerit ordinata. Et qui contra fecerit, in xl soldos uice qualibet puniatur.

CAP. LXVII. DE EODEM[5].

Item statutum et ordinatum est, quod postquam aliquod lembum arriuauerit ad aliquem portum uel in aliquo loco et postquam arriuauerit, opporteret ipsum lembum alienari seu exonerari de aliquibus mercimonijs et si de mercibus, quę extrahentur propter aleuiationem dicti lembi aliquod damnum[6] uel dispendium appareret, uel fieret, tunc illud damnum[7] communiter computetur et communiter satisfaciat in communi auere[8] nauis.

CAP. LXVIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquod lembum derobaretur per malos homines quod illud damnum[9] satisfaciat et emendetur communiter et in communi auere[10] ipsius lembi. Et si per aliquod tempus illud damnum[11] postea emendaretur, quilibet eorum debeat habere pro emendatione pro rata parte secundum quod habuit et recepit de dicto damno[12].

---

[1] Cod. acad. B: „dampnum". [2] Ap. Ljub.: „pro patrono". [3] Cf. adn. 1) [4] Totum hoc capitulum deest ap. Ljub. [5] Ap. Ljub.: hoc et quodque sequens capitulum uno numero distat a numeratione capitulorum praesentis editionis. [6] Cod. acad. B: „dampnum". [7] ibid. e. m. [8] Ap. Ljub.: „auaria". [9] Cf. adn. 6) [10] Cf. adn. 8) [11] Cf. adn. 6) [12] Cod. acad. B: „dampno".

CAP. LXIX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod antequam mercator extrahat res et mercationes de lembo, debeat integre satisfacere patrono de naulo lembi uel in pecunia uel in bono et sufficienti pignore, quod pignus infra[1] tercium diem luere et recolligere teneatur et soluere patrono naulum lembi et si infra dictum terminum non recolligerit dictum pignus, illud perdat et libere et absolute remaneat patrono pro naulo dicti lembi. Et si mercator non satisfaceret patrono de naulo lembi, damus licentiam ipsi patrono auctoritate pręsentis statuti, quod ipse possit tantum retinere de rebus et mercationibus mercatoris, quod sibi integre satisfaciat de naulo suo.

CAP. LXX. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si marinarij promiserunt ad aliquod certum pactum seruire alicui patrono lembi usque ad certum tempus et propter aliquam causam longiori tempore durauerint in seruicio patroni, quod patronus teneatur eis satisfacere de mercede pro illo pluri tempore, pro rata parte ad illam rationem, secundum quam sibi seruire primitus promiserunt.

CAP. LXXI. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si aliqua quęstio nasceretur inter patronos alicuius lembi et marinarios uel mercatores lembi de naulo, uel de mercationibus missis in lembo, uel de uarea, uel de similibus, quod istę quęstiones possint sine libello et contestatione litis summarie cognosci et terminari tam diebus feriatis, quam etiam non feriatis, etiam si ferię essent introductę in honorem Dei; ad hoc, ut huiusmodi quęstiones non recipiant magnas dilationes, sed breui tempore finiantur. Saluo semper iure cuiuslibet super negocio principali.

CAP. LXXII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod de dictis quęstionibus, quę nascerentur inter patronos, marinarios, uel mercatores, quod si ipsę quęstiones tractarentur in alio loco et in alio foro, quam in foro ciuitatis Spalati inter eos et aliquis eorum grauaretur contra

[1] Deest in cod. acad. A.

formam statutorum ciuitatis Spalati, quod de hoc possit iusticiam petere in foro ciuitatis Spalati[1] et quod ipsa quęstio terminetur inter eos secundum statuta ciuitatis Spalati, non obstante, quod inter eos[2] in alio foro aliter sententia lata esset.

CAP. LXXIII. DE EODEM.

Item statutum et ordinatum est, quod si patronus lembi ultra conuenientem modum cargaret aliquod lembum et damnum[3] aliquod propterea eueniret, quod illud damnum[4] emendetur per patronum. Et similiter si aliquis mercator ultra modum conuenientem cargaret aliquod lembum et propterea aliquod damnum[5] eueniret in mercationibus, quod totum illud damnum[6] emendari debeat per illum talem mercatorem.

CAP. LXXIV. DE DOMIBUS NON HEDIFICANDIS NEC AFFICTANDIS IUXTA MUROS CIUITATIS[7].

Item statutum et ordinatum est, quod nullus audeat uel pręsumat uendere, alienare, nec aliquo alio modo uel titulo transferre aut concedere alicui aliquam turrim, nec aliquam aliam domum aut camardam adhęrentem muro communis ciuitatis Spalati, nec ciui, nec forensi, nec clerico, nec layco sine speciali consensu et deliberatione[8] consilij generalis ciuitatis Spalati aliquo quęsito colore, nec directe nec etiam indirecte. Et qui contra fecerit, in ducentis libris Venetorum[9] paruorum dandis et soluendis communi Spalati irremissionabiliter condemnetur et nihilominus talis uenditio, concessio, contractus aut alienatio quęlibet ipso iure non ualeat, nec teneat, ymo ipso facto et ipso iure, si contractus[10] fieret, ipsa turris uel domus, uel camarda taliter uendita, concessa, uel alienata in continenti deueniat in plenum dominium et possessionem communis Spalati et pro commune Spalati perpetuo debeat gubernari.

---

[1] Verba: „inter eos“ usque ad: „Spalati“ desunt ap. Ljub. [2] Verba: „secundum — eos“ desunt ibid. [3] Cod. acad. B: „dampnum“. [4] ibid. e. m. [5] ibid. e. m. [6] ibid. e. m. [7] Ap. Ljub.: „De bonis acquirendis a communitate“. [8] Cod. acad. A: „liberatione“. [9] ibid.: „venetiarum“. [10] Cod. acad. A et B: „contractum“.

CAP. LXXV. QUOD STATUTA LOCUM HABEANT AD FUTURA.

Verum, quia iure cauetur, quod leges et constitutiones debent dare formam[1] futuris negocijs, non autem ad facta pręterita reuocari, ideo statuimus et censemus quod pręsentia statuta et ordinamenta, quę continentur in uolumine pręsentium statutorum, habeant locum ad futura tantum et ad facta pręterita nullatenus protrahantur. Facta uero pręterita, instrumenta et iura cuiuslibet, facta ante publicationem pręsentium statutorum remaneant in suo esse ita, quod pręsentia statuta nec eis prosint nec noceant, sed remaneant in suo uigore, siue per uetera statuta[2] dictę ciuitatis, quę etiam sunt scripta in pręsenti uolumine statutorum, siue per consuetudinem, siue quocunque alio modo possunt subsistere uel tenere.

Lecta et publicata et firmata fuerunt pręsentia statuta in generali consilio ciuitatis Spalati, quę debeant obseruari post recessum ipsius domini Perceuallis potestatis ciuitatis Spalati sępius nominati[3].

Quod dedit expleri
Laudetur inte fideli[4].

---

[1] Ap. Ljub. deest. [2] Verba: „nec eis — statuta" desunt ibid. [3] Sic ap. Ljub. Cod. acad. A et B: „nominatę". [4] Versus hic deest ap. Ljub. ubi: „Finis tomi primi" legimus.

II.

STATUTA NOUA.

Hoc est quoddam statutum factum, editum[1] et compositum per egregium et potentem[2] uirum dominum Jacobum Gradenico de Venetijs, honorabilem comitem Spalati et nobiles et prouidos[3] uiros sapientes deputatos super facto statutorum ex arbitrio eis super hoc dato per consilium generale, prout de ipso arbitrio patet reformatione scripta per me notarium infrascriptum currente anno natiuitatis domini Mccc tricesimo tercio, indicione prima, die xvij[a] marcij, cuius quidem statuti et ordinamenti tenor per omnia[4] talis est, videlicet[5]:

CAP. I. DE SUCCESSIONE IUDICUM[6] USURARUM.

Item statutum et ordinatum est[7], quod si quo tempore talis casus eueniret[8], quod non possit proferri aliqua sententia propter parentelas iudicum aut consiliariorum, uel quia fuerit ex ipsis aliquis aduocatus, quod si per aliquos consiliarios non possit proferri sententia secundum formam statutorum: sibi succedere debeant primo iudices super usuris per tesseras; si uero etiam dicti iudices non possent succedere, uel quia essent coniuncti, uel fuerint aduocati, quod tunc examinatores similiter succedere debeant per tesseras ad ipsas sententias proferendas.

Sed si aliquis ex iudicibus curię coniunctus ut supra, uel quia fuerit aduocatus, non posset interesse ad dictas sententias proferendas, tunc loco prędicti iudicis non possint succedere ad ipsas sententias proferendas, nisi primo iudices super usuris prędicti, si

---

[1] Cod. acad. B: „heditum". [2] „et potentem" deest ap. Ljub. [3] ibid.: „probos". [4] „per omnia" deest ibid. [5] Deest ibid. [6] ibid.: „iudicis". [7] ibid.: „Statuimus et ordinamus". [8] ibid.: „euenerit".

esse poterunt, postmodum examinatores, quorum auus uel pater, uel ipsemet fuerint in dicto officio iudicatus[1] secundum formam statutorum et aliter nullo modo possint succedere[2] loco ipsius iudicis, nisi per modum superius nominatum, usque ad sufficientem numerum tantum curię supradictę.

Ego Stephanus, filius condam Desiderati de Franchino, publicus imperiali auctoritate notarius nunc prędicti domini comitis pręsens statutum scripsi in pręsenti uolumine statutorum de speciali mandato mihi facto per dominum comitem et statutarios supradictos die decimanona mensis marcij supradicti[3].

CAP. II. DE PASTINATIONE OLIUARUM[4].

Item statutum et ordinatum est, quod quolibet et singulo[5] anno fiant duo officiales in consilio generali, qui teneantur denuntiare omnes et singulos, qui non pastinarent oliuas, uidelicet sex pedes oliuarum pro quolibet ureteno secundum formam statutorum et habere debeant a communi libras sex paruorum pro quolibet annuatim. Et si ipsi officiales non denuntiarent, cadant in pęnam xxv paruorum pro quolibet. Et clametur omni anno, quod quilibet, qui uellent pastinare, ueniant et teneantur uenire ad faciendum se scribi ad officiales, qui ad prędictum officium fuerint pro tempore deputati ad terminum per rectorem, qui pro tempore fuerit in ciuitate Spalati, extiterit stabilitum[6]. Et illi, qui non pastinarent oliuas, uel non facerent se scribi, soluant pro quolibet ureteno soldos xl paruorum et teneantur nihilominus pastinare et similiter omnes de prędictis possint denuntiare secundum formam statutorum.

Actum et firmatum fuerit prędictum[7] statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati, prout patet in reformatione prędicta[8] per me Stephanum pręscriptum notarium, currente anno natiuitatis domini Mcccxxxiij, indicione prima, die xxiij. nouembris.

CAP. III. DE SOLUTIONE NOTARIORUM[9].

Item statutum et ordinatum est, quod si aliquis peteret aliquam pecunię quantitatem, uel rem alicuius ualoris declarati et de ipsa

---

[1] Ap. Ljub.: „iudicare". [2] ibid.: „accedere". [3] Deest ibid. [4] ibid.: „Quod omni anno fiant duo officiales, qui denuncient non pastinantes oliuas". [5] „et singulo" deest ibid. [6] ibid.: „stabiliter". [7] ibid.: „pręsens". [8] ibid.: „patet reformatio scripta". [9] ibid.: „notarii".

partem uinceret in iudicio et partem amitteret, notarius[1] debeat habere solum modo pro ea parte, in qua pars extiterit condemnata[2]. Et si totum amitteret ille, quod[3] notarius debeat habere capusoldos integros de tanto, quantum peticio continebit ab ipso petitore. Et si[4] petitor uinceret totum id, quod petierit, ille, qui perdet, debeat soluere integros capusoldos, scilicet duos denarios pro libra secundum quod in capitulo de electione notarij ciuilium plenius continetur.

CAP. IV. DE ADUOCATIS[5].

Item statutum et ordinatum est, quod quilibet aduocatus, qui inceperit quęstionem, si uoluerit, possit eam consequi usque ad diffinitiuam sententiam et ad recognitionem ipsius, si fuerit appellatum. Et quod aduocatus, sub cuius aduocatione fuerit in causa conclusum, debeat habere integrum salarium secundum quod in prędicto capitulo de aduocatis plenius est expressum. Et si post eius exitum pars uellet accipere alium aduocatum, secundus aduocatus tantum unum grossum habere debeat et non plus, ascendet quęstio, quantum uelit. Et si aliquis aduocatus aliquam pecunię quantitatem ab aliquo, qui in iudicio confiteatur eandem, ascendat quantitas, quantum uelit, aduocatus habere debeat unum grossum[6] et non plus; et plus non possit etiam accipere[7].

Acta et firmata fuerunt prędicta duo statuta in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati, prout patet in reformatione scripta[8] per me Stephanum prędictum notarium currente anno et indicione prędictis et die xij° mensis marcij.

CAP. V. QUOD NON POSSUNT ESSE ELECTORES SIMUL ET SEMEL[9].

Item statutum et ordinatum est, quod non possunt esse electores nec ad sententias proferendas simul nec semel patruus[10], nec auunculus cum eorum nepotibus, ortis tam de fratre patris, quam de[11] fratre matris, nec aliqui cognati, nec socer cum genero.

Actum et firmatum fuit prędictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati, prout patet reformatione scripta per me

---

[1] Deest in cod. acad. A. [2] Cod. acad. B: „condempnata“ [3] Deest in cod. acad. A. [4] Cod. acad. A: „Et ipse“. [5] Ap. Ljub.: „De solutione aduocati“. [6] ibid.: „tantum“. [7] ibid.: „non plus habere possit, neque accipere“. [8] ibid.: „reformatio scripta“. [9] ibid.: „De illis, qui simul et semel non possint esse electores“. [10] ibid.: „patrinus“. [11] Deest in cod. acad. A.

Stephanum prędictum notarium, currente anno et indicione prędictis, die xvij. prędicti mensis marcij.

In nomine domini amen. Anno natiuitatis eiusdem Mcccv indicione iiij.

Hoc est quoddam statutum factum, editum[1], compositum ac etiam declaratum per egregium et potentem uirum dominum Pantaleonem Justiniano de Venetijs, honorabilem comitem ciuitatis Spalati et nobiles uiros, dominum Petrum Camurtij[2], dominum Theodosium Alberti, dominum Joanem Vulcinę[3], dominum Philippum Doymi, dominum Andream Desę, dominum Petracam Petri et dominum Nicoliciam Duymi Paruoslai[4], sapientes deputatos super declaratione prędicti statuti ex arbitrio eis concesso per consilium generale, prout de prędicto arbitrio apparet euidenter tenore cuiusdam reformationis factę in consilio ante dicto, captę per ballotas prosperas et secundas quadraginta nouem, inuentas in bussolo rubeo del sic, contrariantibus per ballotas xxxiij, inuentas in bussulo zallo del non et scriptę per me notarium infrascriptum sub eodem anno et indicione et die decimo octauo marcij.

Cuius quidem statuti tenor per ordinem hic inferius declaratur.

CAP. VI. DE POSSESSIONIBUS TAM DIUISIS COMMUNIBUS, QUAM[5] ETIAM ACQUISITIS[6].

Item statutum et ordinatum est, quod si frater, nepos, uel carnalis consobrinus siue consanguineus uellet uendere de possessionibus indiuisis communibus, uel diuisis, uel etiam acquisitis quocumque modo, racione uel causa; non possit alijs uendere, nisi fratri, nepoti, uel carnali consobrino siue consanguineo pro eodem pręcio, pro quo alijs uendere possit, si ipsi emere uoluissent. Et si ipsi emere noluissent, tunc res diuidantur et postea uendantur cuicumque uenditori placuerit. Curia uero si ipsi inter se diuidere nequiuissent teneatur dare diuisores.

Item addimus, quod si propinquiores uenditoris usque in[7] tercium gradum consanguinitatis uel propinquitatis existant, uellent ipsam possessionem in[8] se habere pro pręcio, pro quo est uendita, possint, si uoluerint, eam reaccipere ab emptore, qui eam emisset infra unum annum, computandum a tempore uenditionis hoc modo, uidelicet, quod

[1] Cod. acad. B: „heditum". [2] Ap. Ljub.: „Caneri". [3] ibid.: „Volanę". [4] „Paruoslai" deest ibid. [5] Cod. acad. B: „tam". [6] Cf. pag. 115. adn. 5) [7] Ap. Ljub.: „ad". [8] ibid.: „inter".

primo primi propinquiores possint eam possessionem in se habere, deinde secundo secundi et tercio tercij et emptor teneatur ipsam possessionem relaxare soluta sibi pecunia et ultra dictum annum[1] propinquiores non possint dictam possessionem petere, dum tamen dicti propinquiores, qui dictam possessionem uolunt emere, iurent corporaliter ad sancta Dei euangelia, quod ipsam possessionem uolunt et redimunt pro se et non pro alia persona. Et usque ad tres annos, computandos a tempore suę emptionis ipsam possessionem non possint uendere alicui personę.

Item addimus, quod de possessione uendita siue alienata, si aliquis de propinquioribus uenditoris uel alienatoris[2] quocumque tempore infra annum uenerit et uellet ipsam possessionem in se habere pro pręcio, quo fuit uendita, quod ipse emptor possit et ualeat percipere fructus unius anni de ipsa possessione. Et si domus fuerit uendita, quę fit[3] alienata et uendita fuisset, habeat conturam, quę possit percipi de ipsa domo pro uno anno auctoritate et uigore pręsentis statuti.

Item addimus, quod emptor alicuius domus, terrę, uineę, uel alterius possessionis non possit facere aliquod opus uel laborerium infra annum in ipsis domo, terra, uinea uel alia[4] possessione. Et si fecerit et postea aliquis de prędictis propinquioribus redimeret eam infra annum, quod talis redemptor[5] non teneatur ei aliquid restituere de dicto laborerio uel opere in ipsis facto.

Omnia autem alia[6] statuta superiora, quę darent aliam formam, uel alium modum in redimendo dictas possessiones, auctoritate pręsentis statuti sint cassa, irrita et annullata nulliusque ualoris, roboris, uel firmitatis et pręsens statutum perpetuam de cetero obtineat firmitatem.

Actum et firmatum fuit prędictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati sub annis et indicione prędictis et die uigesimoquarto aprilis.

Ego Johannes condam magistri Zoue de Anchona publicus auctoritate imperiali notarius et nunc ipsius domini comitis cancellarius atque scriba, pręsens statutum de ipsius domini comitis et dictorum sapientium licencia speciali[7] scripsi in pręsenti uolumine statutorum.

---

[1] Ap. Ljub.: „idem annus per". [2] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „alienantis". [3] Ap. Ljub.: „sit". [4] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [5] Ap. Ljub.: „emptor". [6] Deest ibid. [7] ibid.: „Spalati".

CAP. VII. QUOD EMENTES ANIMALIA GROSSA A FORENSIBUS FACIANT FIERI INSTRUMENTA IN PRESENCIA NOBILIS[1].

Item statutum et ordinatum est, quod nullus possit emere in ciuitate Spalati, uel eius districtu aliquam bouem uel uaccham pascualem uel ad arandum, seu aliam bestiam grossam, uidelicet equum uel somerium masculini sexus uel feminini ab aliquo Sclauo uel extraneo absque requisicione et consensu adminus duorum de infrascriptis nobilibus. Et nihilominus teneatur ipse emptor, qui bestiam[2] emerit de prędictis facere scribi in actis domini comitis, qui pro tempore fuerit et nomen et pronomen[3] et locum uenditoris et etiam nomina nobilium, qui interfuerint et consenserint ipsi uenditioni. Qui uero contrafecerit et quod aliquam dictarum bestiarum emerit supradicto ordine non seruato et aliqua quęstio uel quęrimonia pro[4] dicta bestia empta per aliquem deueniret coram domino comite uel eius curia, asserendo ipsam[5] bestiam sibi fuisse furatam uel derobatam, quod ipse emptor teneatur et debeat ipsam bestiam reddere et restituere perditori absque aliqua restitutione pręcij, dum tamen ipse perditor legitime probet, ipsam[6] bestiam fuisse suam; et in hoc casu admittatur et ualeat testimonium Sclauorum, aliquo alio capitulo non obstante.

Nobiles uero, qui fuerint ad ipsorum emptionem requisiti, teneantur uinculo sacramenti ipsi uenditioni interesse et diligenter inspicere uenditorem, quem si cognouerint hominem suspectum, uel malę conditionis et famę, nullo modo ipsi uenditioni debeant consentire. Qui nobiles sint et esse debeant numero duodecim et si contigerit, aliquem eorum ad dictum officium esse non posse morte uel alia iusta causa, quod loco ipsius alius ydoneus et sufficiens per dominum comitem et iudices, qui pro tempore fuerint, debeat subrogari; nomina quorum sunt hęc, uidelicet: dominus Andreas Desę, dominus Philippus Doymi Paruoslaui[7], dominus Thomas Luchari, dominus Nicola Theodosij, dominus Franciscus Damiani, dominus Laurentius Nicolę, dominus Madius Alberti, dominus Camurcius Francisci.

---

[1] Sic ap. Ljub. Cod. acad. A inscribit praesens capitulum haud dubio mendo scripturae inscriptione, capitulum VIII. spectante: „Quod forenses, qui steterint“ etc.; cod. acad. B minus idoneam hic loco praebet inscriptionem: „De ementibus res furtiuas a Sclauis et alijs“. [2] Ap. Ljub.: „t. i. emptor bestiam, quam“; in cod. acad. B deest: „qui“. [3] Ap. Ljub.: „nomine et pronomine“. [4] ibid.: „de“. [5] ibid.: „dictam“. [6] ibid. m. c. [7] Deest ibid.

Omnia autem statuta alia, quę darent alium modum, sint cassa et cancellata[1] et pręsens statutum de cetero plenam obtineat firmitatem.

Actum et firmatum fuit prędictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati sub Mcccxxv. indicione iiij[a] et die penultimo mensis iulij, tempore domini comitis supradicti.

Ego Johannes condam magistri Zoue de Anchona, publicus imperiali auctoritate notarius et nunc supradicti domini comitis cancellarius, pręsens statutum de ipsius domini comitis licentia speciali scripsi in pręsenti uolumine statutorum.

CAP. VIII QUOD FORENSES, QUI STETERINT IN SPALATO ULTRA MEDIUM ANNUM, FACIANT FACTIONES.

Item statutum et ordinatum est, quod omnes forenses, qui sunt ad pręsens in ciuitate et qui uenerint et steterint ultra medium annum, teneantur et debeant facere omnes factiones, custodias et soluere collecta[2], sicut ceteri ciues faciunt Spalatenses, tam de denarijs, quam de bonis mobilibus et immobilibus, quę habebunt in ciuitate Spalati et eius[3] districtu. Et si starent minus de medio anno, non teneantur facere aliquam factionem, nec soluere collectas. Et si manserint in ciuitate Spalati per medium annum et recesserint et postea reuertantur, quod illi dies siue tempus, quo manserint extra ciuitatem, debeant scontari in illo termino et teneantur facere factiones et soluere collectas, sicut alij ciues Spalati faciunt.

Factum[4] et firmatum fuit hoc statutum in pleno et generali consilio Spalati sub annis[5] domini Mcccxxxviij° indicione sexta die uero[6] ultimo februarij, tempore domini Johannis Fuscarino comitis Spalati.

Ego Petrus condam Leonardi Bonuisini de Bononia, imperiali auctoritate notarius et nunc egregij et potentis uiri Andreę Cornerio[7], honorabilis comitis Spalati, pręsens statutum de ipsius domini comitis licentia scripsi in pręsenti uolumine statutorum.

Ad iustorum extollenda pręconia et reprimendas insolercias transgressorum prospiciens de cęlo iusticia errexit in populis regnancium solia et diuersorum principum potestates. Caruissent namquę libenter

---

[1] Ap. Ljub: „annullata". [2] ibid.: „collectas". [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [4] Ap. Ljub.: „Actum". [5] ibid.: „anno". [6] Deest ibid. et in cod. acad. B. [7] Cod. acad. B: „Cornario"; ap. Ljub: „Binario".

humanę conditiones[1] iugo dominij, nec libertatem a se, quam eis natura contulerat, homines abdicassent nisi, quod impunita licentia sceleri in euidentem humani generis perniciem redundabat. Et sic ex necessitate quadam opportuit nostram subesse iusticię et seruire iudicio libertatem ac ipsius motus[2] lasciuos sub statutorum et legum moderatis habenis iuxta uarietatem temporum coartancium, quę insuffitientiam propter causas multiplices, uarios casus ac plurimos cotidie[3] patiuntur, uirente nunc magis in[4] hominum mentibus nequicia, quam uirtute. Quam nequiciam, ut[5] uirtutibus studiosi degant pacifice, opportet iusticię subesse, limitibus legum, terroribus atque pęnis, testante Oratio in suis epistolis et dicente[6]: Oderunt peccare boni uirtutis amore, oderunt peccare mali formidine pęnę.

Idcirco nos Stephanus Contareno, comes ciuitatis Spalati, una cum his duodecim uiris nobilibus Spalatinis[7] super statu ciuitatis singulariter deputatis dominis, uidelicet Philippo Doymi, Petraca Petri, Johanne Vulcinę, Dobrolo Junij, Nicola Doymi Paruoslaui, Johanne Stephani, Doymo Bertani, Johanne Gilij, Nicola Theodosij, Thoma Luchari, Comolo Johannis, Raboldi et Zore condam[8] Petri Camurcij, ex arbitrio nobis concesso per consilium generale super prędictis iuxta nobis uisis beneplacitum ordinare, correctiones facere, leges concedere et ordines nouiter compillare, uigore ipsius arbitrij nobis dati per reformationem huiusmodi nostri cancellarij manibus registratam leges, ordinationes ac correctiones transcriptas perpetuo edicto mandamus et decernimus obseruandas.

CAP. IX. DE OLIUIS PASTINANDIS[9].

Statutum et ordinatum est, quod omnes, qui pastinauerint uineas in districtu Spalati et in[10] insula Soltę, teneantur pro quolibet ureteno sex pedes oliuarum bene et fideliter pastinare et eos colere et completa uinea ac pastinata si non reperirentur[11] adminus pro quolibet ureteno pedes quatuor oliuarum de illis sex, quos pastinare tenentur, dominus illius terreni teneatur uinculo sacramenti laboratorem illius uineę denuntiare curię Spalati. Et si repertum fuerit,

---

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „Caruisset humana conditio". [2] Ap. Ljub.: „metus". [3] ibid.: „codices". [4] Deest in cod. acad. A. [5] Deest ap. Ljub. [6] „et dicente" deest ibid. [7] ibid.: „Spalatensibus". [8] Deest ibid. [9] Cod. acad. B: „Super oliuarum pastinandis"; ap. Ljub.: „Quod pastinantes uineas debeant pastinare pedes sex oliuarum pro ureteno". [10] Deest ap. Ljub. [11] ibid.: „reperiantur".

ipsum contrafecisse in aliquo prędictorum, teneatur soluere communi Spalati pro quolibet pede oliuarum soldos xx^ti paruorum, de quibus[1] medietas sit communis et alia medietas accusatoris; et etiam quilibet possit accusare. Et nihilominus denuo[2] dictus laborator in terminum[3] quem sibi dominus comes statuerit. pastinare prędictos pedes oliuarum teneatur eo modo, quo in statuto superius est expressum. Et quandocumque talis uinea[4] ex defecto non esset ulterius laboranda[5], sed eradicanda, dominus terreni si[6] pedes oliuarum pro se habere uoluerit, laboratori pro quolibet pede sex soldos paruorum soluere teneatur. Si autem noluerit dominus[7], laborator quousque durabunt, eam partem accipere possit, quam[8] durantibus accipere consueuit.

Et omnes notarij[9] in instrumentis, quotiescumque de pastinacione confecerint, teneantur[10] uinculo sacramenti in instrumento inserere et sic ponere, quod laborator teneatur pastinare sex pedes oliuarum pro quolibet ureteno sub pęna in statuto contenta. Et similiter per hoc pręsens statutum teneantur laboratores pastinare oliuarios ut supra, in terris pastinatis hoc anno pręsenti secundum formam prędictam; et quod dominus comes, qui pro tempore fuerit, in principio sui regiminis teneatur a Kalendis augusti usque ad festum sancti Michaelis mittere socium suum cum duobus nobilibus dictę ciuitatis, eligendis in maiori consilio ad inquirendum per campum Spalati et Soltę expensis communis, si oliuarij sunt pastinati secundum formam pręsentis statuti. Et si aliquem inuenerint contrafecisse contra formam huius statuti, teneantur talem denuntiare uinculo sacramenti domino comiti, condemnandum[11] iuxta modum supradictum: cuius pęnę medietas sit dictorum socij et nobilium et alia medietas communis; et nihilominus contrafaciens ad pręsentis statuti obseruationem sub pęna prędicta omnimode teneatur. Omnia autem alia statuta, quę darent alium modum, sint cassa et cancellata et pręsens statutum plenam obtineat firmitatem.

---

[1] Ap. Ljub.: „uiginti". [2] ibid. et cod. acad. B: „de nouo". [3] Ap. Ljub.: „termino". [4] ibid.: „Et quęcunqnę uinea". [5] ibid.: „laborata". [6] Deest in cod. acad. A et B. [7] Ap. Ljub.: „dictus". [8] ibid.: „quo". [9] ibid.: „Et omnis notarius". [10] ibid.: „confecerit teneatur". [11] Cod. acad. B: „condempnandum".

CAP. X. DE SYNDICIS COMMUNIS ET EORUM OFFICIJ FACULTATE[1].

Item statutum et ordinatum est, quod syndici communis teneantur omnia bona mobilia et immobilia, iura et actiones communis Spalati tam in ciuitate, quam extra defendere pro posse, quęrere ac recupare. Et si aliquem inuenerint occupatorem seu defraudatorem bonorum[2] communis, quod contra tales teneantur et debeant uinculo sacramenti agere coram curia Spalatensi[3] et nihilominus ipsi[4] syndici teneantur cuilibet petenti contra dictum commune tantum in Spalatensi curia respondere et de omni eo, quod per dictos syndicos fuerit recuperatum, habere et percipere debeant soldos duos paruorum pro libra qualibet de illo, uidelicet sic recuperato prout ualere fuerit extimatum, scilicet de re immobili; nam de mobili etiam habere debeant soldos duos pro libra, scilicet a conuicto et possidente illud mobile ita, quod commune percipiat integraliter, quod est suum.

Et prędicta bona intelligantur, quę occupata tenentur sine scitu domini comitis et eius curię. De omni uero datio, gabella uel douana prędicti communis tam in uendendo, quam in recipiendo aut quietationem faciendo fieri debeat in generali consilio per manus syndicorum prędictorum prout fuit hactenus obseruatum. Et omnia, quę in prędictis per dictos syndicos erunt acta uel gesta modo, forma et ordine supradictis, plenam obtineant firmitatem.

CAP. XI. DE IUSTICIARIJS COMMUNIS ET QUID[5] EORUM OFFICIO PERTINET EXERCENDO[6].

Item statutum et ordinatum est, quod iusticiarij communis teneantur omnia pondera ac mensuras frumenti, uini et olei et cuiuslibet alterius generis, quibus utuntur homines in ciuitate Spalati, quęrere diligenter et teneantur adminus semel in mense ipsa pondera, stateras, braciolarios et mensuras, quorumcumque uendentium in ciuitate prędicta uidere et examinare ac ponere, reducere et legaliter iusticiare ad mensuras et pondera communis, omni dolo, fraude maliciaque remotis. Et si aliquem inuenerint contrafacientem, teneantur ipsum denuntiare curię Spalatensi[7] et de omni eo, quod fuerit contrafecisse repertus per dictos officiales[8] uel per familiares

---

[1] Ap. Ljub.: „Quod syndici defendant iura Spalati". [2] Deest ibid. [3] ibid.: „Spalati". [4] ibid.: „dicti". [5] Ap. Ljub.: „de". [6] „pertinet exercendo" deest ibid. [7] ibid.: „communi Spalati". [8] ibid.: „prędictos".

dicti domini comitis, cadat ad pęnam pro qualibet uice contentam in statuto de falsitatibus reprimendis circa finem, quę est librarum quinque paruorum, cuius pęnę quarta pars sit dictorum officialium et reliquum deueniat in commune; uerum tamen quicumque possit etiam accusare et habeat portionem ut supra, si eius accusatione cognoscetur. Et etiam teneantur adminus semel in ebdomada diligenter inquirere et scrutari panicocolas communis, si faciunt atque uendunt panem iuxta pondus sibi datum a commune et quamcumque inueuerint contrafacientem, teneantur uinculo sacramenti denuntiare curię Spalati, quę pro qualibet uice contrafaciens[1] cadat ad pęnam denariorum sex pro quolibet pane, qui non essęt ponderis et ammittat dictum panem et dicti officiales de dicta pęna habeant quintam partem.

Item si alicui de domo, uinea aut aliqua possessione per uicinum suum aut collateralem fieret nouitas aliqualis et talis in aliquo se senserit agrauatum et requisiuerit iusticiarios supradictos ad uidendum, tunc iusticiarij prędicti teneantur ire, uidere et examinare sub pęna pręstiti iuramenti et ibi auditis partibus et diligenter examinatis omnibus, concorditer omnes, prout eis de iure uisum fuerit, inter partes sententialiter debeant difinire. Et si aliqua partium se grauaret, uel posset se in posterum grauari, quod ius suum coram Spalatensi curia sit protinus reseruatum[2] et interim una pars contra aliam non possit facere aliquam nouitatem, donec per curiam super his fuerit sententialiter determinatum. Et quandocumque dicti iusticiarij ibunt extra ciuitatem, dictis de causis debeant habere grossum unum a parte amittente[3], statuto de nuntiatione noui operis loquente in suo nihilominus robore permanente.

Acta et firmata fuerunt prędicta statuta in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati sub annis domini Mcccxlv° indicione xiij. die dominico secundo mensis ianuarij.

Ego Nicolitus de Alexio de Justino publicus imperiali auctoritate notarius et nunc supradicti domini comitis cancellarius pręsentia statuta de ipsius domini comitis licentia scripsi in pręsenti uolumine statutorum.

Hoc est quoddam statutum factum, editum et compositum per egregium et potentem uirum dominum Mapheum Hemmo[4] de Venetijs, comitem honorabilem Spalatensem et octo nobiles et prouidos

[1] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „contrafacta". [2] Ap. Ljub.: „penitus reprobatum". [3] ibid.: „mittente". [4] ibid.: „Emo".

*

uiros et sapientes deputatos super hoc ex arbitrio eis concesso per consilium generale, prout de ipso arbitrio patet reformatione scripta per Paulum de Padua, ipsius domini comitis scribam sub anno domini a natiuitate eiusdem Mcccl. indicione iij. die decimo mensis iunij.

CAP. XII. DE ILLIS, QUI NON POSSUNT ESSE AD RECOGNITIONEM SENTENTIARUM.

Item statutum et ordinatum est, quod si quo tempore per iudices et consiliarios ciuitatis Spalati, qui debent sententijs interesse, fuerit aliqua sententia promulgata et ab ipsa sententia per aliquem partium fuerit appellatum, ad proximam sequentem curiam recognoscenda et si in ipsa sequente curia[1] per mutationem curię fuerit aliquis iudex uel consiliarius de prędictis, qui dictam sententiam promulgarunt: quod nullus ipsorum iudicum uel consiliariorum posit ad recognitionem dictę sententię interesse.

Actum et firmatum fuit supradictum statutum in palatio communis per dictum dominum comitem et octo sapientes supradictos ex arbitrio eis concesso ut supra, anno et indicione prędictis et die uicesimoquinto octobris.

CAP. XIII. DE COMERCIO[2] SOLUENDO PER NAUES ET BARCHAS.

Item statutum et ordinatum est ac etiam declaratum, quod sicut omnis nauis seu barcha, quę poterit portare mille modia, soluat pro comercio quinquaginta soldos et si plus portauerit, soluat per rationem suę magnitudinis, sicut supra in libro sexto sub rubrica de comercijs communis Spalati plenius continetur, sic uolumus et declaramus, quod omnis nauis seu barcha, quę portauerit a mille modijs infra usque ad centum modia, soluat comercium pro rata suę paruitatis.

Actum et firmatum fuit prędictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati, prout patet per refermationem scriptam per Paulum de Padua notarium ipsius domini comitis, currente anno domini[3] et indicione prędictis.

Ego Johannes condam magistri Zoue de Anchona, publicus imperiali auctoritate notarius et nunc iuratus communis Spalati dicta duo statuta de speciali mandato supradicti domini comitis scripsi in pręsenti uolumine statutorum.

---

[1] Verba: „recognoscenda — curia“ desunt ap. Ljub. [2] ibid.: „negotio“. [3] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub.

CAP. XIV. DE POSSESSIONIBUS UENDITIS PER COMMISSARIOS[1].

Item statutum et ordinatum est, quod si quę possessiones seu bona stabilia alicuius defuncti fuerint uendita ad incantum publicum per commissarios ipsius defuncti; uolumus et censemus, quod tales possessiones et bona stabilia sic uendita nullo modo aliquo tempore possint redimi per aliquem propinquum ipsius condam[2] defuncti, nec per aliquam aliam personam, sed ipsa uenditio sit firma et rata et de cetero perpetuam obtineat firmitatem, statuto uel consuetudine aliqua non obstante.

Actum et firmatum fuit supradictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati tempore egregij et potentis uiri domini Maphei Hemmo[3] honorabilis comitis ciuitatis Spalati sub annis domini Mcccl. indicione iiij. die undecimo mensis nouembris.

Ego Johannes condam magistri Zoue de Anchona publicus imperiali auctoritate notarius et nunc iuratus communi Spalati suprascriptum[4] statutum de ipsius domini comitis licentia et mandato scripsi in hoc uolumine statutorum.

CAP. XV. QUOD NULLUS CIUIS DET ALIQUOD SCLAUIS IN CREDENTIA[5].

Item statutum et ordinatum est, ad omnem quęstionem seu scandalum penitus amputandum, quod amodo deinceps nullus ciuis uel forensis seu habitator Spalati mercator seu aliqua alia persona cuiuscumque conditionis existat, de cetero audeat uel pręsumat mutuare, nec uendere uel dare alicui Sclauo uel Bosniensi aliquas mercationes nec aliquas alias res in credentia cum pignore, nec sine pignore aliquo modo uel ingenio. Qui uero contrafecerit et ob hoc aliqua quęstio oriretur, quod dominus comes seu curia Spalati talia mutuanti, uendenti uel danti seu contrafacienti nullum ius seu iusticiam reddere teneatur[6], nec ad placitum audiatur[7], saluo, quod Latinis uel Dalmatinis, seu alijs personis positis sub regali[8] dominio possint mutuare, uendere et dare in credentiam cum pignore uel sine pignore, ut eis uidebitur et placebit, contra quos eis[9] ius et iusticia inferatur, ut ordo iuris postulat et requirit.

Actum et firmatum fuit supradictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati tempore egregij et potentis uiri do-

---

[1] Ap. Ljub.: „Quod bona defuncti uendita ad incantum non reddimantur". [2] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [3] Ap. Ljub.: „Emo". [4] ibid.: „supradictum". [5] ibid.: „credentiam". [6] ibid.: „teneantur". [7] ibid.: „audiant". [8] ibid.: „reali". [9] Deest ibid.

mini Maphei Hemmo[1], honorabilis comitis ciuitatis Spalati sub annis domini Mccclj. indicione quarta, die tercio mensis iulij.

CAP. XVI. DE UOLENTIBUS ACCUSARE LABORATORES NON BENE LABORANTES UINEAS.

Item statutum et ordinatum est, quod quicumque de cetero uoluerit aliquem laboratorem accusare, uel denuntiare qui non bene laborauerit[2] uineam in terminis sicut debuit et secundum formam statuti; quod teneatur ipsum accusare uel denuntiare usque ad medium mensem iulij illius anni, in quo non laborauerit[3] uineam, ut dictum est, alias transacto illo[4] termino sua accusatio uel denuntiatio non ualeat, nec etiam admittatur, statuto aliquo alio non obstante.

Actum et firmatum fuit supradictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati tempore egregij et potentis uiri domini Maphei Hemmo[5], honorabilis[6] comitis ciuitatis[7] Spalati sub annis domini Mccclj. indicione iiij. die octauo septembris.

Ego Johannes condam magistri Zoue de Anchona, publicus imperiali auctoritate notarius et nunc iuratus communis Spalati prędictum[8] statutum de mandato dicti domini comitis scripsi in hoc uolumine statutorum.

CAP. XVII. QUOD SIMILE IUS FIAT FORENSIBUS IN SPALATO, QUOD FIT SPALATENSIBUS IN EIUS FORO.

Item statutum et ordinatum est, quod amodo deinceps illud ius et iusticia, quod et quę fiet ciuibus et habitatoribus Spalati in quacunque curia et foro cuiuscunque ciuitatis, terrę uel loci[9], illud simile ius et iusticia et per similem modum et formam fiat in curia et foro ciuitatis[10] Spalati illis hominibus et personis illius ciuitatis, terrę uel loci, statuto aliquo alio non obstante.

Actum et firmatum fuit supradictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati, tempore egregij et potentis uiri domini Maphei Hemmo[11], honorabilis comitis ciuitatis Spalati sub anno domini Mccclij. indicione quinta, die viij. ianuarij.

---

[1] Ap. Ljub.: „Emo". [2] ibid.: „laborauit". [3] ibid. e. m. [4] Deest ap. Ljub. Cod. acad. B: „ipso". [5] Ap. Ljub.: „Emo". [6] Deest ibid. [7] Deest ibid. [8] ibid.: „supradictum". [9] Ap. Ljub. desunt verba: „illud ius" usque ad: „uel loci". [10] Deest ibid. [11] Cf. adn. 5)

Ego Johannes condam magistri Zoue de Anchona publicus imperiali auctoritate notarius et nunc iuratus communis Spalati prędictum statutum de mandato dicti domini comitis scripsi in hoc uolumine statutorum.

CAP. XVIII. DE IURAMENTO IUDICIS.

„Iuro ad sancta Dei euangelia, quod usque ad tres menses proxime uenturos, uel plus uel minus, quantum fuero iudex communis Spalati, tractabo et operabor bona fide, sine fraude meum officium iudicatus, nec amicum uel[1] inimicum iuuabo, nec[2] nocebo, nec ratione alicuius dilatabo per fraudem. Exenium uel donum non tollam uel tolli faciam ab aliqua persona, quę quęstionem aliquam habeat coram me et si aliquis pro[3] me uel mei occasione exenium siue donum acceperit, faciam illud, si sciuero atque potero, reddi. Et omni die, qua dominus comes sedebit[4] ad banchum pro iure reddendo, ueniam ad eum, antequam tintinabulum rationis pulsare cesset et ibi manebo ad audiendum ius, donec dominus comes ibi sedebit sub pęna ammittendi soldos quatuor paruorum pro qualibet uice, quos dabo uel solui faciam massarijs communis; saluo si non uenirem uel starem aliquibus infrascriptis de causis: primo uidelicet, si essem in campo uel extra ciuitatem uel essem in seruitio communis et etiam occasione infirmitatis mei corporis et etiam meorum consanquineorum uel aliorum meorum propinquorum, occasione quorum non possem[5] morari ad sui iuditium et occasione eundi ad nuptias, uel ad mortuorum funera, quibus non debeo ammittere dictam pęnam; et nihilominus notarij iurati communis teneantur scribere omni uice, qua desistam uenire, prout supra dicitur[6]. Alia uero, quę in alijs statutis communis Spalati circa meum officium continentur, tenear omnimode[7] obseruare.“

CAP. XIX. QUOD IUDICES SEDEANT AD IURA REDDENDA DIEBUS QUATUOR IN EBDOMADA.

Qui iudices teneantur sedere ad iura reddenda quatuor diebus in ebdomada et omni die Veneris sint cum rectore ad examinandum et determinandum[8] omnes quęstiones, quę agitatę fuerint coram eis.

---

[1] Ap. Ljub.: „nec“. [2] ibid.: „uel“. [3] Cod. acad. A: „per“. [4] Ap. Ljub.: „sederit“. [5] non possem“ deest ibid. [6] ibid.: „supradictum est“. [7] ibid.: „omni modo“. [8] Cod. acad. A: „terminandum“.

Et dicti iudices non possint aliquam sentenciam dare a quinque libris supra sine consilio et consensu dicti rectoris, si ipse ad prędicta uoluerit interesse, quem specialiter requirere teneantur. Et si aliqua partium uoluerit et dixerit, quod ipsi iudices non procedant ad sententiam sine consilio comitis, tunc iudices non possint aliquam sententiam ferre non requisito consilio dicti domini comitis et si sententiam tulerint, non ualeat ipso iure. Sed si pars tacuerit et sententia fuerit lata per solos iudices, plenam obtineat firmitatem.

CAP. XX. DE ILLIS, QUI SIMUL ET SEMEL NON POSSUNT ESSE IUDICES.

Item statutum et ordinatum est[1], quod simul et semel non possint esse iudices hij, uel unus iudex, alter[2] aduocatus uel consiliarius pater et filius, uel duo de dictis, fratres carnales uel duo fratres consobrini, uel patruus et nepos carnalis, uel uictricus et priuignus, sex ex consiliarijs[3] uel alij habitantes simul in una domo et in una familia.

CAP. XXI. QUOD IUDICES NON SE ABSENTENT A CIUITATE SPALATI[4].

Item quod dicti iudices, qui debent sententijs et propositis interesse de toto tempore trium mensium eorum offitij non possint se absentare a ciuitate Spalati ultra[5] xv dies, nec aliquis absens eligi debeat ad dictum offitium, qui se absentet a ciuitate Spalati ultra dictos xv dies, nisi se absentaret pro seruicio et in bassiata[6] communis.

Et per electores curię alter iudex eligatur[7] in locum illius, qui se absentauerit et absens fuerit ab offitio supradicto[8].

CAP. XXII. QUOD IUDICES DEBEANT ESSE ANNORUM TRIGINTA.

Item, quod quilibet de dictis tribus iudicibus debeat esse ętatis adminus xxx^ta^ annorum et si minus[9], electio non ualeat et elector sit periurus.

Idem[10] in examinatoribus.

---

[1] „statutum et ordinatum est“ deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Ap. Ljub.: „uel alter“. [3] ibid.: „sex consiliarij“. [4] „Spalati“ deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [5] Ap. Ljub.: „dictos“. [6] ibid.: „ambasciata“. [7] ibid.: „eligat“. [8] ibid.: „prędicto“. [9] „et si minus“ deest ibid. [10] ibid.: „sit“.

CAP. XXIII. QUOD NULLUS, QUI FUERIT IN OFFITIO, ASSUMATUR IN EODEM OFFITIO[1] NISI POST TERCIAM MUTATIONEM.

Item, quod quicunque fuerit in aliquo publico offitio dictę ciuitatis, non possit assumi in eodem offitio nisi post terciam mutationem, sua electione non computata. Et si assumeretur, non ualeat, nec possit ipsum offitium exercere.

CAP. XXIV. QUOD OMNI XV. DIE TENEANTUR LEGERE PRESENS CAPITULARIUM.

Item teneantur legere, uel legi facere omni quintadecima die saltem una uice pręsens capitularium et statuta sub pęna pręstiti iuramenti[2]:

„Iuro ad sancta Dei euangelia, quod usque ad tres menses proxime uenturos, uel plus uel minus, quantum fuero consiliarius communis Spalati, tractabo et operabor bona fide, sine fraude meum offitium consiliarię, nec amicum, nec inimicum iuuabo, nec nocebo, nec rationem[3] alicuius dilatabo per fraudem. Donum, uel exenium non tollam, nec tolli faciam ab aliqua persona, quę quęstionem aliquam habeat; et si aliquis pro me, uel mei occasione acceperit, faciam illud, si sciuero atque potero, reddi. Et omni die Veneris, qua dominus comes sedebit ad banchum pro iure reddendo, ueniam ad eum antequam tintinabulum rationis pulsare cesset et ibi manebo ad audiendum ius donec dominus comes ibi stabit, sub pęna ammittendi soldos quatuor paruorum pro qualibet uice, quos dabo, uel solui faciam massarijs communis, saluo si non uenirem uel starem aliquibus infrascriptis de causis: primo, si essem in campo uel extra ciuitatem uel essem in seruicio communis et etiam occasione infirmitatis mei corporis et meorum consanguineorum, uel aliorum meorum propinquorum, occasione quorum non possem morari ad suum iuditium et causa eundi ad nuptias et ad funera mortuorum, quibus non debeo ammittere dictam pęnam; et nihilominus notarij iurati communis teneantur scribere omni uice, qua desistam uenire, ut supra dicitur[4]. Alia uero, quę in statutorum uolumine communis Spalati circa meum offitium continentur, tenear omnimode obseruare.

Item tenear[5] legere, uel legi facere omni quintadecima die saltem una uice pręsens capitulum sub pęna pręstiti iuramenti."

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Glossa marg. in cod. acad. A: „Sic jurant consiliarij". [3] Cod. acad. A: „ratione". [4] Ap. Ljub.: „ut dictum est". [5] Sic ap. Ljub. Cod. acad. A et B: „teneantur".

CAP. XXV. QUOD NULLUS CIUIS RELINQUAT UEL DET QUOCUMQUE[1] ALIQUA BONA IMMOBILIA AD PIAS CAUSAS[2].

Ad honorem Dei, Romanę ecclesię ac totius matris ecclesię. nostrę metropolis Spalatensis, dominij regalis et conseruationis ciuitatis nostrę Spalati, quam credimus post Dei gratiam auxilium regale fortiter adiuuari, si immobilia ciuitatis nostrę et eius districtus conseruentur[3] in manibus nostrorum conciuium et aliorum conhabitantium subditorum nostrorum dominio[4] temporali, testante euangelio, ubi dicit: ubi thesaurus tuus, ibi et cor tuum. Qui cotidie faciunt affectiones communitatis nostrę, quando oportet, tam tempore inopię bladi, quam hostium incursione et maxime quia huiusque bona immobilia posita in nostri districtu tam intus, quam extra ciuitatem ultra terciam partem per nostros hactenus conciues hic sunt per eorum testamenta et inter uiuos donationes causa mortis tradita et relicta tam ad pias causas, quam alijs, qui non sunt subditi nostro imperio temporali laudabili ad inuentionem, dicimus statuendum de cętero, quod nullus ciuis noster uel forensis possit in ciuitate nostra, audeat uel pręsumat in suo testamento, uel qualibet alia ultima uoluntate, uel per uenditionem, permutationem, donationem inter uiuos, uel causa mortis uel per quemlibet alium actum cuiuscumque nomine censeatur, modo aliquo uel ingenio, uel aliquo quęsito colore relinquere uel transferre[5] aliquam rem suam immobilem, positam in ciuitate Spalati, uel eius districtu, ad pias causas, uel in aliquam personam, collegium, uel uniuersitatem, quę non sunt subditę nostro regimini temporali, nisi hoc modo, scilicet, quod res illa immobilis debeat uendi personę sęculari et eius pręcium dari sicut et quomodo[6] uoluerit ipse testator, uel donator alicui, uel aliquibus ex superius nominatis. Uerum si aliqua specialis persona, quę non sit, ut prędicitur, subdita nostro iudicio sęculari, iure testamentario uel successorio, uel per emptionem, donationem inter uiuos uel causa mortis acquisiuerit in ciuitate Spalati uel eius districtu aliquam rem immobilem, ipsam habere non possit, nisi cum hac conditione[7]. Et de hoc fieri debeat publicum instrumentum superinde[8] per aliquem ex notarijs

---

[1] Ap. Ljub.: „cuicumque". [2] Capitulum hoc deest in cod. acad. A. Inscriptionis tantum instar posuit scriba codicis hic loco adnotationem: „Hic prętermisi statutum, quo prohibetur contra sacros canones nihil immobile posse relinqui ad pijas causas". [3] Ap. Ljub.: „conseruetur". [4] ibid.: „dominum". [5] ibid.: „inferre". [6] ibid.: „quoque modo". [7] ibid.: „uenditione". [8] ibid.: „super ijs".

nostris, in quo id contineatur, uidelicet[1] illa res inmobilis semper esse subiecta et subiacere debeat omnibus nostris affectionibus et nostris statutis atque nostro iudicio sęculari; decernendo per hoc pręsens statutum ex nunc, si quid secus factum fuerit in prędictis, uel aliquo prędictorum, tamquam pro infecto, irrito et inane, nisi quod in testamento uel qualibet alia ultima uoluntate, in quibus res immobilis contra prędicta, uel aliquod prędictorum fuerit relicta, cetera firma permaneant et ea quę ordinata fuerint contra pręsens nostrum statutum, reducantur ad nostrum supradictum; prohibendo insuper cuilibet ex notarijs nostris, ne faciant alicui personę testamentum, codicillum, instrumentum uenditionis, permutationis[2], donationis inter uiuos, uel causa mortis, uel aliquod aliud instrumentum contra prędicta, uel aliquid prędictorum sub pęna librarum c denariorum paruorum et amissione officij, quod haberet a commune Spalati. In quam pęnam incurrere debeat toties, quoties fecerit contra prędicta uel aliquod prędictorum ipso facto, sine aliqua excusatione; nec in testamentis, quibus res immobiles[3] ut prędicitur, uel in codicillis relinquantur[4], possit[5] institui ad implenda prędicta, uel aliquod prędictorum persona fide commissaria, uel executrix, quę non sit subdita nostro regimini temporali. Et si instituatur, pro non scripta habeatur et tunc per dominum comitem et eius curiam, scilicet consiliarios ciuitatis Spalati, uel maiorem partem ipsorum committantur fidecommissarios ad implenda prędicta, uel aliquod prędictorum, sicut sibi uidebitur conuenire; iniungendo[6] iudicibus et consiliarijs, qui sunt et qui pro tempore erunt, quod uinculo sanctissimi[7] sacramenti debeant consulere domino comiti, tam qui est, quam qui pro tempore fuerit, quod habeat omnia et singula supradicta facere inuiolabiliter obseruari.

Et hęc omnia et singula, quę in pręsenti statuto continentur, debeant poni et scribi in nostro uolumine statutorum.

Actum et firmatum fuit prędictum statutum in pleno et generali consilio ciuitatis Spalati, prout patet reformatione scripta per Petrum de Gratianis de Vicentia notarium, currente anno natiuitatis Mccc quadragesimo septimo, indicione quintadecima, die lunę sexto mensis augusti.

Ego Paganus condam Angeli de Lucca publicus imperiali auctoritate notarius, communis Spalati iuratus scriba pręsens statutum

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest ibid. [3] Cod. acad. B: „immobilibus". [4] ibid.: „relinquatur". [5] Ap. Ljub.: „possint". [6] ibid.: „in injungendo". [7] Deest ibid.

de licentia domini Pauli Beligno honorabilis comitis ciuitatis Spalati scripsi in pręsenti uolumine statutorum. Cuius pręfati domini comitis regimen fuit incipiendum sub annis domini Mcccliij. indicione septima, die xxv. iunij.

CAP. XXVI. CORRECTIO STATUTI POSITI IN QUARTO LIBRO SUB RUBRICA: IN QUIBUS CASIBUS POTESTAS HABEAT ARBITRIUM INQUIRENDI[1].

In Christi nomine amen. Anno natiuitatis eiusdem Mcccl°, indicione undecima, regnante serenissimo domino nostro domino Ludouico, Dei gratia Vngarię rege, tempore reuerendi[2] in Christo patris, domini Hugolini[3], Dei gratia archiepiscopi Spalatensis et nobilium uirorum, dominorum Paruę Johannis, Theodosij Leonis et Nouaci Mathei rectorum et Duymi Berthani, Francisci Damiani et Zuci Buccamaioris iudicum Spalati, die xxix° nouembris.

In pleno et generali consilio dictę ciuitatis more solito congregato prędicti domini rectores et iudices cum consensu consiliariorum, qui debent propositis interesse, proposuerunt. Cum quędam statuta seu statutum indigeat correctione, ideo requirunt pręsens consilium, quod unusquisque consulat, quod sibi placet. Super qua proposita ser[4]. Franciscus Damiani surgens arrengando consuluit, quod inter alia statuta ciuitatis Spalati, quę correctionem indigere noscantur, illud pręcipue statutum positum in quarto libro uoluminis dictorum statutorum sub rubrica: in quibus casibus potestas habeat arbitrium inquirendi, quod incipit: item statutum et ordinatum est, quod potestas in quatuor infrascriptis casibus etc. correctione manifesta noscitur indigere, cum in arbitrio aliquando cadet[5] periculum, quia potius et melius est, quod sententię magni ponderis in arbitrio iuris et plurium sapientum consistant et proferantur, ne propter inicium arbitrium unius solius iudicantis aliqui molestentur iuxta regulam iuris: ubi maius periculum, ibi cautius est agendum. Et propterea arrengando consuluit, quod dictum statutum corrigatur et correctum sit hoc modo, uidelicet, quod rectores seu consules, qui nunc sunt uel pro tempore fuerint et etiam potestates seu comites, uel quouis alio nomine nuncupentur, qui unus, uel plures haberent regere ciuitatem pręfatam secundum statuta ipsius ciui-

[1] Cap. ciij. quarti libri in editione praesenti. Inscriptio haec in cod. acad. B et ap. Ljub. inferius, post invocationem ac datum est posita.
[2] Ap. Ljub.: „honorandi“. [3] ibid.: „Vgolij“. [4] ibid.: „dominus“.
[5] ibid. „cadit“.

tatis, non habeant aliquod arbitrium inquirendi in aliquibus casibus in dicto statuto contentis, nec possint aliquam sententiam criminalem proferre, nisi cum iudicibus, qui pro tempore fuerint, uel maiorem partem eorum, nec possint conuocare, uel facere pulsari ad consilium maius sine consensu dictorum iudicum uel maioris partis ipsorum sub pęna prędstiti iuramenti. Et si contrarium fieret, non ualeat ipso iure, nec exequatur ullo modo.

Unde posito partito, ut moris est, captum et reformatum ac statutum et ordinatum fuit per omnes, qui fuerunt numero xl[ta], sicut consuluit dictus[1] ser[2]. Franciscus, statuto, uel reformatione aliqua[3] non obstantis. Et quod hęc reformatio pro statuto habeatur et scribi debeat in libro statutorum Spalati.

Ego Franciscus ser. Manfredi de Surdis de Placentia, imperiali auctoritate notarius et iuratus communis Spalati de mandato dictorum dominorum rectorum et iudicum ac totius consilij generalis hęc, ut supra dicitur, in dicto libro statutorum scripsi.

CAP. XXVII. QUOD AD ALTERUM COLLEGIORUM DEBEAT APPELLARI.

Ad agendas optimo regi gratias subditorum studia debent concitari, quando aliquid annuit utilitatis publicę, causa qua regius animus semper spectat atque ideo alacriter excipiendum est quod necessarie fuisset[4] optandum. Hinc est quod serenissimus princeps et dominus noster Ludouicus Dei gratia rex Hungarię per suas litteras directas fidelibus suis dilectis comiti[5], iudicibus, consilio et communitati[6] suę ciuitatis Spalati sub data in Visegrad, die crastino festi beatorum Petri et Pauli apostolorum anno domini Mccclxvij. anuendum duxit de regia auctoritate, quod cum deinceps super aliquibus sententijs latis in medio ipsorum inter causidicos ad secundam curiam Spalati iuxta statutum ciuitatis prędictę fuerit appellatum altera partium, quę de difinitione earundem sententiarum in secunda curia Spalati latarum alegaret se non posse contentari ipsas sententias secundę curię simul cum partium iuribus, quę ipsę sententię tangunt pro pleniori cognitione et decisione earundem, nec non ob maioris iusticię euidenciam de eadem curia Spalatensi ad collegium Bononię uel Paduę aut Perusij transferre possit, interposita appellatione uolens et illarum litterarum serie committens, ut ipsa appel-

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid: „dominus". [3] Deest ibid. [4] Cod. acad. A et B: „fuisse". [5] Ap. Ljub.: „communitati". [6] ibid.: „communi".

latio et dictarum sententiarum diffinicio in altero[1] dictorum collegiorum facta robur obtineat plenę et perpetuę firmitatis. Quas quidem regias litteras egregius et potens miles regius dominus Johannes de Crizogonis de Yadera, honorabilis comes et nobiles ac circumspecti uiri domini Franciscus Damiani, Balcius Petri et Albertus Michę iudices, generale consilium et commune ciuitatis prędictę alacribus animis et debita gratiarum relatione susceperunt et merito; quid enim reipublicę magis interest, quam ut iusticia obseruetur, cuius nulla maior euidentia esse potest, quam ut legum periti iudices ordinentur, quia uix possunt negligere, qui nouerunt[2] ęquitatem, nec facilis erroris uicio sordescunt, quos doctrina purgauerit. Tunc enim felix est et certa condicio negociorum, quando illi sententiam dicunt, qui non possunt ignorare, quod eligunt.

Proinde, quod generale consilium dictę ciuitatis die tercio mensis septembris proxime pręteriti per reformationem ipsius generalis consilij, scriptam per me notarium plena et libera auctoritas est et[3] concessa fuit pręfatis dominis comiti et iudicibus atque consilio credencię dictę ciuitatis dandi ordinem et modum ipsarum appellationum et ad executionem dictarum litterarum regalium atque prouidendi, statuendi, ordinandi et reformandi superinde prout eis uidentur. Et ita, quod quicquid per ipsos, uel maiorem partem eorum fieret in pręmissis, robur perpetuę firmitatis obtinere, ac si factum fuisset per ipsum generale consilium dictę ciuitatis et etiam in uolumine statutorum dictę ciuitatis poni deberet. Et ideo pręfati domini comes, iudices et consilium crędentię, diligenter inspectis et attentis omnibus et singulis factis atque debita meditatione pensatis diligentique colloquio et tractatu ac prouida examinatione et matura deliberatione inter eos pręhabitis, ordinem et modum dederunt ipsis appellationibus et in facto ipsarum appellationum atque ad executionem dictarum litterarum regiarum ac etiam prouiderunt, statuerunt et ordinauerunt atque reformauerunt superinde, ut inferius continetur.

CAP. XXVIII. MODUS OBSERUANDUS MITTENDI AD COLLEGIUM, QUANDO A SENTENTIA POTESTATIS APPELLATUR[4].

In primis namque reformauerunt, prouiderunt, ordinauerunt et statuerunt, quod quicumque ex litigantibus non fuerit contentus de

---

[1] Ap. Ljub.: „alterum“. [2] ibid.: „nouerint“. [3] „est et“ deest ibid. [4] Ap. Ljub. et cod. acad. B: „Modus obseruandus in mittendo (mittendum) ad collegium“.

aliqua sententia lata per secundam curiam Spalati, debeat infra octo dies a die ipsius sententię computandos appellare ab illa sententia coram rectore dictę ciuitatis seu eius uicario uel locumtenente et requirere, quod ipsa sententia cum iuribus partium, quę[1] sententia tangit, mittatur ad collegium Bononię, uel Paduę aut Peruzij[2], prout rectori et iudicibus dictę ciuitatis uel maiori parti eorum uidebitur[3]. Debeat etiam infra dictos dies octo deponere penes massarios communis suffitientia pignora pro soldis quatuor paruorum pro qualibet libra tocius quantitatis uel extimationis rei seu negocij uel iuris, de qua uel quo lata fuerit ipsa sententia per dictam secundam curiam, quę extimatio fiat per extimatores dictę ciuitatis uel maiorem partem eorum; item pro expensis legitimis faciendis, pro huiusmodi sentencia ad collegium transferenda. Et si prępmissa non obseruauerit, reputetur non appellans et dicta sententia lata per dictam[4] secundam curiam firma permaneat et omnibus iuris remedijs executioni mandetur. Si uero dictus appellans prępmissa obseruauerit, teneatur rector seu eius uicarius uel locumtenens et iudices dictę ciuitatis, qui tunc fuerint, uel maior pars eorum sub uinculo sacramenti infra dies xxx^ta^ a die ipsius appellationis computandos dictam appellationem et ipsam sentenciam, latam per secundam curiam et partium iura, quę illa sententia tangit seu eorum copiam mittere ad alterum ex dictis collegijs secrete[5] et per hominem, quem[6] in hac re crediderint fidelem et secretum, a quo sacramentum exigant, quod fideliter et secrete in hoc se habebit. Et sic faciant suo posse, quod neutra partium sciat huiusmodi collegium ad quod miserint[7] nec per quem miserint[8]. Cui nuncio etiam debent litteras suas superinde ad illud collegium cum taxatione salarij prout eis uideatur, expedire.

Ceterum, ut huiusmodi res magis possit esse secreta, dicti rector seu eius uicarius, uel locumtenens et iudices de denarijs dicti communis soluant expensas tam ipsius nuncij, quam dicti salarij.

CAP. XXIX. DE EODEM[9].

Item, quod si eodem tempore plures appellationes huiusmodi essent ad collegium mittendę, eodem modo simul mittantur, uidelicet

---

[1] Ap. Ljub.: „ipsa". [2] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „Perusij". [3] ibid.: „uideatur". [4] Deest ap. Ljub. [5] ibid.: „facere". [6] ibid.: „quantum". [7] ibid.: „miserunt". [8] ibid. e. m.
[9] Inscriptiones cap. XXIX—XXXI desunt in cod. acad. A et B.

ad idem collegium et per eundem nuncium, ut partium parcatur expensis. Et quod dictum est de una appellatione, seruetur de omnibus; et si plures appellationes missę fuerint ad collegium ut supra, diuidantur expensę, quę proinde factę fuerint per libram et soldum ipsarum causarum seu extimationem earum.

CAP. XXX. DE EODEM.

Item, quod decisio, quam dictum collegium fecerit et rescripserit superinde, robur obtineat plenę ac perpetuę firmitatis. Et statim post aperturam ipsius per rectorem dictę ciuitatis seu eius uicarium uel locumtenentem debeat omnibus modis et iuris remedijs executioni mandari.

CAP. XXXI. DE EODEM.

Item statim post aperturam ipsius decisionis compellat ipse rector seu eius uicarius uel locumtenens illam partem, quę succumberit, soluere expensas factas pro dictis salario et nuncio. Si uero appellans succumberit in toto uel in parte, tunc idem appellans compellatur soluere dictos soldos quatuor paruorum pro qualibet libra quantitatis uel extimationis rei seu negocij uel iuris in qua succumberit, quorum soldorum quatuor medietas in commune Spalati perueniat et alia medietas in alteram partem. Si uero appellans prędictus bene appellauerit et in totum obtinuerit, nulla partium teneatur ad dictos soldos quatuor pro libra per prędsens statutum, neque per uetus statutum[1].

Item etiam intelligatur et locum habeat pro illa parte, pro qua obtinuerit dictus appellans, decernentes etiam, quod illud statutum uetus in illa parte, qua pęna seu grauamen soldos quatuor pro libra imponit appellanti, ad secundam curiam, si succubuerit, cesset, nec locum sibi uendicet in casibus secundis. Verum, quia leues et paruę causę cum difficilibus et magnis causis paribus passibus non ambulant, nec interest utilitatis publicę, quod pro parua lite magnę sustineantur expensę, nec etiam est uerisimile, quod regia maiestas cuius animus utilitatem publicam semper affectat, huiusmodi concessionem appellationum et translationum ad collegium, quę absque magnis laboribus et expensis finiri[2] non possunt, ad paruas causas nullatenus uoluerit extendi, statuerunt, prouiderunt, reformauerunt

[1] Verba: „neque — statutum“ desunt in cod. acad. B. [2] Ap. Ljub.: „fieri“.

et ordinauerunt, quod nulla appellatio huiusmodi admittatur in aliqua causa seu lite, quę sit a centum libris infra[1]; sed huiusmodi causis sententia lata per secundam curiam perpetuam obtineat firmitatem et executioni mandetur.

Et quę scripta sunt superius in precedentibus capitulis, locum dumtaxat sibi uendicent in causis et quęstionibus ciuilibus, quę sint quantitatis centum librarum, uel abinde supra, uel rei seu negocij uel iuris, cuius extimatio secundum extimationem extimatorum dictę ciuitatis sit librarum centum paruorum[2] uel abinde supra.

Reformata, ordinata et acta fuerunt prędicta omnia per dictos comitem, iudices et consilium credentię auctoritate dictę reformationis dicti generalis consilij in palatio nouo communis Spalati anno natiuitatis domini Mccclxvij° indicione v. die uero xxviij° mensis octobris.

Ego Albertus Passanega condam Lanfranci de Mediolano, publicus imperiali auctoritate notarius et cancellarius communis Spalati pręsentia statuta mandato dictorum dominorum comitis et iudicum atque consilij credentię nec non generalis consilij dictę ciuitatis scripsi in hoc uolumine statutorum.

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] Deest ibid.

III.

REFORMATIONES.

TABULA REFORMATIONUM RECOMPILLANDARUM.

De malsanis . . . . . l.
De quarta bonorum decedencium ab intestato pro pauperibus petenda . . . . . ij.
De carbonibus non extrahendis . . . . . iij.
De calcina portanda Spalatum et non alio uendenda . . iiij.
De dacio calcinę . . . . . v.
De animalibus pascentibus intra duo flumina . . . . . vj.
De porcis non tenendis . . . . . vij.
De custodia campi . . . . . viij.
De pęna pasculantium in campo . . . . . viiij.
De solutione pręconum . . . . . x.
De oliuis pastinandis . . . . . xj.
De ponendo in consilio . . . . . xij.
De pęna habentium uxorem et consumantium cum alia copulam carnalem[1] . . . . . xiij.
De stratis purgandis . . . . . xiiij.
Quod consiliarij sententiarum sint examinatores . . . . xv.
De douana beccharię et piscarię . . . . . xvj.
De aqua non ponenda in uino uendendo . . . . . xvij.
De spuma non facienda in bucicis . . . . . xviij.
Quod forenses post sex menses faciant factiones . . . . xix.
Ordo super mensuras bladi, uini, olei et panni . . . . . xx.
De seruanda custodia . . . . . xxj.
De bulletis fiendis . . . . . xxij.
Contra fauentes carceratos . . . . . xxiij.

[1] „carnalem“ deest in cod. acad. B.

Contra falsificatores scripturas . . . . . xxiiij.
Capitula suprastantium portus . . . . . xxv.
De nomine ponendo in citatione . . . . . xxvj.
De millio emendo . . . . . xxvij.
De terris pastinandis et non pastinandis . . . . . xxviij.
Ordo super sale . . . . . xxix.
Ordo portus . . . . . xxx.
De scripturis alias notis releuandis . . . . . xxxj.
Quod propositę fiant de uoluntate duarum partium et consilij . . . . . xxxij.
Quod nullus, qui non sit aduocatus uel procurator alicuius compareat in iudicio pro eo aduocatorio uel tutorio nomine . . . . . xxxiij.
De ętate[1] examinatorum . . . . . xxxiiij.
De discipulis tenendis per magistros . . . . . xxxv.
Quod curia sedeat duobus diebus in ebdomada et plus si fuerit requisita . . . . . xxxvj.
Ordo libri magni . . . . . xxxvij.
De bonis communis exigendis . . . . . xxxviij.
Ordo diuisionis uillarum . . . . . xxxix.
Pacta molendinorum Salonę . . . . . xl.
De nauigijs non onerandis[2] ultra debitum . . . . . xlj.
Quod aduocati communis diffiniant quęstiones incoatas[3] . xlij.
De curia congreganda ad petitionem syndicorum communis xliij.
De solutione notarij . . . . . xliiij.
De consilio credentię congregando . . . . . xlv.
De seruis non uendendis . . . . . xlvj.
De armis non extrahendis . . . . . xlvij.
De pancogolis . . . . . xlviij.
Quod scolia Soltę non uendantur . . . . . xlix.
De clauibus ciuitatis tenendis . . . . . l.
De falsis monetis incidendis . . . . . lj.
Quod ciues et districtuales possint impune se defendere ab inuasoribus . . . . . lij.
De libertate data iudicibus ad regimen . . . . . liij.
De mulieribus acquirentibus[4] dimidiam bonorum mariti . liiij.
De ordine tenendo contra contumaces . . . . . lv.

---

[1] Cod. acad. B: „hetate“. [2] ibid.: „honorandis“. [3] ibid.: „incohatas“. [4] ibid.: „acquirendis“.

*

De custodibus uinearum . . . . . lvj.
De tenuta danda in solutionem creditori si non apparuerit alius in principio . . . . . lvij.
De non impediendo appellationem, quando deferatur ad collegium . . . . . lviij.
De animalibus bouiuis non tenendis ad marinam . . . . lix.
De domibus iuxta muros non affictandis . . . . . lx.
De liga non facienda in emendo incantus . . . . . lxj.

IN CHRISTI NOMINE AMEN.

Partes iam dudum per longęua tempora captę in generali consilio nobilium Spalati, diuersis temporibus et millesimis et diuersis rectoribus et in diuersis libris et de ipsis libris electę et inter[1] alias partes extractę et in hoc libro redactę, quia[2] magis uidentur in se habere necessitatem obseruandi, ut si consilio uidebitur, addantur in statuto communis Spalati per uiros nobiles Bilsciam Cypriani, Thomam Dobroli et Jancum Doymi ad hoc specialiter deputatos.

CAP. I. DE MALSANIS.

Millesimo trecentesimo trigesimo secundo, die xiij. maij, tempore regiminis domini Jacobi Gradenico, comitis Spalati captum et reformatum fuit, quod malsani morentur[3] et morari[4] debeant de foris et duobus ex eis liceat uenire ad ciuitatem Spalati omni die dominica et omnibus diebus solemnibus tantum et aliter non[5].

CAP. II. DE QUARTA PAUPERUM PETENDA, UIDELICET BONORUM DECEDENTIS AB INTESTATO.

Eodem millesimo et tempore, die ultimo augusti captum fuit in dicto consilio, quod syndicus communis debeat euocare possessores bonorum decedentium ab intestato et ab eis petere et exigere quartam spectantem pauperibus, ut de ea possit fieri quid iuris.

CAP. III. DE CARBONIBUS NON EXTRAHENDIS.

Eodem millesimo et tempore, die xvij. mensis octobris captum et reformatum fuit in dicto consilio, quod statutum loquens de lignis

---

[1] Cod. acad. A: „in“. [2] Ap. Ljub.: „quę“. [3] Cod. acad. A: „morerentur“. [4] ibid.: „mori“. [5] Ap. Ljub.: „aliter uenire, nec accedere possint“.

non portandis de insula Soltę ad alium locum quam Spalatum sit firmum et quod simili modo nullus audeat extrahere carbones inde causa portandi alio ad pęnam in dicto statuto contentam. Et quod si forenses, qui inciderent ligna uel extraherent dictos carbones, non possent reperiri, quod ille de illa uilla, ubi dicta ligna et carbones facta fuissent, dictam pęnam soluere compellantur, prout in prędicto statuto plenius continetur. Et ut prędicta melius obseruentur, addantur in statuto nouo.

CAP. IV. DE CALCINA PORTANDA SPALATUM.

Item captum fuit in dicto consilio die suprascripto, quod tota calcina, quę fiet super insula Soltę portetur et portari debeat Spalatum et non alibi et quicunque alio portauerit[1], uel uendiderit portandam, cadat ad pęnam medietatis dictę calcinę et quartum sit accusatoris. Et quod postquam fuerit portata ad ciuitatem Spalati uel eius districtum, non possit extrahi sub eadem pęna.

CAP. V. DE DACIO CALCINE PORTANDE[2].

Millesimo trecentesimo sexagesimo nono, in quaterneto grosso Albertoli captum fuit, quod quilibet ciuis uel habitator seu districtualis Spalati de cetero uendens uel dans quouis modo alicui calcinam aliquam, quę conducta fuerit extra ciuitatem Spalati et eius districtum, quamuis super hoc fuerit sibi concessa licentia per generale consilium dictę ciuitatis, soluere debeat communi dictę ciuitatis pro datio libras xx^{ti} paruorum pro quolibet centenario modiorum calcinę irremissionabiliter soluendas, priusquam det[3] calcinam sub pęna librarum quinquaginta paruorum pro qualibet uice et quod de dicta pęna non possit fieri remissio nec gratia per potestatem, nec alio modo et quod rector, qui superinde aliquam peticionem admiserit, uel propositam fecerit, cadat irremissionabiliter in pęnam librarum xx^{ti} paruorum pro qualibet uice. Iudices uero, qui admissioni uel propositę huiusmodi consenserint, in totidem pro quolibet eorum cadant, consiliarij in libris decem pro quolibet eorum.

Et additur in statutis et hoc non habeat locum in calcina necessaria laborerijs regię maiestatis.

---

[1] Deest in cod. acad. B. [2] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [3] Cod. acad. B: „dictam"; ap. Ljub.: „ipsam".

CAP. VI. DE ANIMALIBUS PASCENDIS INTRA DUO FLUMINA.

Millesimo trecentesimo quinquagesimo primo, die penultimo ianuarij, tempore domini Maphei Hemmo[1] captum fuit, quod aliquis ciuis et habitator Spalati uel forensis non[2] audeat pascere animalia sua a flumine Badi usque ad flumen Salonę sub pęna perdendi animalia et credatur et quilibet possit accusare et habeat medietatem pęnę.

CAP. VII. DE PORCIS NON TENENDIS[3].

Captum est, quod aliquis non teneat porcos et porcas in ciuitate Spalati et si tenere uoluerit, teneat in domo sub pęna soldorum xl^ta^ pro quolibet porco et qualibet uice, si inuenta fuerint de die et si de nocte, duplicetur pęna. Et talem[4] officialis accusare teneatur.

CAP. VIII. DE CUSTODIA CAMPI.

Millesimo trecentesimo septuagesimo quinto, dio decimo octauo aprilis captum fuit et prouisum pro maximo damno, quod datur in campo a bestijs, quod custodes eligantur, qui pro mercede sua habeant de quolibet boue, qui arat, mediam quartam ordei et medietatem omnium condemnationum.

Die ultimo subscriptis in dictis reformationibus captum fuit, quod regimen ciuitatis Spalati habeat plenum arbitrium eligendi custodes campi et prouidendi, quod damnum non detur, prout eis uidebitur pro bono statu ciuitatis Spalati[5].

CAP. IX. DE PENA PASCULANTIUM IN CAMPO.

Millesimo trecentesimo septuagessimo sexto, die xiiij. in dictis reformationibus captum fuit, quod quilibet pasculans cum bestijs minutis et damnum dans in campo Spalati, perdat bestiam, quę ueniat in commune Spalati et nihilominus soluat communi Spalati soldos quinque paruorum pro qualibet bestia. Et inueniantur quatuor custodes ad prędicta cum competenti salario eis tribuendo[6] et ha-

---

[1] Ap. Ljub.: „Emo". [2] Deest in cod. acad. A et B. [3] Cod. acad. A glossam habet in margine: „De hac materia habetur libro quarto, capitulo lxviij". Cod. acad. B et ap. Ljub.: „De p. n. t. die festo". [4] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [5] „Spalati" deest in cod. acad. B. Ap. Ljub.: „ipsius ciuitatis". [6] „eis tribuendo" deest ap. Ljub.

beant medietatem omnium condemnationum. Et quod conductores douanę non audeant tenere bestias aliquas[1] sub dicta pęna, sed subito occidant eas.

CAP. X. DE SOLUTIONE PRECONUM.

Millesimo trecentesimo trigesimo tercio die xvij. februarij, tempore subscripti domini Jacobi captum fuit, quod pręcones seu placiarij communis Spalati habere debeant de omni incantu usque ad soldos xx^ti unum soldum et a xx^ti soldis supra usque ad centum libras[2] paruorum paruum unum pro qualibet libra et a centum libris paruorum supra ascendat incantus, emtor uelit et possit de eo, quod esset plus dictis centum libris paruorum unum medium paruum pro qualibet libra pro quibus incantis emptores seu emptor soluere teneantur. In commune uero Spalati de omnibus incantis perpetuo sit liberum et absolutum.

CAP. XI. DE PONENDIS IN CONSILIO.

Millesimo trecentesimo trigesimo quarto, die uero xxix^a augusti, tempore domini Pantaleonis Justiniano captum fuit, quod consiliarij, qui sunt recipiendi in generali consilio sint hoc modo; uidelicet, quod quilibet eorum debeat esse a xviij annis supra et patres et aui eorum fuerint tempore transacto consiliarij dictę ciuitatis; ac etiam qui fuerint nobiles et quod non possint esse forenses, bastardi, nec filij bastardorum. Et aliter nullo modo aliquis possit recipi in consiliarem dictę ciuitatis, nisi ordine antedicto. Et quod super eligendum comes cum quatuor nobilibus, qui eligentur in pręsenti consilio, habeant plenum arbitrium auctoritate pręsentis consilij[3].

CAP. XII. DE EODEM[4].

Millesimo trecentesimo quadragesimo octauo, die xij° augusti, tempore domini Johannis Gradenico captum fuit, quod maiores xvj annis uel saltem xvj pro adimplemdo numerum defectum per mortalitatem possint esse de[5] dicto consilio quorum tamen patres uel aui fuerint de consilio[6], iurantibus tamen patribus uel auis esse maiores annis sexdecim.

---

[1] Deest in cod. acad. B et ap. Ljub. [2] Deest ap. Ljub. [3] Ap. Ljub.: „statuti et comitij". [4] Cod. acad. A et B nullam hic loco habent inscriptionem". [5] Ap. Ljub.: „in". [6] Verba: „quorum — consilio" desunt ibid.

CAP. XIII. DE OLIUIS PASTINANDIS.

Millesimo cccxxxv^to^ die xviij. aprilis, tempore suprascripti[1] domini Pantaleonis Justiniano captum fuit et firmatum, quod quicumque pastinauerit uineam in campo uel districtu Spalati, seu in insula Soltę, teneatur pastinare quatuor pedes oliuarum pro quolibet ureteno. Et quilibet pes sit ita grossus, sicut est brachium hominis, uel circa sub pęna x soldorum pro quolibet pede, quem non pastinauerit, ut dictum est. Et nihilominus quicumque pastinauerit, teneatur et debeat ipsos bene custodire et taliter colere, quod fructum faciant, sub pęna soldorum decem pro quolibet pede, quem non ita custodiret[2].

Item, quod nullus audeat incidere aliquem pedem oliuarum alicuius[3] uel rames ipsarum sub pęna librarum v paruorum et emendandi damnum passo, de quo damno credatur sacramento passi damnum, facta fide de ipso damno. Nec etiam possit aliquis incidere aliquem pedem oliuarum de suis proprijs absque licentia domini comitis et curię qui pro tempore fuerit, sub pęna librarum quinque.

Et pro prędictis omnibus obseruandis fiant omni anno in consilio generali duo officiales, qui teneantur semel in mense ire per campum Spalati et diligenter inspicere et quoscumque inuenerint contrafacientes, accusare et denuntiare teneantur et habere debeant medietatem banni. Qui officiales si non irent per campum ad prędicta uidenda, scilicet semel in mense, ut dictum est, uel si non denuntiarent contrafacientes, quod quilibet eorum cadat in pęnam librarum quinque pro qualibet uice. Et habere debeant pro quolibet eorum pro uno anno libras sex paruorum; et nihilominus possit accusare et denuntiare et habere debeat medietatem banni.

Emptores uero fructuum insulę Soltę, tam qui nunc sunt, quam pro tempore fuerint, teneantur ipsum officium exercere in dicta insula Soltę, excepto, quod de requirendo omni mense non teneantur et accusare debeant et habere medietatem ut supra. Et clamatur omni anno, quod omnes uolentes pastinare teneantur se facere scribi per officiales, qui fuerint ad prędicta tempora deputati sub pęna prędicta[4].

Omnia autem alia statuta, quę darent aliam formam, uel alium modum, auctoritate prędsentis statuti sint cassa et cancellata et prędsens statutum de cętero debeat obseruari.

---

[1] Ap. Ljub.: „antedicti". [2] ibid.: „custodierit". [3] Deest ibid.
[4] Verba: „tempora — prędicta" desunt ibid.

CAP. XIV. DE PENA UXOREM HABENTIUM ET ALIAM ASSUMENTIUM.

Millesimo cccxlviij, die iij. ianuarij, tempore domini Petri Memo captum fuit, quod si quis habuerit uxorem et aliam sumpserit, potestas seu comes habeat licentiam et libertatem puniendi quoscumque uxoratos aliam uxorem accipientes pro libito suę uoluntatis.

CAP. XV. DE STRATIS PURGANDIS.

Eodem millesimo tempore[1] et die viij. ianuarij captum est, quod ad hoc, ut ciuitas Spalati sit bono odore opulenta et non fętido polluta, quod quatuor homines inueniantur, qui salarientur per commune, qui habeant offitium purgandi stratas communis Spalati. Et si dicti sic inuenti non purgauerint, puniantur ad arbitrium domini comitis.

CAP. XVI. QUOD CONSILIARIJ SENTENTIARUM SINT EXAMINATORES.

Millesimo cccxlviij.[2] die xxvj. augusti, tempore dicti domini Petri Memo captum est, quod cum examinator satis sufficiens non uideatur ad examinandum instrumenta, quod consiliarij sententiarum amodo possunt examinare instrumenta. Et in hoc casu habeantur pro examinatore.

CAP. XVII. DE IMUNDITIJS EXPORTANDIS.

Item hij officiales teneantur et debeant pręcipere habentibus immunditias ante suas domus, ut easdem debeant portare seu portari facere extra ciuitatem infra terciam diem post pręceptum sibi factum sub pęna superius annotata. Et si non fecerint, tunc officiales prędicti teneantur illico pręterito termino notificare domino comiti et accusare et habeant medietatem pęnę.

CAP. XVIII. DE PONDERE CARNIUM.

Item in dicto tempore, die secundo[3] decembris captum fuit, quod quilibet becharius, qui est et qui per tempora fuerit, debeat tenere pondus unius librę, dimidij et quarti librę et abinde supra et non possint uendere carnes minori pondere de quarto librę.

---

[1] Deest ap. Ljub. [2] ibid.: „Eodem millesimo". [3] ibid.: „undecima".

CAP. XIX. DE ORDINE BECCHARIE.

Millesimo ccclviij, die xv. octobris, cuius tempore, non scribitur, sed in libro signato A. captum est, quod beccharia uendatur cum isto ordine. Primo, quod pro omni et qualibet[1] libra carnium friscarum de becharia, de qua solui consueuit dacium exigatur, et soluat uenditor unum denarium paruum ultra datium solitum, et quod becharij possint uendere ipsas carnes unum denarium de pluri quamlibet libram carnium.

Item, quod uenditor soluat de qualibet testa animalis parui duos paruos et de pendulis duos paruos[2] et uentramine paruos quatuor et non possint uendere testam plus de paruis decem et uentramen plus de paruis uiginti.

Item omnibus interioribus bouinis pro quolibet intramine soluat uenditor grossum unum.

Item de quibuslibet intraminibus porcorum soluat soldum unum et paruos quatuor gabellatori.

Pacta secundę partis insuper intitulatę gabellis[3], quę sunt additę suprascriptę douanę sunt hęc.

Item quicunque extraxerit carnes porcinas salitas per mare, soluat pro quolibet milliare soldos xx^{ti} paruorum ultra douanam solitam.

Item, quod quilibet, qui extraxerit carnes porcinas uiuas per terram, soluat gabellatori[4] tantum, quantum solueret, qui extraxerit per mare.

Item, quod qui uendiderit carnes salitas in becharia, uel extra, soluat pro libra carnium paruum unum.

Item[5] si uendiderit lardum separatum ab ossibus et carnibus, soluat gabellatori[6] soldos duos paruorum pro qualibet libra.

CAP. XX. DE FALSIS PONDERIBUS CARNIUM.

Die xix. mensis octobris in eodem libro super becharia[7].

Captum fuit, ut quęstio non oriatur inter becharios et gabellatores, quod quando animalia ponderantur, debeant defalcari librę quatuor pro quolibet centenario ponderum.

---

[1] „et qualibet“ deest ap. Ljub. [2] „et de pend. d. paruos“ deest ibid. [3] ibid.: „gabellae“. [4] Cod. acad. B et ap. Ljub.: „gabellę“. [5] ibid.: „Et“. [6] Cf. adn. 4) [7] Verba: „Die — becharia“ apponuntur in cod. acad. A et B capitulo XIX.

CAP. XXI. DE EODEM[1].

Die suprascripto deliberata fuit douana secundum consuetudinem et cum additione infrascripta, quę additio continetur in tribus capitulis pręcedentis ordinis in carta pręsenti in fine antedictis simul ligatis pręterquam de libris v contentis in primo capitulo dictorum trium capitulorum.

Die suprascripto[2] uendita fuit gabella becharię cum ordine superius notato suprascriptis tribus capitulis exceptis[3].

CAP. XXII. DE DATIO DOUANE, BECCARIE ET PISCARIE[4].

Mccclviij. die xxv^to nouembris, in libro signato B.

Captum fuit, quod datium douanę, becharię et pescarię uendatur et deliberetur secundum pacta antiqua, hoc addito, quod si ciuis uel habitator conduceret aliquam bestiam grossam uel minutam et extraxerit per terram, soluat pro centenario bestiarum minutarum libras v paruorum et pro animali bouino soldos quatuor paruorum. Et si quis emerit animalia minuta in ciuitate Spalati et eius[5] districtu et ea extraxerit per terram, uel per mare, soluat libras x paruorum pro centenario et grossos tres pro boue et pro porco soldos v. Alia uero additio, facta anno pręterito, sit cassa.

Die suprascripto dicta douana uendita fuit cum pactis infrascriptis, uidelicet:

In primis; pro quolibet boue, uel uacha, qui uel quę occidetur in macello, uenditor debeat soluere tres grossos venetos.

Item pro quolibet manzo uel manza, qui uel quę fuerit ponderata a libris lxxx^ta infra de pondere uenditor debeat soluere dicto douanario soldos quatuor.

Item pro qualibet bestia minuta scilicet castrato hirco, capra oueque soldos duos paruorum.

Item pro quolibet ędе uel agno paruis duodecim. Et ędus uel agnus intelligatur deinde usque ad festum sanctę Marię de augusto.

Item pro quolibet porco uel porca, quem, uel quam uendiderit in macello, soluere debeat tam si uendiderit cum uisceribus, quam sine, v[6] paruorum.

---

[1] Sic cod. Chiud. In cod. acad. A et B praesens et sequentia capitula verbis solum: die suprascripto distingunutur, neque inscriptiones eorum cum tabula in capite reformationum posita concordant.
[2] Deest in cod. Chiud. [3] Ap. Ljub.: „pręscriptis tribus capitulis".
[4] Sic cod. Chiud. Cod. acad. A et B nullam hic loco habent inscriptionem. [5] Deest ap. Ljub. [6] Cod. acad. A et B: „soluat v".

Item si aliquis emerit aliquam bestiam grossam uel minutam, seu porcinam in ciuitate uel districtu Spalati et uellet eam extrahere seu extraxerit per mare, uel per terram. soluat douanario libras x paruorum pro centenario quolibet bestiarum minutarum; pro animali bouino grossos tres, pro porco seu porca soldos quinque.

Item si quis ciuis Spalatinus uel habitator conduceret aliquam bestiam grossam uel minutam et eam extraxerit per terram, soluat pro centenario bestiarum minutarum libras quinque, pro animali bouino soldos quatuor. Et[1] saluo, quod si quis portaret pro mensa sua per mare, soluere non teneatur aliquod dacium de uno castrato uel duobus, prętеr[2] bouinis uel medio porco, sed abinde supra soluere teneatur.

Et si aliquod nauigium forense applicaret in portu Spalati, non possit ferre pro sua mensa, nec aliqua alia causa, nisi primo soluerit douanario douanam de omni eo et eo toto, quod extrahere uoluerit. Et[3] saluo, quod si aliquis Spalatinus uel habitator Spalati emerit aliquam bestiam grossam uel minutam pro pascendo, uel laborando, soluere non teneatur aliquid pro douana et etiam si aliquis forensis conduceret aliquam bestiam grossam uel[4] minutam in ciuitate Spalati causa ipsam uendendi et eam uendere non posset, licitum sit eidem ipsam bestiam grossam uel minutam extrahere per terram ad suum beneplacitum[5] absque alio datio uel gabella. Et etiam[6] si aliquis ciuis uel habitator Spalati uellet extrahere per mare, uel per terram carnes pro nuptijs uel festo faciendo, soluere non teneatur aliquid pro douana. Similiter, si aliquis Spalatinus, uel habitator Spalati emeret aliquam bestiam grossam uel minutam et ipsam uellet pro sua domo, non teneatur aliquid soluere pro douana, sed[7] si ipsam bestiam diuiserit cum aliquo, soluat dacium supradictum.

Item, si quis ciuis uel habitator Spalati uel mercator, qui emerit aliquam bestiam grossam uel minutam uel porcinam a columna, quę est in confinibus Spalati uel citra uel uersus montem sancti Lucę et sancti Michaelis et a Chlisio citra et ab ecclesia sanctę Marię de Nugal et ab ecclesia sancti Petri de Ghumaye citra uersus Spalatum, teneatur soluere datium supradictum. De carnibus uero

---

[1] Cod. Chiud.: „Eo saluo“. [2] Ap. Ljub.: „animalibus“. [3] Cod. Chiud.: „Eo saluo“. [4] Deest in cod. acad. A. [5] Hoc usque transcripsit Ljubićius codicem ms. Chiudinae; sequentia uero desumpta sunt ab eo e cod. Cicognae num. 1189. [6] Ap. Ljub.: „Item“. [7] ibid.: „Item“.

porcinis uel lardillis, quę ueniunt de Apulea uel de Marchia, quę uenduntur, uenditor debeat soluere unum denarium paruum pro libra ponderum. Et illę carnes, quę ueniunt de Dalmatia, quę uenduntur, soluere debeant soldos v paruorum pro quolibet porco uel porca; saluo quod si aliquis Sclauus portauerit ad ciuitatem Spalati carnes porcinas salitas, quod soluere non teneatur aliquod pro douana. Et ille, qui emerit dictas carnes et ipsas extraxerit, uel uendiderit, soluere teneatur datium, saluo, quod si ipsas carnes uellet pro sua domo, non teneatur soluere aliquod pro douana.

Item si quis ciuis uel habitator, uel forensis conduxerit aliquam bestiam, undecumque conduxit, et uoluerit ipsam extrahere per mare de ciuitate Spalati et eius districtu uiuam uel mortuam, soluat pro quolibet boue, uacha, porco uel porca soldos quatuor paruorum et pro quolibet centenario bestiarum minutarum libras v. paruorum, ut supradictum est, tam si cargauerit seu ponderauerit in portu Spalati uel eius districtu, quam etiam extra ciuitatem et eius districtum ubicunque locorum soluere teneatur douanam supradictam.

Item si aliquis Spalatinus uel habitator Spalati per se uel interpositam personam aliquo quęsito colore ponderaret aliquas bestias in aliqua parte, quam in portu Spalati uel eius districtu, soluere teneatur douanario supradicto.

Et si aliquis Spalatinus, uel habitator aut forensis ubicumque daret de suis denarijs uel mercimonijs alicui personę causa emendi bestias et conducendi Spalatum et ipsas postmodum conduceret[1] ad alium locum, quam ad ciuitatem Spalati, ipsi, uel illi emptores, quibus dictę mercantię uel pecunię spectarent, teneantur soluere dicto douanario pro quolibet centenario bestiarum minutarum libras quinque paruorum. Et si aliquis in hoc aliquam fraudem commiserit, cadat ad pęnam librarum xxv paruorum pro quolibet et qualibet uice, qua contrafecerit: cuius medietas pęnę sit communis et alia medietas douanarij, si hcc legitime probauerit per testes ydoneos; statuto aliquo non obstante. Et nihilominus integram douanam soluere teneatur douanario de omnibus bestijs extractis contra hoc; et quod[2] rectores, qui sunt uel pro tempore fuerint, uinculo sacramenti dictam pęnam exigere teneantur integre cum effectu.

Et item[3], si quis interfecerit aliquem porcum uel porcam et ipsas carnes salauerit[4] causa extrahendi de ciuitate Spalati et eius dis-

---

[1] Ap. Ljub.: „conducetur". [2] Cod. acad. A: „quia". [3] Cod. Chiud.: „Item". [4] Ap. Ljub.: „soluerit".

trictus, soluere teneatur douanario, sub quo occisę fuerint: soluat quinque paruos pro quolibet porco uel porca, quod dacium soluere teneatur ille, qui extraxerit[1] eas. Et si aliquid de ipsis carnibus uendiderit in macello, soluere teneatur pro quolibet porco uel porca soldos v paruorum, soluendo illi douanario, sub quo occisę fuerint.

Item, si Tragurienses fecerint aliquam nouitatem mercatoribus Spalati, transeuntibus per districtum ipsorum cum aliquibus bestijs, quod eandem nouitatem facere teneantur Spalatini mercatoribus Tragurinis transeuntibus cum aliquibus bestijs per districtum Spalati.

CAP. XXIII. DE PISCIBUS[2].

Item, quod omnes, qui portabunt pisces per mare, uel per terram ad ciuitatem Spalati, uel eius districtum et ipsas uendiderint, uel portauerint domum, soluere debeant octauam partem, quam octauam partem dicti ciues et habitatores Spalati soluere teneantur ubicumque ipsas uendiderint, tam in districtu Spalati, quam extra districtum; siue ipsas portauerint in barcha, siue in londra. Et si inceperint uendere, uel portare domum, soluere teneantur dictam octauam partem.

CAP. XXIV. DE LIGNIS.

Item, omnes, qui portabunt ligna, uel tędam[3], soluere teneantur decimam partem secundum consuetudinem ciuitatis Spalati. Et si quis defraudauerit douanam supradictam, cadat ad pęnam librarum quinque paruorum, cuius medietas sit communis et alia douanarij.

CAP. XXV. DE BECHARIA UEL CARNIBUS MORTICINIS[4].

Item, quod nullus audeat uendere carnes morticinas in beccharia sub pęna librarum uiginti quinque paruorum.

Vendita fuit douana pro pręcio et nomine pręcij librarum mille ducentarum paruorum, quod pręcium etc.

Eodem modo et libro; millesimo[5], die secundo decembris uendita fuit gabella douanę, sicut[6] anno antecedenti, ut supra.

---

[1] Ap. Ljub.: „extraxit". [2] Neque hoc, neque sequentia capitula numeris sunt signata ibid. [3] ibid.: „tenda". [4] Cod. Chiud: „De beccaria". [5] Deest ap. Ljub. [6] Deest in cod. Chiud.

CAP. XXVI. QUOD BECCHARIJ DENT CARNES ET UENDANT AD SUFFICIENTIAM.

Millesimo ccclxx. ut in reformatione Angeli de Fabriano, die[1] xxv^to^ aprilis captum fuit, quod quilibet beccharioruin siue becharius et douanarius, uenditores carnium teneantur et debeant dare et uendere carnes ad sufficientiam cuilibet petenti in pęna xl soldorum et etiam teneantur ad peticionem suprastancium et cuiuslibet eorum occidere animalia et facere et uendere carnes. Et ipsi suprastantes et quilibet eorum possint eisdem beccharijs et piscatoribus imponere pęnas auctoritate pręsentis consilij, ac si imponeretur per totam curiam Spalati. Et quilibet possit accusare contrafacientes et habeat medietatem pęnę.

Hoc capitulum est additum facta die suprascripta[2].

CAP. XXVII. DE OFFICIALIBUS ELIGENDIS AD BECCHARIAM ET AD BLADA.

Millesimo ccc. die xix. iunij captum fuit, quod in perpetuo singulis tribus mensibus eligerentur duo officiales, qui habeant custodire, ne carnes uendantur ultra ordinem et ne blada extrahantur, neque uinum forense ponatur in ciuitate, et etiam ad plancam, qui teneantur denuntiare et accusare quoscumque contrafacientes et habeant dimidam pęnę. Et habeant omni mense soldos xl^ta^ pro quolibet eorum salario.

Pacta et additiones factę sunt Mccclxxxiij° die xxvij. mensis nouembris; aut redditus, fructus et prouentus douanę, beccharię et piscarię possit exigere, percipere et recipere debeat modo et forma superius per ordinem taxatis et declaratis.

CAP. XXVIII. QUOD DOUANA UENDATUR MORE SOLITO.

Millesimo ccclxxviiij. die ij. decembris. In reformationibus Johannis de Casulis captum fuit, quod douana uendatur cum pactis consuetis et quod ullo tempore anni nullus possit porrigere peticionem, nec recipi. si porrigeretur, nec super ea fieri proposita nec arrengatio, nec extra peticionem aliqua proposita fieri possit super iis sub pęna librarum xxv proponente et arrengante quolibet et qualibet uice et sub pęna periurij.

---

[1] Cod. acad. A et ap. Ljub.: „anno. die". [2] Hicce finit transcriptio, quam fecit Ljubićius e cod. ms. Cicognae.

CAP. XXIX. DE BECCHARIA ET DOUANA[1].

Millesimo ccclxxxiij. die xxvij[a] nouembris, in consilio habeute plenam libertatem captum fuit, quod quilibet possit et ualeat emere animalia quęcumque extra districtum Spalati et extrahere ad sui licitum, dimittendo et interficiendo ad beccharium Spalati x pro centum et de eis douanam soluendo ita tamen, quod cum ea animalia conduxerit in districtum Spalati, immediate teneatur et debeat notificare regimini et scribi facere quantitatem conductam. Et eodem modo, quando extrahere uoluerit, ne fraus aliqua committatur et hoc sub pęna librarum xxv pro qualibet uice, cuius pęnę medietas sit accusatoris; et hęc intelligantur tam de ciuibus, quam forensibus.

Item, quod animalia, quę emuntur in ciuitate et districtu Spalati nullo modo extrahi possunt, nec interficiantur ad bechariam.

Item, quod douanarij et beccharij animalia, quę eis restarent seu superessent ad carnis priuium, non possint pascere in campo Spalati usque Zarnouiçam per totum tempus xl[o], sub pęna soldorum xl[ta] paruorum pro quolibet animali, cuius pęnę medietas sit accusatoris. Et si post pasca reducerent prędicta animalia in districtu Spalati, teneantur et debeant ea interficere ad bechariam ad sufficientiam, donec durauerint.

Die[2] xxix. nouembris in generali consilio captum est uendere douanam cum suprascriptis pactis et alijs solitis, his non contrarijs.

CAP. XXX. DE EODEM[3].

Millesimo ccclxxxiiij. die xxvij. nouembris captum fuit a modo, quod omnes beccharij et uendentes carnes a paschate usque festum sanctę Marię de mense Augusti non audeant, possint atque debeant uendere capretos seu ędos agnos ad oculum, scilicet quod qui uendere uoluerit, uendat ad pondus pro soldo uno libram; et qui contrafecerit, soluat bannum solitum.

Item, quod omnes carnes, quę uenduntur ad bechariam ultra suprascriptas carnes ędinas, agninas et bouinas, de quibus supra ordinatum est, possint, debeant et ualeant douanarij et beccharij a festo epiphanię proxime futuro usque per totum mensem madij proxime futuri uendere quamlibet libram dictarum carnium a cuius-

---

[1] Sic cod. Chiud. In cod. acad. A et B deest inscriptio hujus capituli. [2] In cod. Chiud. hic jam loco cap. XXX. incipit. [3] Inscriptio haec deest in cod. acad. A et B.

libet earum uno denario plus ordine solito et quod ad pręsens obseruatur. Finito uero mense reuertatur ad modum solitum atque pręteritum.

Item, quod douanarij et becharij per se, uel per interpositam personam non audeant, nec debeant, nec possint aliquo modo uendere lac, nec caseum sub pęna soldorum centum paruorum pro quolibet et uice qualibet contrafacta.

Item, quod si douanarij et becharij, qui conduxerint animalia aliqua pascualia cum alijs animalibus uel sine alijs animalibus, teneantur et debeant primo et ante omnia interficere animalia pascualia ad bechariam et uendere sub pęna librarum xxv pro quolibet et uice qualibet contrafacta.

CAP. XXXI. DE AQUA NON PONENDA IN UINO UENDENDO.

Item captum fuit die suprascripto, quod nulla persona, masculus uel fęmina, ciuis uel habitator Spalati audeat uel pręsumat ponere aquam in aliquo uasello uini, quod uoluerit uendere sub pęna librarum uigintiquinque et quilibet possit accusare et habeat dimidium pęnę.

CAP. XXXII. DE SPUMA NON FACIENDA[1] IN BUCICIS.

Item dicto die consultum est et captum, quod tabernarij nullo modo faciant spumam in bucicis[2], sed dent plenam sub pęna soldorum xx^ti qualibet uice et quilibet possit accusare et habeat dimidiam pęnę.

CAP. XXXIII. ORDO SUPER MENSURIS.

Millesimo cccxxxvij. die ij. decembris, tempore domini Johannis Fuscarino captum et reformatum fuit quod amodo in antea ordo infrascriptus obseruetur super mensuris.

Primo, quod starius, sicut est ad pręsens, sic stare debeat et cum ipso debeat mensurari omne bladum et omnes res consuetę uendi cum stario, tamen cum culmo, sicut fuit hucusque et quod fiat per commune aliud starium de ligno simile illi, quod[3] stat ad plancham; si frangeretur, fiat aliud. Et quod nullus audeat uendere uel emere aliquod bladum in ciuitate Spalati, nec alium usum

[1] Cod. acad. A: „faciente“. [2] ibid.: „tam in bucicis“. [3] ibid.: „qui“.

uendi cum stario, saluo cum stario prędicto, posito ad plancham sub pęna librarum decem paruorum, cuius medietas sit communis et alia accusatoris, si per eius accusationem inueniretur ueritas. Et nihilominus, qui uendiderit cum minori, emendet damnum emptori.

CAP. XXXIV. DE UINO ET GALETA[1].

Item super mensuris uini captum fuit, quod galeta uini stet et permaneat sicut est ad prędsens, in qua intrent bocioline xxxij et fiet una similis et ponatur in camera communis. Et si quis cum minori uendiderit, soluat soldos xl^ta^ pro galeta et emendet damnum. Et quilibet possit accusare et habeat medietatem ut supra.

CAP. XXXV. DE TINARIJS[2].

Item captum fuit, quod tinarij sint de sex galetis. Et quod nullus audeat portare in campum tinarium minorem sex galetis, nec uendere uel emere uinum cum tinario maiori uel minori sub pęna librarum decem paruorum, cuius pęnę medietas sit communis et alia medietas accusatoris. Et quod ad ipsum tinarium ponatur unum signum et inde supra non debeat mensurari aliquod uinum sub pęna superius dicta.

CAP. XXXVI. DE MENSURIS OLEI.

Item captum fuit, quod metrum olei sit sicut est ad prędsens et esse debeat de buciolinis xl^ta^ et quod si quis uendiderit oleum alicui cum minori metro, uel emerit, soluat pro pęna libras x, cuius medietas sit communis et alia accusatoris, si per eius accusationem inuenta fuerit ueritas.

CAP. XXXVII. DE MENSURA MELLIS.

Item captum fuit, quod galeta mellis sit de libris lx^ta^, quę libra sit unciarum xv de Spalato. Et quod nullus audeat emere mel ab aliquo cum minori galeta librarum lx^ta^ sub pęna librarum decem, cuius medietas sit communis, alia accusatoris, si per eius accusationem fuerit inuenta ueritas.

---

[1] Cod. Chiud.: „De vino“. [2] Cod. Chiud.: „De Thinatijo“.

CAP. XXXVIII. DE EODEM.

Item captum fuit, quod qui uendiderit mel ad metrum, non uendat aliter quam ad libram de uncijs xv sub pęna librarum decem paruorum, cuius medietas sit communis, alia accusatoris.

CAP. XXXIX. DE MENSURA LACTIS.

Item captum fuit, quod omnes, qui uendiderint lac, non audeant uendere aliter, nisi cum buciolina, simili illi de uino.

CAP. XL. DE BRAZOLARIJS.

Item captum fuit, quod braciolarium panni permaneat sicut est ad pręsens et non fiat maius, nec minus. Et quod nullus audeat uendere aliquod pannum seu tellam alicuius cum minori braciolario sub pęna librarum xxv, cuius pęnę medietas sit communis et alia accusatoris, si per eius accusationem fuerit inuenta ueritas.

CAP. XLI. DE MENSURANDO CUM BRAZOLARIJS SUPER TABULA.

Millesimo ccclvj. die xix. aprilis, in reformationibus Francisci de Bononia captum et reformatum fuit, quod de cetero braciolarij communis, cum quibus mensurantur panni et similia, sint mensurę consuetę et quod panni linei, lanei, fustanei et omnia, quę cum braziolarijs mensurantur, debeant poni super banchum et mensurari cum braziolarijs, signando brachia ad hoc, ut fraus non committatur in pręmissis. Et hoc sine aliqua pressa seu additione sub pęna librarum quinque pro quolibet contrafaciente, cuius pęnę medietas sit accusatoris.

Mccclxxx. die xxij. madij proclamata.

CAP. XLII. DE PONDERE AURI.

Millesimo ccclxvj. die xix. aprilis, in reformationibus Francisci de Bononia captum et reformatum fuit, quod aurum et argentum ponderetur ad pondus Marchię.

CAP. XLIII. DE PONDERE CARNIUM, FERRI ETC.

Item captum fuit, quod carnes, ferrum, plumbum, stagnum, linum, pegola, grana, caseus, lana, cera, mel et alia huiusmodi similia ponderentur ad pondus, siue ad libram xv unciarum de Lucca, sicut est hactenus consuetum.

*

CAP. XLIV. DE PONDERE SPECIERUM.

Captum fuit, quod siricum, piper, confectiones, friscos, aurum, argentum, filatum bombacę, zucharum, canella et omnes alię species ponderentur ad pondus subtile Venetiarum duodecim unciarum.

CAP. XLV. DE CUSTODIA SERANDE[1].

Millesimo cccxxxix. captum fuit, quod duo nobiles de consilio eligentur, quibus sacramentum pręstaretur, quod debeant accusare omnes, quos uiderent pascere bestias in monte Serandę, uel incidere ligna, et habere debeant annuatim libras xxij paruorum. Et modo, quod si dicti officiales non accusarent illos, qui pascerent et inciderent ligna in dicto monte, soluant pro pęna libras xxv paruorum communi. Tamen ipsi officiales possint pro se mittere duos de custodibus, qui sunt ad logyam ad uidendum et inueniendum illos, qui pascerent, uel inciderent ligna in dicto monte, sicut est dictum superius. Et eligantur de anno in annum.

CAP. XLVI. DE BESTIJS PASCENDIS IN SERANDA.

Millesimo ccclxiij. die xxx. octobris in reformatione Francisci de Bononia super quaterneto signato ·F· captum fuit, quod omnes ciues possint pascere cum bestijs bouinis, equis et asinis a festo omnium sanctorum usque ad sanctum Georgium in monte Serandę.

Millesimo ccclviij. die xix.[2] ..... captum fuit, quod Seranda stet secundum statutum. Et placiarij teneantur accusare et denuntiare, quos inuenerint et pęna tota perueniat ad eos. Et si non accusauerint contrafacientes, quod ipsi placiarij fustigentur.

CAP. XLVII. DE BULLETIS FACIENDIS[3].

Quod omnes bulletę fiant cum consensu duorum iudicum ad minus et factę cum eorum consensu bullentur per comitem seu uicarium et subscribantur per duos iudices ad minus. Et hoc modo factę ualeant et aliter non. Et si camerarij receperint aliquam bulletam non factam modo suprascripto, non ponatur ad eorum rationem, neque scribatur.

Et quod de aliqua bulleta nulla persona faciat solutionem, pręterquam camerarij et si quis fecerit, non recipiatur, nec ponatur ad eius rationem.

---

[1] Cod. acad. B: „montis Serandę". [2] Neque cod. acad. A et B neque cod. Chiud. mensem nominant. [3] Cod. acad. A et B: „factis".

CAP. XLVIII. CONTRA FAUENTES CARCERATIS.

Millesimo ccclxxv. in dictis reformationibus, die primo aprilis captum fuit, quod comes cum iudicibus haberet arbitrium inquirendi contra aliquos, qui reperirentur dedisse subsidium carceratis tunc et expendere de bonis communis, si opus foret; et quos culpabiles inueniret, suo arbitrio punire et hoc cum plena uel semiplena probatione.

Die suprascripto in dictis reformationibus.

CAP. XLIX. CONTRA FALSARIOS SCRIPTURARUM.

Captum fuit, quod dominus comes cum iudicibus habeat plenum arbitrium ac liberum inquirendi quomodocumque et qualitercumque eis uidebitur contra falsificantes testamenta et alias quoscumque scripturas, tam communis, quam specialium personarum et culpabiles eorum arbitrio punire. Et hoc extendatur tam ad preterita, quam ad futura.

CAP. L. CAPITULUM DICTORUM SUPRASTANTIUM[1].

Captum fuit primo[2], quod qui electus fuerit superstans, non possit refutare sub pena soldorum x grossorum et eundi usque Yaderam ad Corzulam.

Item, quod teneatur et debeat esse super custodiam ciuitatis et ad alia negocia communis facienda, que fuerint necessaria et ad eius officium pertineantur.

Item, quod in introitu sui officij fiant tres quaterni expensis communis, in quibus scribere debent omnia capitula et omnes homines ciuitatis Spalati, quornm quaternorum unum teneat dominus comes, uel eius socius, alium teneat unus ex iudicibus ita, quod quilibet iudicum suo mense teneat quaternum et tercium teneat officialis predictus et cum fuerit necesse, quod custodes, qui facere debent custodiam ciuitatis, debeant scribi quolibet mense per dictum officialem in presentia domini comitis et illius iudicis, qui tenerit quaternum suprascriptum; et sic ordinate scribere debeant omnes illos, qui debeant facere custodiam illius mensis, ita, quod nullus grauetur plus altero. Qui officialis teneatur uinculo sacramenti et pena et banno soldorum xx^{ti} pro qualibet uice omni sero ire cum familiaribus domini comitis ad ponendum custodias et ipsos custodes

[1] Cod. Chiud.: „De superstantibus“. [2] Deest in cod. Chiud.

requirendum, si reperirentur ad custodiam, secundum quod fuerint ordinati. Et omnia alia facere debeat dictus officialis, secundum quod tenetur per formam statuti sub rubrica de custodia ciuitatis.

Item[1], quod dictus officialis non possit ire nec debeat aliquem custodem extrahere de custodia pro se.

Item, quod non possit, nec debeat aliquem conducere gratis ad aliquod suum laborerium, uel ad aliquam angariam faciendam in fraudem sui officij, uel dictę custodię sub pęna soldorum centum pro qualibet uice. Et si contrafecerit, quod quilibet possit ipsum accusare et dnnuntiare et habeat medietatem banni et teneatur de credencia. Et dictus officialis bene, solicite et legaliter faciat dictum suum officium et habeat pro uno anno de suo salario ducatos xv de auro.

Item, quod riuarij, qui consueuerant extrahere omni mense unum custodem de custodia, quod amodo deinceps nullum habeant extrahere; et quod ob hoc addatur eis et cuilibet eorum salarium soldorum triginta in anno.

Millesimo ccclxxij. die nono februarii captum fuit, quod qui fuerit superstans, non possit eligi ad aliud officium, nec habere[2]; et si electus fuerit, non possit acceptare sub pęna librarum x paruorum et quilibet elegerit ipsum, cadat ad pęnam soldorum xl^{ta}.

CAP. LI. DE NOMINE PONENDO IN CITATIONE.

Millesimo ccclj. die xxij. madij, tempore suprascripto captum fuit, quod in citationibus ciuilibus debeat apponi nomen et cognomen citati et citantis seu citari facientis. Et si fuerit alieno nomine, ut puta commissario, tutorio, procuratorio uel alio quouis nomine alieno[3], poni nomen, cuius nomine citatur et citari facit. Et petitio fiat tantummodo contra citatum, in qua ponatur causa, qua petitur.

CAP. LII. DE MILIO EMENDO.

Captum et reformatum fuit, quod amodo deinceps quilibet comes, qui directo uenerit ad regimen Spalati, teneatur et debeat omni anno, dum fuerit ad dictum regimen, emere seu emi facere de habere communis modios quinquaginta milij, quod saluetur in commune ita, quod cum fuerit empta tanta quantitas dicti milij per

---

[1] Cod. Chiud.: „ita“. [2] „Nec habere“ ibid. [3] Cod. acad. B et cod. Chiud.: „alio quouis modo“.

comites, quę sit modiorum ducentorum milij, saluetur per commune Spalati. Et cum uidebitur renouare aliquam partem, possit renouare ita tamen, quod nullo tempore deficiat in commune, nec sit minor quantitas modiorum cc^{orum} pro munitione tocius ciuitatis, quod si casus euenerit (quod absit), quod fames seu caristia bladi emergetur in commune, recursum habeat ad milium supradictum. Quod comites prędicti teneantur uinculo sacramenti ducere ad effectum et iudices, qui pro tempore fuerint, teneantur recordare domini comiti.

CAP. LIII. DE TERRIS PASTINANDIS.

Millesimo ccclxiiij. die xij. madij in reformationibus Francisci de Bononia in quaterno signato ·A·F· captum fuit, quod qui acceperit terram ad pastinandum, unum uel duos uel plures uretenos annuatim pastinare debeat iuxta promissionem, sub pęna soldorum xl paruorum pro ureteno non pastinato, quorum medietas ueniat communi, reliqua domino terrę et addatur in statutis.

CAP. LIV. ORDO SUPER PREDICTIS[1].

Millesimo ccclxxxiiij, die undecima octobris, in reformationibus[2] mei cancellarij captum fuit, quod eligeretur[3] unus officialis, qui salem uenderet modis infrascriptis.

Et primo, qui receperit salem et blada communis et ipsum sal uenderet ciuibus et districtualibus Spalati pro soldis tribus mensuram quamlibet et quod habeat pro suo salario in anno libras xxiiij paruorum et quod mensuret et mensurare teneatur et debeat iuste. Et quod regimen Spalati sępe uideat et uidere teneatur et debeat, si habebit iustas mensuras et si repertus fuerit habere falsam mensuram, ipso facto sit priuatus et priuatus esse intelligatur pro quinque annis omnibus officijs et beneficijs communis Spalati; ita quod dare debeat unicuique ciui et districtuali Spalati tantum salis, quantum sit uerisimile ipsum posse uti pro usu suo et non plus sub pęna soldorum xx^{ti} pro quolibet modio.

Item, quod non possit neque debeat de dicto sale alicui forensi uendere sub pęna librarum xxv paruorum pro qualibet uice. Et quod nullus ciuis sub eadem pęna audeat, possit, uel pręsumat emere de dicto sale pro aliquo forense et quilibet in prędictis casibus possit accusare et habeat medietatem condemnationis.

---

[1] Cod. Chiud.: „Salis ordo super infrascriptis". [2] Cod. acad. B „reformatione". [3] ibid.: „eligatur".

Item, quod ad omnem requisitionem regiminis dare teneatur et debeat dictum extractum de sale uendito.

Hoc modo electus fuit ser. Nicola Mazolich sine ullo callo ad[1] sal nouum.

CAP. LV. DE EODEM.

Mccclxxxiiij. die decimo iulij ser. Doymus Hyeremię electus pro uno anno cum conditione suprascripta. Et quod de sale ueteri, quem receperit suprascriptus ser. Nicola, nihil habeat de challo, de sale uero, quod receperit et uendiderit et communi assignauerit habeat de challo quinque pro centenario.

CAP. LVI. DE SAUORNA NON PROIJCIENDA[2] IN PORTU.

Item captum fuit, quod nullus proijciat lapides, sauornam uel alias res, quę portui nocerent, in portu dictę ciuitatis et mari sub pęna librarum x paruorum uice qualibet et nihilominus ad extrahendum res proijectas efficaciter compellatur[3].

CAP. LVII. DE LETAMINE NON TENENDO.

Item nullus ponat, nec teneat lętamen seu fimum, uel sordes et immundicias, uel res nociuas super portu ut supra sub pęna librarum quinque pro quolibet et qualibet uice. Et quod nihilominus compellatur per procuratorem portus cum pęna extrahere et exportare res prędictas.

CAP. LVIII. DE NAUIGIJS NON DIMITTENDIS IN TERRA SUPER PORTU.

Item captum fuit, quod procurator portus compellat per pęnas et banna omnes et singulos dominos barcharum et nauigiorum, quod eas et ea tirant in terram super portu prędicto, quatenus eas infra terminum competentem aut[4] reparent, aut destruant et exportent de portu prędicto. Et si uero aliqua barca[5] uel nauigium aliquod manserit in portu prędicto per unum annum continuum, tunc ipso facto deueniat in commune et eius communis Spalati plenum dominium.

---

[1] Cod. acad. B: „usque ad". [2] Cod. Chiud.: „percipienda". [3] Cod. acad. A: „compellantur". [4] ibid.: „quod aut". [5] Deest ibid.

CAP. LIX. DE PENIS IMPONENDIS PER PROCURATORES PORTUS.

Item captum fuit, quod procuratores portus in omnibus rebus pertinentibus ad reparationem dicti portus, uel ad eius conseruationem et tuicionem possint pręcepta facere et pęnam imponere usque libras quinque paruorum et ipsas pęnas exigere auctoritate pręsentis bandimenti; quę pęnę deueniant in commune Spalati.

CAP. LX. QUOD QUILIBET POSSIT ACCUSARE[1].

Item captum fuit, quod in omnibus casibus suprascriptis cuilibet liceat accusare uel denuntiare et habeat medietatem pęnę.

CAP. LXI. DE INTROITIBUS PORTUS ET NON SCRIBENDIS[2].

Item captum fuit, quod omnes introitus et expensę dicti portus dicti procuratores faciant per notarium scribentem rationes camerariorum communis in uno quaterno et omnes expensas faciant per bulletas, alioquin eorum ratio non recipiatur. Et ad omnem requisitionem domini comitis et iudicum teneantur de receptis et habitis claram reddere rationem.

Item[3] captum est, quod in omnibus causis et quęstionibus portus prędicti de omnibus pecunijs et rebus distribuendis in dicto portu rector et[4] iudices et offitiales prędicti communis ad omnem requisitionem prędictorum procuratorum portus procedere debeant, secundum quod in alijs causis et quęstionibus communis Spalati proceditur.

Item captum fuit, quod procuratores dicti portus possint et debeant petere, recuperare et exigere ac recipere omnes pecunias et res distribuendas in dicto portu et quę[5] pertinent ad ipsum et de omni eo, quod exigerent, habeant et habere debeant soldos duos pro qualibet libra denariorum, uidelicet a soluente, si infra tres dies a die, qua dicti procuratores uel alter eorum petierit a dicto debente pręsentibus duobus testibus, non soluerit, quod tenebatur, sed soluat[6] post dictos tres dies dictę requisitionis et citatus fuerit ad petitionem dictorum procuratorum,

---

[1] Capitulum hoc deest in cod. Chiud. [2] ibid.: „De introitu portus scribendo Cap. LX“. [3] In cod. Chiud. incipit hic loco novum capitulum: „De quęstionibus cognoscendis. Cap. LXI“ inscriptum. [4] Deest in cod. acad. B et Chiud. [5] Deest in cod. acad. A. [6] ibid.: „soluta“.

dictos duos soldos pro qualibet libra dictę quantitatis, quam soluerit seu soluere uoluerit, soluere teneatur et debeat dictis procuratoribus.

CAP. LXII. DE PECUNIA EXPENDENDA IN PORTU.

Item captum fuit, quod pecuniam distribuendam in dicto portu non liceat expendere in alijs necessitatibus communis.

CAP. LXIII. DE LAPIDIBUS CONDUCENDIS.

Item captum fuit, quod ad omne mandatum procuratorum portus quęlibet barcha et quodlibet nauigium ciuium uel habitatorum Spalati portetur onerata seu oneratum lapidibus magnis, aptis ad operam portus cum adiuuamine manualium, qui nauigent quodlibet nauigium prędictorum. Et ipsi lapides proijciantur in reparationem dicti portus, ubi dicti procuratores eis mandauerint, seu ordinauerint.

CAP. LXIV. QUI HABENT BOUES UENIANT AD LABORANDUM.

Item captum fuit, quod similiter ad omne mandatum dictorum procuratorum omnes habentes boues aratorios in ciuitate uel campo Spalati ueniant cum bobus eorum ad ordinem semel absque solutione, cum eis fuerit ordinatum per dictos procuratores et etiam pluribus uicibus, quotiens fuerit oportunum mediante salario condecenti.

CAP. LXV DE AQUIS CONDUCTIS UERSUS PORTAM ROME[1].

Item captum fuit, quod equarum pluuialium, quę fluunt de campo uersus ciuitatem, prępareturcursus extra ciuitatem uersus portam uouam et uersus portam de Roma.

CAP. LXVI. QUOD PORTUS CAUETUR.

Item molus, qui est in portu, prolongetur passibus xx[ti] uel circa[2].
Item, quod dictus portus cauetur arbitrio dictorum procuratorum et secundum quod eis uidebitur expedire.

---

[1] Cod. acad. B et Chiud.: „Romanam". [2] Prima haec alinea capituli LXVI. in cod. Chiud. uti separatum capitulum verbis: „De molo aptando. Cap. LXVI." inscribitur; alinea uero secunda capitulum LXVII. inscriptione totius capituli editionis nostrae inscriptum facit.

CAP. LXVII. DE STATIONIBUS NON APERIENDIS.

Millesimo ccclviij. die xv. februarij, in quaterno signato ·B· captum et reformatum fuit, quod[1] in statuto poneretur ad honorem omnipotentis Dei et sanctorum sanctarumque eius, quod nullus ciuis uel forensis, qui habitat in ciuitate Spalati audeat uel pręsumat in diebus dominicis, in festo natiuitatis, festiuitatibus quatuor beatę uirginis Marię et sanctorum xij apostolorum tenere apertas stationes merchatorum, calegarium, aut aliorum artificum, uel uendere aliquid, seu aliquam merchanciam aut aliquod laborerium artificiale facere uel laborare in campo in aliquo festo prędictorum sub pęna librarum v paruorum pro quolibet contrafaciente. Et quilibet possit accusare et habeat medietatem pęnę et teneatur de credencia.

CAP. LXVIII. DE SCRIPTURIS UEL NOTIS RELEUANDIS.

Millesimo ccclix. die xix. iulij in quaterneto grosso Albertoli captum fuit, quod notarij iurati communis Spalati, qui pro tempore fuerint, possint et ualeant exemplare et in publicam formam releuare quęcumque instrumenta et acta fuerint exemplanda et releuanda quibuscumque et quandocumque expedierit a notis et prothocolis tam notariorum prętеritorum, quam pręsentium et futurorum, qui nunc sunt et in futurum erunt in camera dicti communis, abbreuiaturas distinguendo secundum tenorem similium instrumentorum distinctorum a dictis notarijs a quorum notis releuarentur clausulas obmissas et in instrumento apponendo secundum quod reperierint in alijs instrumentis similibus distinctis a dictis notarijs.

CAP. LXIX. DE TERRIS PASTINANDIS SINE LICENTIA DOMINI COMITIS[2].

Eodem tempore et libro Albertholi, die primo augusti captum fuit, quod nulla terra a Vissocha a sancta Maria de Zgnano citra et ab eodem citra de cetero pastinari non possit, exceptis illis, quę inceptę sunt pastinari et saluo, quod si ex eis terrenis esset aliqua terra, quę non esset pro blado, possit pastinari cum licentia domini comitis seu eius uicarij et iudicum suę curię. Et priusquam det licentiam illam, sub uinculo sacramenti eligant duos nobiles cognoscentes illas terras, quos mittant ad uidendum eas et ab eis habuerint relationem, quod non sint pro blado. Et quod nullus

[1] Cod. acad. A: „et quod“. [2] „Domini comitis“ deest in cod. Chiud.

notarius suo uinculo sacramenti debeat scribere aliquod instrumentum de dictis pastinis dictarum terrarum, nisi personali licentia habita domini comitis seu eius uicarij et iudicum dictę ciuitatis. Et quod quicŭmque de cetero dederit ad pastinandum uel pastinauerit, aliter quam ut pręmittitur in dictis terris, cadat in pęnam librarum xxv pro quolibet eorum, quarum medietas sit communis et alia accusatoris. Et quilibet possit accusare. Et hęc reformatio ponatur in statutis et pro statuto obseruetur.

CAP. LXX. QUOD PROPOSITE FIANT DE UOLUNTATE DUARUM PARTIUM IUDICUM ET CONSILIARIORUM.

Millesimo ccclxvij, die primo aprilis in libro magno dicti Albertholi captum fuit, quod aliqua peticio, quę fieret per aliquem, non possit proponi in generali consilio, nisi cum uoluntate adminus duarum partium iudicum et consiliariorum, qui debent propositis interesse et si secus fecerit, non ualeat, nec teneat ipsa proposita, nec aliquid, quod super illa fuerit arrengatum, uel reformatum aut ordinatum.

CAP. LXXI. QUOD NULLUS COMPAREAT NOMINE ALICUIUS, NISI SIT PROCURATOR UEL ADUOCATUS[1].

Die suprascripto captum fuit, quod nullus compareat in iudicio pro aliquo tamquam procurator uel aduocatus alicuius, nisi sit ad hoc legitime constitutus, sub pęna librarum xxv paruorum, quę perueniat in commune prędictum et sub refectione expensarum parti aduersę et hoc qualibet uice. Et quod curia sub uinculo sacramenti teneatur exigere dictam pęnam.

CAP. LXXII. DE ETATE EXAMINATORUM.

Millesimo ccclxvj. die xx. aprilis in reformationibus Francisci de Bononia captum et consultum fuit, quod instrumenta examinata per examinatores minores xxx^ta^ annis sint firma et uiciari non possint et quod de cetero examinatores xxv annis possint eligi et exercere officium et sedere ad sententias quando fuerit opportunum aliquo statuto non obstante.

---

[1] Cod. Chiud.: „Quod nullus, qui non sit, compareat procurator nomine alicuius, uel aduocatus". Cod. acad. A habet glossam marg.: „Hicque est iudicandus ut habetur libro iij. cap. xcix. sub rubrica: De his, qui etc."

CAP. LXXIII. DE DISCIPULIS TENENDIS.

Millesimo ccclxvij. die xxvij decembris in quaterno grosso reformationum Albertholi, ubi est istud signum ·A·, captum fuit, quod quilibet artifex infra unum mensem deberet habere unum discipulum adminus in sua arte sub pęna librarum decem paruorum et ea pęna soluta, nihilominus teneatur infra alium mensem habere alium discipulum sub eadem pęna et mense singulo, quo steterit sine discipulo. Et quilibet possit accusare et habeat dimidiam pęnę, aliam commune. Et si quis se excusaret, cognitio excusationis remaneat dicto domino comiti et suę curię.

CAP. LXXIV. QUOD CURIA SEDEAT DUOBUS DIEBUS IN EBDOMADA.

Eodem tempore et libro, die xvj. octobris captum fuit, quod de cetero duobus diebus ebdomadę, uidelicet diebus Martis et Veneris curia ciuitatis Spalati sedere debeat ad causas examinandas et decidendas et quod ipse dominus comes, uel eius uicarius debeat ipsam curiam uinculo sacramenti conuenire et congregare sono campanę, ut moris est, Et quicunque de curia non uenerit ante finem pulsationis ipsius campanę congrue pulsatę ad conuocationem prędictam, cadat in pęnam soldorum xx^{ti} irremissionabiliter qualibet uice, ad quam exigendam teneatur ipse prędfatus dominus comes, seu eius uicarius infra duos dies, alioquin soluat de suo, nisi talis non ueniens habuerit excusationem legitimam ex aliqua causarum contentarum in statuto ciuitatis Spalati: saluo, quod si dictis diebus Martis et Veneris essent festiuitates, propter quas secundum statutum seu consuetudines dictę ciuitatis non deberent iura reddi, aut aliqua ardua negocia dicti communis incumberent, non teneatur ipse dominus comes seu eius uicarius dictam curiam conuocare ut supra.

Item captum fuit, quod liceat ipsi domino comiti, seu eius uicario dictam curiam conuocare et congregare quolibet alio die, quandocumque sibi uidebitur necesse; sed tunc non incidant illi de curia pęnam prędictam, nisi citati fuerint ad hoc de secundo[1].

CAP. LXXV. DE COMERCIO.

Millesimo ccc. die septimo marcij, in reformationibus Angeli de Fabriano captum fuit, quod comercium uenderetur et uenditum fuit conditionibus infrascriptis, uidelicet, quod ubi soluebatur denarius unus pro libra, denarius unus pro galeta uini, soluantur duo et pro arboratico iuxta solitum.

[1] Cod. Chiud.: „suprascripto“.

CAP. LXXVI. DE EODEM.

Item captum fuit, quod unusquisque possit ponderare ad ballantiam cum ballantia tantum ipsius comercij usque ad xxv libras ponderis.

Millesimo ccclxxij. die primo marcij, in reformationibus prędictis captum et[1] uenditum fuit more solito cum conditione, quod pro arboratico nihil acciperetur Segnensibus et Anchonitanis, quia nihil accipiunt Spalatinis.

CAP. LXXVII. QUOD CONDUCTOR NON PONDERET RES PER EUM EMPTAS.

Item captum fuit, quod si conductor comercij emerit aliquas merchantias, uel partem habebit in aliquibus rebus et mercantijs emptis, non possit, neque ualeat eas res et mercantias ponderare per se, nec per alium eius socium, habentem partem in eis, sub pęna librarum xxv pro qualibet uice, de qua pęna accusator habeat medietatem, si accusator fuerit et aliam medietatem commune; et si accusator non fuerit, tota sit communis et rector exigere teneatur ipsam pęnam et ad introitum communis poni facere.

CAP. LXXVIII. QUOD NON SOLUATUR COMERCIUM PRO LIGNAMINE CONDUCTO PRO SUO[2] USU.

Millesimo cccxlvij. die iiij. iulij in reformationibus domini Johannis Gradenico super declaratione statuto comercij captum fuit, quod portantes et conducentes lignamina et petram coctam pro usu et laborerio proprio, non teneantur ad aliquam solutionem comercij.

Et hoc ponatur in statutis et pro statuto obseruetur.

CAP. LXXIX. ORDO LIBRI MAGNI.

Millesimo ccclxx. die primo decembris in reformationibus Angeli de Fabriano captum est, quod fiat unus liber magnus, in quo pecunię communis, antequam expendantur, scribantur et simili modo introitus communis ita, quod omnes rationes introituum et exitus dicti communis scribantur in dicto quaterno, ut ipsę rationes clare et lucide reperiantur et uideantur et nemo possit aliquid dare uel recipere de bonis et pecunijs dictę communis, nisi primo scribantur in dicto libro.

Et hoc de introitibus et expensis ordinarijs intelligatur.

---

[1] Deest in cod. acad. A. [2] Cod. Chiud.: „proprio“.

Item captum fuit, quod camerarij camerę habeant quaternos suos more solito et in fine trium mensium eorum officij summa introitus et exitus dictę camerę scribatur in dicto libro, ut rationes semper lucide et clare appareant. Et si aliter fieret, non ualeat.

Qui liber magnus tunc debeat esse apud rectorem uel eius uicarium.

CAP. LXXX. DE BONIS COMMUNIS EXIGENDIS.

Die suprascripto captum est, quod dominus comes uel eius uicarius et iudices, uel maior pars eorum possit summarie exigere et in commune deuenire facere omnia et singula debita, pecunias et res debitas dicto communi a quibuscunque personis ex quacunque de causa. Et ipsi comes uel uicarius et iudices possint pęnas iustas imponere et exigere et exceptionibus et oppositionibus friuolis nequaquam obstantibus. Et si quis senserit se grauatum indebite, possit appellare et recurrere ad curiam ex tunc existentem pro communi Spalati et quicquid per dictam curiam fuerit terminatum et mandatum, debeat effectualiter obseruari exceptione aliqua in contrarium non obstante. Et dicta curia, uel maior pars debeat facere executionem sub pęna x librarum paruorum pro quolibet.

CAP. LXXXI. ORDO DIUISIONIS UILLARUM.

Mccclxiiij. die xxv^{to} aprilis, in reformationibus Francisci de Bononia, in quaterno signato ·J·F· captum fuit, quod quilibet pater familias habeat unam partem; et si plures sunt fratres in una domo, habeat quilibet partem unam; filius familias mediam partem; minor xiiij annis quartam partem partis unius, prout fecerunt Ragusini.

Item, quod nullus possit uendere suam partem, nec dimittere, nisi suis heredibus masculis. Et si habuerit filias feminas et non masculos, quod possit partem dare cum filia, si nupserit ciui Spalati. Et si accideret aliquem mori sine heredibus legitimis, quod consanguinei decedentium usque in quartum gradum succedant, antequam eius pars applicetur communi Spalati.

Et nihilominus quatuor nobiles, qui eligantur in pręsenti consilio, uideant et examinent pręsens factum ad hoc, ut fiat diuisio iuridice inter nobiles de Spalato. Et si quis emerit aliquam terram de ipsis terris uillarum, quod eidem restiuatur pręcium, pro quo emit, ostendendo clare per instrumentum, et ipsa terra deueniat in commune et diuidatur.

CAP. LXXXII. PACTA ET CONDITIONES MOLENDINORUM SALONE.

Millessimo ccclxiij. die primo ianuarij in reformationibus Francisci de Bononia, in quaterno signato ·J·F· captum fuit, quod ipse emptor debeat accipere a mazinare uolentibus granum et bladum in ipsis molendinis de xij unum.

Item, quod de stuppis siue gualquatijs ipse emptor debeat accipere terciam partem lucri pannorum, qui follabuntur in ipsis.

Item, quod commune Spalati debeat defendere et excalumniare in ipsis molendinis ab exercitu et caualcata habentibus uexillum. Et si exercitus esset, propter quem non posset ipse emptor macinare in ipsis molendinis, quod sibi scomputentur illi dies, quibus non potuerit macinare occasione talis exercitus, uidelicet diem pro die pro rata uenditus ipsorum molendinorum.

CAP. LXXXIII. DE EODEM[1].

Millessimo ccclxx. die xvii^a^ februarij in reformationibus Angeli de Fabriano captum fuit[2], quod molendina prędicta cum fullis uenderentur et uendita fuerint cum conditione infrascripta, uidelicet, quod dictum commune teneatur soluere molas, coperire domos et reparare pontes expensis communis. Et dictus emptor teneatur dictas expensas facere pro communi et postea computentur sibi in solutione pręcij.

Item, quod dictus emptor teneatur et debeat facere et soluere de suo omnes alias expensas ad dicta molendina necessarias et occurrentes.

CAP. LXXXIV. ORDO SUPER NAUIGIJS ONERANDIS.

Millesimo ccclxxxiij. die xxix. nouembris in meis reformationibus captum fuit, quod eligerentur tres nobiles, sine quorum, uel duorum ex eis licentia, uel unius eorum, si alij duo abessent a ciuitate Spalati nullum nauigium audeat, neque prę̨sumat recedere de portu Spalati sub pę̨na librarum centum paruorum pro quolibet. Et quod ipsi non debeant licentiare aliquod nauigium cargatum ultra debitum. Debitum autem intelligatur, quod cathenę̨ nauigij, ubi sint super aquam per medium pedem adminus; et si uideretur eis, quod esset nauigium, quod requireretur magis nautę̨, faciant secundum eorum conscienciam non dimittendo minus medio pede.

Et hoc de nauigijs intelligatur transfretantibus mare.

[1] Inscriptio deest in cod. acad. A et B. [2] Deest in cod. acad. A.

CAP. LXXXV. QUOD ADUOCATI COMMUNIS DIFFINIANT QUESTIONES INCOATAS

Millesimo ccclxvj. die iiij^{ta} iunij, in reformationibus Francisci de Bononia captum fuit, quod aduocati communis teneantur et debeant omnes quęstiones per eos inceptas usque ad diffinitiuas sententias prosequi et si essent negligentes in prosequendo ipsas quęstiones et ex eorum negligentia sustineret commune damnum aliquod de ipsis causis, quod ipsi aduocati soluant ipsi communi illud damnum, quod ipsum commune sustineret ex eorum negligencia.

CAP. LXXXVI. DE CURIA CONGREGANDA AD PETICIONEM SYNDICORUM[1].

Millesimo ccclxxj. die viij. nouembris in reformationibus captum fuit, quod cum aliqua quęstio uentiletur[2] intra syndicos nomine communis et aliquas speciales personas et per syndicos requisita fuerit curia a iudicibus, qui se congregari debeant pro ipsa quęstione audiri et definienda, quod iudices, qui pro tempore fuerint, uinculo sacramenti et pęna et banno librarum x pro quolibet iudice et consiliario debeant se congregare et audire et diffinire ipsas tales quęstiones, saluo impedimento infirmitatis et absque quando essent ad uiagium.

CAP. LXXXVII. DE SOLUTIONE NOTARIJ.

Millesimo ccclxxij. die xxviij. octobris, in reformationibus ser. Montis captum fuit, quod notarij, qui sunt, accipiant suas solutiones instrumentorum et aliarum scripturarum secundum statuta; et quia plures sunt scripturę, quę non sunt taxatę, taxentur per dominum comitem et eius curiam et hęc taxatio ostendatur notarijs. Et notarius, qui dixerit, se nolle stare illis taxationibus, liceat sibi prouidere de alio officio et communi de alio notario; et qui dixerit uelle stare, teneatur obseruare sub pęna quarti pluris salarij et solutionis dicti notarij.

Et idem alijs offitialibus et ponatur in statuto.

CAP. LXXXVIII. QUOD CONSILIUM CREDENTIE CONGREGETUR.

Millesimo ccclxxiij. die xxiij. nouembris in reformationibus Petri de Sarzan captum fuit, quod cum necesse fuerit congregare consilium credentię, quod quilibet de consilio credentię teneatur con-

[1] Cod. Chiud.: „syndici communis". [2] Cod. acad. A: „uentilauerit".

gregari in palatio, antequam campana esset congrue pulsata sub pęna soldorum uiginti pro quolibet. Et comes seu rector uinculo sacramenti exigat pęnam ipsam.

CAP. LXXXIX. DE SERUIS NON UENDENDIS.

Dicto die captum fuit, quod nulla persona, ciuis, habitator, uel forensis, cuiuscunque conditionis existat, possit, audeat, neque pręsumat in ciuitate uel in districtu Spalati aliquem seruum uel seruam per mare, uel per terram emere uel uendere, alienare, portare, conducere seu mittere extra ciuitatem Spalati sub pęna librarum centum paruorum, cuius pęnę medietas sit communis et alia accusatoris et quilibet possit accusare et seruus talis illico liber sit. Et qui portauerit uel extraxerit, perdat barcham, super qua esset seruus talis. Et quod nullus ex notarijs communis audeat sub uinculo sacramenti facere instrumentum emptori uel uenditori seu alienationi alicuius serui uel seruę. Et ad eandem pęnam teneatur examinator. Saluo, quod liceat cuilibet ciui Spalati emere a forense tam seruum, uel seruam pro suo usu, non possendo uendere uel alienare alicui ciui uel forensi, nec mittere extra ciuitatem et districtum Spalati.

CAP. XC. DE PUERIS PONENDIS AD ARTEM.

Millesimo ccclxxviij. die xxviij. augusti in reformationibus Johannis de Casulis captum est, quod eligantur duo nobiles de anno in annum, qui habeant libertatem pręcipiendi patribus puerorum et eorum attinentibus, ut eos ponant cum magistris artium et magistris, ut recipiant et[1] imponatur[2] pęna[3] librarum xxv pro quolibet, qui seruare contempserit eorum mandata. Et ipsi nobiles dictos contrafacientes accusare et denuntiare teneantur et addatur in statuto.

CAP. XCI. DE ARMIS NON EXTRAHENDIS.

Millesimo ccclxxix. die ix^a octobris, in reformationibus domini Johannis captum fuit, quod nulla persona cuiuscunque conditionis existat, ciuis uel habitator Spalati, audeat uendere forensibus arma offensibilia, uel defensibilia, pręter cultelum[4] sub pęna librarum quinquaginta et in ammissione armorum.

---

[1] Cod. acad. A: „tum“. [2] Cod. acad. B et Chiud.: „imponant“. [3] Deest in cod. acad. A. [4] Cod. acad. B et Chiud.: „cautelam“.

CAP. XCII. DE EODEM.

Item, quod nullus forensis, ciuis, uel habitator audeat extrahere de Spalato aliquid prędictorum armorum sub pęna librarum x paruorum.

CAP. XCIII. DE PANCOGOLIS.

Millesimo ccclxxvj. die xvj. marcij, in reformationibus Ganori captum fuit, quod quilibet pancogola uellens facere panem ad uendendum in ciuitate Spalati, hinc ad x dies proximos compareat coram uicario et iudice Spalati et se scribi faciat et quod detur eis ordo tenendus ad faciendum et uendendum panem; qui contrafecerit, qualibet uice condemnetur in libris x paruorum et in ammissione panis.

Et ad bonam informationem pro utilitate publica dominus uicarius et iudices faciant fieri unum starium panis, ut uideant quantitatem panis, quę fit de uno stario.

Et de hoc fiat grida publica.

CAP. XCIV. DE BULLETIS SUBSCRIBENDIS.

Millesimo ccclxxvij. die xij. aprilis, in reformationibus Ganori captum fuit, quod omnes bulletę, quę fierent additę alterius partis cum consensu duorum iudicum, bullentur per comitem seu uicarium et subscribantur per duos iudices adminus. Et si camerarius reciperet aliquam bulletam non factam modo suprascripto, non ponatur, neque scribatur ad sui rationem, nec ualeat ipsa bulleta. Et quod de aliqua bulleta nulla persona faciat solutionem pręterquam camerarius et si fecerit, non ponatur ad eius rationem.

CAP. XCV. QUOD SCOLIA SOLTE NON UENDANTUR.

Millesimo ccclxxvij. die ultimo madij, in reformationibus Ganori captum fuit, quod emptor Soltę non possit modo aliquo uel ingenio uendere alicui personę insulas paruas seu scolya contigua insulę Soltę, sed remaneant et remanere debeant pro pascuis uillanis habitantibus super insula Soltę.

CAP. XCVI. DE REFORMATIONIBUS COMPILLANDIS.

Millesimo ccclxxxij. die xij. marcij, in reformationibus Ganori captum fuit, quod domini uice comes cum iudicibus et quatuor nobilibus in pręsenti consilio eligendis habeant arbitrium intrandi

cameram communis, ubi sunt scripturę et inuenire omnes reformationes, quę tangunt publicam utilitatem in omnibus occurrentibus negotijs, quę reducantur in scriptis per eosdem deinde ad consilium generale et quidquid per ipsum consilium factum fuerit, illud habeat roboris firmitatem et debeat fieri per dictos dominum uicecomitem, iudices et alios nobiles eligendos hinc ad festum sancti Domnij proxime futuri sub pęna librarum cc^{arum} pro quolibet.

Hi electi sunt ad prędicta: ser. Theodosius Leonis, ser. Bilscia Cypriani, ser. Thomas Dobroli, ser. Zancius Domnij.

CAP. XCVII. DE CLAUIBUS CIUITATIS.

Millesimo ccclxxxiiij. die xviij. aprilis, in reformationibus meis in consilio credentię auctoritate maioris consilij captum fuit et reformatum, quod iudices, qui sunt et per tempora erunt in futurum, continuis temporibus tenere debeant claues terrę et carcerum, uidelicet quilibet eorum mense uno, incipiendo a seniore et sic per ordinem maioris ętatis procedendo. Et quod eligatur unus nobilis in consilio credencię pro uno mense et sic de mense in mensem eligatur unus nobilis per consilium credencię, quod est et per tempora erit; qui nobilis sic electus teneatur et debeat omni die de mane ire ad domum iudicum, qui habebunt claues ipsas et accipere claues terrę et ire ad aperiendum portas et de sero claudere portas ipsas terrę et ipsis portis clausis portare dictas claues ad domum dicti iudicis et sic omni die; et idem de clauibus carcerum, quod omni mane ire debeat ad domum dicti iudicis et accipere claues carcerum et de sero restituere et reportare ad domum dicti iudicis ut supra dictum est de clauibus terrę; et aperire et claudere debeat carceres tociens, quociens fuerit opportunum. Qui habeat omni mense de salario libras quatuor paruorum et introitum carcerum.

Et quod hęc reformatio ponatur in uolumine statutorum et perpetuo pro statuto obseruetur.

CAP. XCVIII. DE FALSIS MONETIS INCIDENDIS.

Millesimo ccclxxxiiij. die primo octobris in reformationibus meis in consilio credentię auctoritate generalis consilij captum fuit, quod pro uno eligerentur in officio quatuor nobiles, qui sint cognitores et terminatores de bona moneta et mala et qui incidant et incidere debeant omnes monetas, quas falsas inuenerint; et habeant pro eorum pręmio a quolibet ciue Spalati et forensibus uenientibus

per mare paruum unum pro uno quoque soldo, quem eis inuenerint non bonum et falsum. Et incidant forensibus uenientibus de infra terram et[1] incidere debeant monetas, quas eis falsas et non bonas reperierint, sed ab eis non debeant habere pręcium prędictum.

CAP. XCIX. QUOD CIUES ET[2] HABITANTES[3] SPALATI[4] ET EIUS[5] DISTRICTUS[6] SE POSSINT DEFENDERE AB INUASORIBUS.

Millesimo ccclxxxiiij. die iiij. octobris captum fuit et reformatum, addendo statuto, posito libro, capitulo sub rubrica, quod primo secundum ipsum statutum reformatur et proclametur, quod si amodo in antea forenses aliqui uenerint in districtum Spalati ad prędandum uel offendendum aliquem nostrum ciuem uel habitatorem aut districtualem, et ille, qui prędaretur aut offenderetur clamando quoquomodo implorauerit auxilium, quod omnes audientes eum sic clamantem et auxilium implorantem teneantur et debeant ire ad succurrendum et iuuandum illos tales, qui prędarentur aut offenderentur sub pęna librarum x pro quolibet audiente et non eunte; et quod illi tales, qui prędarentur aut offenderentur possint et ualeant se defendere et illi accedentes ad succurrendum iuuare illos tales, qui prędarentur aut offenderentur, aut quos prędari uellent et offendere tales forenses. Et si in prędictis per aliquem dictorum nostrorum se defendentium, succurrentium et iuuantium committatur homicidium, aut alia offensio in personis et rebus talium prędonum[7] et offensorum, ad aliquam pęnam realam, neque personalem minime teneantur. Et si alicui dictorum nostrorum inferretur aliquod damnum et tunc se non defenderet et tutaret aut quia non posset, aut quia forte abesset, quod impune possit et ualeat se uindicare.

Et quod omnes ciues, populares, habitatores et districtuales nostri a decemseptem annis supra et sexaginta infra secum portare arma et cum armis ire teneantur et debeant, quando uadunt ad foras ad laborandum, uel aliud faciendum, sub pęna soldorum xl^{ta} paruorum pro quolibet eunte sine armis.

Et hęc ponatur in uolumine statutorum et pro statutis obseruetur[8] a die suprascripto[9].

---

[1] Deest in cod. acad. A. [2] Deest in cod. Chiud. [3] ibid.: „habitatores". [4] Deest ibid. [5] Deest ibid. [6] ibid.: „districtuales". [7] Cod. acad. A: „prędictorum". [8] Cod. Chiud.: „pro statuto habeatur". [9] ibid. desunt haec verba.

CAP. C. DE LIBERTATE DATA IUDICIBUS.

Captum fuit, quod in quęstionibus, in quibus rector sedere non potest, quod iudices, qui se reperiunt posse sedere ad banchum, habeant eam plenam potestatem, quam haberet ipse rector cum iudicibus, nullo statuto obstante.

CAP. CI. DE MULIERIBUS, ACQUIRENTIBUS DIMIDIAM BONORUM MARITI.

Die penultimo captum fuit, quod mulieres uxores popularium omnium, habitantium et districtualium ciuitatis Spalati, quę amodo in antea steterint sine seruiciali et portauerint clamidem sarzis nigrę et konarliciam, portauerint ad campum cibaria marito, iuerint pro aqua et ad furnum lauauerint pannos et alia facta sua fecerint sine seruiciali et quę faciunt seruiciales, lucrentur et lucrari debeant et acquirere sine ulla exceptione dimidiam omnium bonorum, quę mariti acquisiuerint constante eorum matrimonio.

Et quod hoc ponatur in uolumine statutorum et pro statutis obseruetur.

CAP. CII. DE ORDINE TENENDO CONTRA CONTUMACES.

Millesimo cccxlviij, die xj. februarij, in reformationibus dicti Johannis Gradenico suprastantis ordinis causarum ciuilium captum fuit, quod postquam fuit aliquis citatus et non comparuerit et data fuerit tenuta in suis bonis, uel promulgata fuerit contumacia contra eum et ipse sciuerit dictam tenutam seu sentenciam contumacie datam fuisse in suis bonis: infra terminum xv dierum secundum formam statuti dicta tenuta mandetur executioni. Si uero ignorauerit dictam tenutam, seu sentenciam contumacię contra eum latam fuisse, non mandetur executioni, sed rursus procedatur contra eum.

CAP. CIII. DE CUSTODIBUS UINEARUM.

Millesimo cccxxxv. die xj. iunij, in reformationibus domini Pantaleonis Justiniano captum fuit, quod si dominus uineę non conuenerit cum laboratore de custodia uineę, quod licitum sit ipsi domino ponere in sua uinea unum custodem ad expensas ipsius domini et laboratoris, communiter soluendas.

CAP. CIV. QUOD BANNITA DENTUR IN SOLUTIONEM[1] CREDITORI SI NON APPARUERIT ALIUS EMPTOR.

Millesimo ccclxviij. die xxiiij. aprilis, in quaterneto grosso prędicti Albertholi ad declarationem statuti de tenutis uendendis captum fuit et reformatum, quod si nomine communis aliqua res data fuerit in tenutam ipsi communi et solemnitatibus seruatis uenderetur ad incantum et non appareat emptor huiusmodi rei, quod res ipsa data in tenutam extimetur per curiam ciuitatis Spalati, seu minorem partem ipsius; secundum ipsam extimationem detur in solutione dicto communi seu syndicis uel massarijs dicti communis, seu illi, uel illis, cui, uel quibus nomine dicti communis data fuerit ipsa tenuta; et per huiusmodi rei dationem in solutione res ipsa efficiatur communis.

Idem obseruetur et fiat pro singularibus personis, hoc tamen addito, quod huiusmodi res, datas in solutione tam communi, quam singularibus personis seu alijs pro eis, possint debitores huiusmodi tam a communi, quam a singularibus personis huiusmodi res datas in solutione recuperare seu redimere pro eadem extimatione, soluendo eandem extimationem infra quatuor menses a die ipsius datę in solutione. Et si debitor non uellet recuperare ipsam, eandem simili modo recuperare possit quilibet propinquus ciuis de gradu in gradum usque in quartum gradum, in pactis tamen et in sua firmitate manentibus statutis dictę ciuitatis in alijs casibus.

CAP. CV. DE NON IMPEDIENDO APPELLATIONEM, QUANDO DEFERRATUR AD[2] COLLEGIUM.

Dicto millesimo et libro, die xxvj. iunij captum fuit et reformatum, quod quando aliqua appellatio interposita a sentencia secundę curię mittitur ad collegium, quod nulla partium pro se, uel interpositam personam uadat uel mittat ad alterum ex dictis collegijs, donec reuersus fuerit nuntius, missus ad collegium et pręsentauerit decisionem collegij; nec uadat, nec mittat post nuntium, nec eum aliqua machinatione aut aliquo alio modo uel ingenio impediat, nec impedire faciat, quando fideliter uadat et reuertatur et scripturas pręsentet sub pęna medietatis eius, de quo esset quęstio, ut puta si esset quęstio de centum ducatis, pęna sit ducatorum quinquaginta, cuius pęnę medietas sit communis et alia accu-

---

[1] Cod. Chiud.: „solutum". [2] Cod. acad. B: „in".

satoris. Et eandem pęnam incidet, quicunque se intromiserit eundo, uel mittendo aut impediendo, ut supra. Et similiter eandem pęnam incidat, qui habuerit pręsentare scripturas collegio et decisionem cum eis postea assignare regimini ciuitatis Spalati, si fraudem commiserit modo aliquo in prędictis.

Et prędicta ponantur in uolumine statutorum.

CAP. CVI. DE ANIMALIBUS BOUINIS NON TENENDIS AD MARINAM SUPER PORTUM.

Millesimo ccclxix. die vj. iunij, in quaterno[1] Albertholi captum fuit, quod animalia bouina nunquam teneantur de nocte ad ripam maris super portu sub pęna soldorum xx^{ti} pro quolibet animali et uice qualibet. Cuius pęnę medietas sit communis et alia accusatoris et quilibet possit accusare.

CAP. CVII. DE DOMIBUS IUXTA MUROS CIUITATIS[2] NON AFFICTANDIS[3].

Millesimo ccclxx. die xj. nouembris, in reformationibus Angeli de Fabriano captum fuit, quod nulla persona det, uel affictet ad naulum, seu ad affictum aliquam domum, positam iuxta muros ciuitatis Spalati alicui personę; nec aliqua persona aliquam de dictis domibus recipiat ad affictum, sine expressa licentia consilij generalis dictę ciuitatis sub pęna librarum quinquaginta paruorum pro quolibet contrafaciente. Et talis locatio uel affictus non ualeat, neque teneat.

CAP. CVIII. QUOD NULLA PERSONA AUDEAT INCANTARE CUM ALIO, UEL CUM ALIJS[4].

Dicto millesimo et libro, die xxvij. nouembris captum fuit, quod nulla persona, quę emerit aliquem incantum communis, audeat uel pręsumat dictum ancantum cum alio, uel cum alijs incantare, neque ipsum incantum alijs uendere, uel tradere, neque pro alijs emere nisi pro se et socijs suis, cum quibus dictum incantum participauerit toto tempore dicti incantus, sub pęna librarum centum paruorum et tantum, quantum fuisset incantus. Et quod dominus uicarius et iudices teneantur uinculo sacramenti super pręmissis inquirere et prouidere sine accusa, uel denuntia.

---

[1] Cod. Chiud.: „quaternetto". [2] Deest ibid. [3] ibid.: „tenendis". [4] Inscriptionem hanc apposuimus secundum sententiam hujus capituli, quamquam deest in omnibus cod.

Et si nomine communis aliqua res data fuerit in tenutam[1] ipsi communi et solemnitatibus obseruatis uendatur ad incantum et non appareat emptor huiusmodi rei, quod res ipsa data in tenutam extimetur per curiam ciuitatis Spalati, seu minorem partem ipsius et secundum ipsam extimationem detur in solutum dicto communi seu syndicis, uel massarijs dicti communis, seu illi, uel illis, cui, uel quibus nomine dicti communis data fuerit ipsa tenuta. Et per huiusmodi rei dationem in solutum res ipsa efficiatur communis.

Idem obseruetur et fiat pro singularibus personis[2].

CAP. CIX. MODUS SERUANDUS IN TESTANDO.

Statutum et ordinatum est, quod quilibet, qui uolet facere suum testamentum et ultimam uoluntatem, si scit et potest scribere, illam possit scribere sua manu propria absque aliqua subscriptione testium et eam dare cancellario communis clausam et sigillatam coram examinatore et testibus iuxta consuetudinem; et si nesciat, uel non possit scribere sua manu propria, illud faciat ac teneatur facere scribi manu alicuius boni et legalis notarij publici, presentibus duobus testibus et ad sui claram intelligentiam illud sibi legi faciat, deinde illud clausum et sigillatum debeat presentare cancellario communis coram examinatore ac testibus, ut supra; contra quem ordinem si quid factum fuerit, sit irritum, cassum et nullius ualoris perinde, ac si factum non esset.

CAP. CX. DE UENDITIONE STABILIUM.

Item statutum et ordinatum est, quod cum sepius uendita sunt stabilia in preiuditium creditorum, propinquorum et collateralium, non habentium notitiam huiusmodi uenditionis stabilium, deinceps omnia instrumenta uenditionis stabilium erunt stridanda et proclamanda iuxta obseruationem et ordinem inclite ciuitatis Venetiarum; aliter nulla sunt nulliusque ualoris; et quilibet emptor debeat iurare, quod pro se id emat et non pro aliis; et si non iurauerit, uel si emerit pro alijs, talis emptio et uenditio stabilium non ualeat, nec ullum sortiatur effectum.

---

[1] Deest in cod. acad. A et B. [2] Hic explicit liber reformationum in cod. acad. A et B uerbo, praesenti capitulo subscripto: Finis. Capitula sequentia e cod. Chiud. apposuimus.

CAP. CXI. DE FERIJS S. DOMNIJ.

Item captum fuit, quod ferię s. Domnij, uidelicet dies tres ante festum et dies tres post festum sint liberę tam forensibus, quam ciuibus mercando, emendo, uendendo in grosso et minutim sine aliqua pęna.

CAP. CXII. DE FERIJS.

Ex libro ueteri reformationum Mccccxxiij. die ultimo maij ad cartas xlv. item propositum fuit de ferijs introducendis pro messibus a uiateris . . . . Ambrosius Nicolę consuluit, quia graue est omni anno ferias facere et introducere, quod ex tunc fiant ferię perpetuis temporibus duraturę et quod dictę ferię pro messibus fiant et introducantur incipiendo semper et omni anno die decimaquinta iunij et durent per totum mensem iulij. Pro uindemijs uero fiant et introducantur, incipiendo die decimaquinta Augusti omni anno etiam durando per totum mensem septembris. Et hęc pars capta ponatur et habeatur pro statuto.

Finis.

IV.

ADDITAMENTA.

I.

COPIA PRIUILEGIJ MAGNIFICE CIUITATIS SPALATI CUM BULLA AUREA.

Thomas Moecenigo, Dei gratia dux Venetiarum etc. uniuersis et singulis tam pręsentibus, quam futuris, pręsens nostrum priuilegium inspecturis facimus manifestum, quod comparentes ad pręsentiam nostram ambasciatores consilij et iudicum ciuitatis nostrę Spalati, uidelicet d. Cresolus Matthęi de Papalibus, d. Nicolaus Petri de Comis, d. Marcus Petri et d. Nicolaus Zancij, nobiles Spalatini post humilem et deuotam recomandationem facta nostro dominio de nobilibus et ciuitate Spalati, nobis porrexerunt certa capitula et responsiones per nobilem uirum, d. Petrum Lauredano capitaneum nostrum generalem Culphi ad dicta capitula factas, antequam habuisset tenutam ciuitatis Spalati prędictę et humiliter cum maxima reuerentia supplicauerunt, ut dignaremur responsiones capitanei nostri prędicti ad eorum capitula factas per nostrum priuilegium acceptare, approbare et confirmare secundum promissionem eis factam per capitaneum nostrum prędictum.

Nos uero cognoscentes bonam intentionem et dispositionem sinceram ciuitatis Spalati nostrę prędictę, quam per elapsum tempus et in pręsenti uidemus eos habere erga nostrum dominium et tenentes firmiter, quod erunt boni et perpetui subditi et fideles nostri et intendentes dictam ciuitatem fauoribus gratiosis habere recommissam ac uolentes eisdem humanitatem et benignitatem ostendere, dictam ciuitatem nostram Spalati acceptauimus sub gubernatione et protectione nostra et eidem ciuitati tenore pręsentis nostri priuilegij ratificamus, approbamus et confirmamus responsiones per dictum nostrum capitaneum factas ad capitula sua prędicta.

Tenor dictorum quidem capitulorum talis est, uidelicet et primo:

1. Dignetur nos in nostris libertatibus nobis per diuos reges Vngarię concessis perpetuis temporibus conseruare et nobiles ciuitatis in suo statu et officiorum dignitatibus conseruare, ita, quod simul cum comite ciuitatis per ducale dominium in comitem ciuitatis destinando regere et iudicare debeant et cum eorum filijs legitimis esse debeant in consilijs et de numero consiliariorum ciuitatis et facere et regere simul cum dicto comite, prout faciunt de pręsenti: cui comiti communitas soluere debeat annuatim pro salario sui comitatus ducatos sexcentos auri.

2. Item, si quis nobilis in aliquo delinqueret, uel excederet, non repudietur a ciuitate, sed puniatur pro excessu secundum formam statutorum ciuitatis.

3. Item, quod nullus de popularibus ciuitatis fiat consiliarius et nobilis ciuitatis seu aggregetur numero consiliariorum dictę ciuitatis.

4. Item, quod dominus Duymus[1] archiepiscopus Spalati per ducale dominium conseruetur in suo archiepiscopatu, honore et dignitate sua.

